



Attinet Antonius Rubeus.

~~Ex libris D. Dominici~~

Leoni

1834

Hic liber attinet ad me

Antonius Rubeus

Dominici Leoni.


M. TULLII
CICERONIS
ORATIONUM
SELECTARUM
CUM DELECTU COMMENTARIORUM

IN USUM DELPHINI

ET ANALYSI M. ANTONII FERRATII

EDITIO TERTIA ROMANA

CUI, PRO MAJORI SCHOLARUM COMMODITATE, ADDITUR II. ET III. PHILIPPICA.



ROMAE MDCCCXXIX.

Ex Typographia Ven. Hospitii Apostolici S. Michaëlis.

Superiorum facultate ac Privilegio.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

CUM primum ad Ciceronis Orationes edendas animum adiicere mihi proposui, hoc unum prae oculis habendum censui, ut eae typis prodirent meis, quae erudienda juventuti magis accomodae viderentur. Usum itaque consilio virorum in re litteraria perillustrium, et maxime nonnullorum, qui multos annos in tradendis humanarum literarum, et rhetorices institutionibus versati, ad manus quotidie in scholis publicis oratorum principem latinorum habere consuerunt, subito intellexi, hoc mihi negotium dari, ut consulturus cujuscumque generis adolescentibus imprimendas susciperem illas tantum Orationes, quarum usus in scholis frequentior esse solet, at commentariis ea industria, et cura elaboratis exornatas, quae ad Ciceronis intelligentiam tyronibus viam sternerent faciliorem. Una enim erat talium virorum vox et sententia, adolescentibus esse necessarium aliquod Orationum exemplar, sed sumptu omnibus apto, quod oculis subjecta fidelibus exhiberet ad meditandum domi, quae accepta a praeceptoribus in schola (sive ea spectes, quae ad divisionem, sive ad vim, seriem, orationemque argumentorum, sive ad ceteras Orationis partes, et eloquentiae dotes attinent) eisdem oscitantibus, aut culpa memoriae minus tenacis, in auras ut plurimum evanescunt. Quare prospectum omnibus confido, cum in volumen redegerim aeque sumptui et usui satis commodum has duodecim Orationes ex editione decerptas, quae Patavii omnibus numeris absoluta apud Joannem Manfre prodiit in lucem anno 1772. Quibus, in hac nova tertia Romana editione additae sunt secunda, et tertia Philippica pro majori Scholarum commoditate. Nam nemo est, qui non videat, quantum utilitatis allatura sint tyronibus argumenta in usum serenissimi Delphini olim a Cl. Josepho Oliveto exarata, nec non Synopsis et Analysis a Cl. M. Antonio Ferratio temporibus posterioribus elucubrata. Fruantur igitur studiosi adolescentes alienis curis, et laetentur, quod sibi aliqua saltem via ex doctorum vigiliis percipiendi fructus pateat.

SELECTAE M. T. CICERONIS ORATIONES

In genere demonstrativo.

In genere deliberativo.

In genere judiciali.

ORATIONES SELECTAE M. T. CICERONIS

PRO SEX. ROSCIO AMERINO.

ORATIO I.

ARGUMENTUM.

Cum pater Sex. Roscii, pro quo habetur haec oratio, noctu rediens e coena occisus esset, Erucius filium accusavit parricidii, impellente Chrysogono Syllae liberto. Impellebat autem maxime per duos Roscios, Capitonem, et Magnum, veteres Romani occisi inimicos, in quos Cicero hujus caedis suspicionem confert. Itaque non tam haec defensio dici debet, quam artificiosissima accusatio. Ea porro erat Chrysogono causa perdendi filii, ut tuto possideret patris bona iniquissime proscripta, minimoque empta. Prima baec causa publica est, quam Cicero egit annos natus 27. ut ostendit Gellius *lib.* 15. *cap.* 28. L. Sylla iterum, et Q. Metello Coss. anno U. C. 673. Acta est in foro ad tribunal Fannii praetoris, et quaesitoris *inter sicarios* assidentibus judicibus ex ordine Senatorio, qui solus hoc tempore judicabat.

Genus orationis judiciale est. Status conjecturalis: *Utrum Sex. Roscius patrem occiderit.* Facciolatus.

Vide, quae argumento Orationis pro Quintio subjuncta sunt.

ORATIONIS SYNOPSIS.

ORatio est in Genere *Judiciali*, an Sex. Roscius patrem occiderit, necne. Partes quatuor sunt, *Exordium, Narratio, Contentio*, et *Peroratio.*

Exorditur *a Causis*, cur ipse dicat pro Roscio: *Credo ego vos*; Chrysogoni scelus aperit: *Forsitan quaeratis*, et ad acriter judicandum hortatur judices *ab Adjunctis* illorum temporum: *Te quoque magnopere.*

In *Narratione* exponit, qui fuerit Sex. Roscius pater, quomodo interfectus, qua ratione bona venierint, et quae consequuta sunt: *Sex. Roscius pater*, summam deinde adversariorum audaciam *Exemplo* Fimbriae amplificat: *Quid primum.*

Contentionis tres sunt partes; in quarum prima *ob Adjunctis* crimina diluit, ostenditque 1. parricidium non potuisse committi a probo homine: *Occidisse patrem Sex. Roscius.* 2. non odii, sed benevolentiae causa rei rusticae praepositum fuisse a patre Roscium: *Patri, inquit, non placebat.* 3. falsum esse, quod de filio exhaeredando cogitasse Roscium patrem dixerat Erucius: *Numquid est aliud?*

Deinde Erucium increpat, ut temere accusantem: *Quid est aliud judicio*; quo consilio id fecerit, exponit: *Cum hoc modo accusas.* Parricidium tandem probat esse maximum omnium scelerum: *De parricidio causa dicitur*, in Roscio neque ostendi causam, neque modum, quo scelus illud admiserit: *Tanti maleficii crimen.*

In secunda *Contentionis* parte culpam transfert in Roscios *ab Adjunctis*. 1. quia probabilius est, fuisse auctorem caedis, cui bono fuit ea caedes, quique tenuis antea, audax, et inimicus fuit: *Venio nunc eo.* 2. quia T. Roscius tum erat Romae: *ubi occisus est Sex. Roscius?* 3. quia ipse rem nunciandam curavit Capitoni: *Videamus nunc strictim.*

Hinc duorum Rosciorum scelera exagerat: *Non hanc suspicionem nunc primum.* 4. quia non tanta praemia a Chrysogono retulissent: *Age nunc illa videamus.*

Duabus *comparationibus* amplificat Capitonis perfidiam in Sociis legatis prodendi: *Venit in decemprimis legatus.* 5 quia dare servos in quaestione T. Roscius Magnus recusaverat: *Dixi jam antea.*

In tertia parte contra potentiam Chrysogoni insurgit, probatque ex lege Valeria neque potuisse venire bona Roscii, neque venisse: *Venio nunc ad illud nomen*; Chrysogonum proinde increpat, et Syllam excusat: *Intelligo me ante tempus*: Illius superbiam, et luxuriam exagitat: *Aptam et ratione dispositum*: Ultimo contendit spectare ad Nobiles servi nequissimi cupiditati resistere: *Tametsi meo jure possum.*

In *Peroratione* movet in Roscium *Misericordiam*: *Verum haec omnis oratio*; et Chrysogonum odio dignum exhibet: *Verum, si a Chrysogono*.

EXORDIUM.

I. Credo a) ego vos, Judices, mirari, quid sit, quod, cum tot summi oratores, hominesque nobilissimi sedeant 1), ego potissimum surrexerim, qui neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum iis, qui sedeant, comparandus. Omnes enim hi, quos videtis adesse in hac causa, injuriam novo scelere conflatam putant oportere defendi 2): defendere ipsi propter iniquitatem temporum non audent. Ita fit, ut adsint, propterea quod officium sequuntur: taceant autem idcirco, quia periculum 3) metuunt. Quid ergo b)? audacissimus ego ex omnibus? Mini-

1) *Sedeant*) Sedebant advocati Roscii, ut ei praesentia faverent, non eloquentia.

2) *Defendi*) Propulsari.

3) *Periculum*) Metuunt sibi a Chrysogono Syllae liberto, qui totam hanc accusationem instruxit, ut Sex. Roscium perdat. Huc referenda sunt verba illa, *propter iniquitatem temporum*; quibus scilicet Sylla et Syllani impotenter dominantur.

ANALYSIS.

a) *Credo*) *Exordium* sumitur *a Causis*, cur ipse ea aetate dicat pro Roscio, cum tot alii summi viri metu imminentis periculi sedeant advocati.

b) *Quid ergo?*) Duas primum removet *Causas*, audaciae, et officii; deinde res affert, quibus adductus Roscii patrocinium susceperat, hoc argumento:

Ille debebat esse Patronus Roscii, qui minore cum periculo dicturus erat, et a quo id postularunt potentes amici:

Sed ego minore cum periculo dicturus sum, quam reliqui, idque postularunt amici.

Ergo mihi praecipue suscipiendum fuit Roscii patrocinium.

me. At tanto officiosior, quam ceteri? Ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut aliis eam praereptam velim. Quae me a) igitur res praeter ceteros impulit, ut causam Sex. Roscii reciperem? Quia, si quis istorum dixisset, quos videtis adesse, in quibus summa auctoritas est, atque amplitudo; si verbum de republica fecisset, id quod in hac causa fieri necesse est: multo plura 1) dixisse, quam dixisset, putaretur. Ego etiamsi omnia, quae dicenda sunt, libere dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit. Deinde, quod ceterorum neque dictum obscurum potest esse, propter nobilitatem et amplitudinem: neque temere dicto concedi, propter aetatem et prudentiam: ego si quid liberius dixero, vel occultum esse, propterea quod nondum ad rempublicam accessi, vel ignosci adolescentiae meae poterit: tametsi non modo ignoscendi ratio, verum etiam cognoscendi 2) consuetudo jam de civitate sublata est.

Accedit illa quoque causa, quod a ceteris forsitam ita petitum sit, ut dicerent, ut utrumvis 3) salvo officio se facere posse arbitrarentur. A me autem ii contenderunt, qui apud me et amicitia, et beneficiis, et dignitate plurimum possunt: quorum ego neque benevolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debeam.

1) *Plura)* Aliqui referrent ad Syllam multo plura ad invidiam conflandam.

2) *Cognoscendi)* Quia ea tempestate non solum non ignoscebatur erroribus, sed saepe etiam, incognita causa, homines puniebantur. Id praesertim ad Syllanas proscriptiones referendum est. Est autem *cognoscere*, audire aliquem in judicio. Videtur imitatus Terentianum illud in Eunucho, prol. 4. *Aequum est vos cognoscere, atque ignoscere.*

3) *Utrumvis)* Vel dicere, vel tacere.

ANALYSIS.

a) *Quae me)* *Assumptionis* utrumque membrum explicat.

II. His de causis a) ego huic causae patronus extiti, non delectus unus, qui maximo ingenio, sed relictus ex omnibus, qui minimo periculo possem dicere: neque uti satis firmo praesidio defensus Sex. Roscius, verum uti ne omnino desertus esset. Forsitan b) quaeratis, qui iste terror sit, et quae tanta formido, quae tot, ac tales viros impediat, quo minus pro capite, et fortunis alterius quemadmodum consueverunt, causam velint dicere. Quod adhuc vos ignorare non mirum est, propterea quod consulto ab accusatoribus ejus rei, quae conflavit hoc judicium, mentio facta non est.

Quae res ea est? bona patris hujusce Sex. Roscii, quae sunt, sexagies 1): quae de viro fortissimo, et clarissimo, L. Sylla, quem honoris causa nomino, duobus millibus nummum se dicit emisse 2) adolescens vel potentissimus hoc tempore nostrae civitatis, L. Cornelius Chrysogonus. Is a vobis, Judices, hoc postulat 3), ut, quoniam in alienam pecuniam tam plenam, atque praeclaram, nullo jure invaserit; quoniamque ei pecuniae vita Sex. Roscii obstare, atque officere videatur; deleatis ex animo suo suspicionem omnem, metumque tollatis. Sese, hoc incolumi, non arbitratur hujus innocentis patrimonium tam amplum et copiosum posse obtinere: damnato et ejecto 4), sperat se posse quod adeptus est

1) *Quae sunt sexagies)* Sexagies centenis millibus H.S.

2) *Dicit emisse)* Ajebat Chrysogonus, se emisse sub hasta bona Sex. Roscii interfecti, quod ejus nomen esset in tabula proscriptorum.

3) *Hoc postulat)* Non hoc quidem libere, et aperte postulabat, sed per hanc accusationem postulare videbatur.

4) *Ejecto)* in exilium.

ANALYSIS.

a) *Hic de causis) Complexio*, ac ipse de se modeste loquitur ad *Benevolentiam* conciliandam; ex Arist. l. 2. c. 4. t. 34.

b) *Forsitan)* Hinc, ut exponat Judicibus causam, cur summi Viri metuant, ingeniose postulationem Chrysogoni proponit invidiae plenam, cui suam deinde refert multo aequiorem; *odium* igitur in adversarium movet, quippe de Judicium aequitate male sentientem; ex Arist. loco citato, tex. 29.

per scelus, id per luxuriam effundere atque consumere. Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit, ut evellatis, postulat: ut ad hanc suam praedam, tam nefariam, adjutores vos profiteamini. Si vobis aequa et honesta postulatio videtur, Judices: ego contra brevem postulationem affero, et (quomodo mihi persuadeo) aliquanto aequiorem.

III. Primum a Chrysogono peto, ut pecunia, fortunisque nostris contentus sit, sanguinem et vitam ne petat: deinde a vobis Judices, ut audacium sceleri resistatis, innocentium calamitatem levetis, et in causa Sex. Roscii, periculum, quod in omnes intenditur, propulsetis.

Quod si aut causa criminis, aut facti suspicio, aut quaelibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi nonnihil tamen in deferendo nomine secuti; postremo, si praeter eam praedam, quam dixi, quidquam aliud causae inveneritis: non recusamus, quin illorum libidini, Sex. Roscii vita dedatur. Sin aliud agitur nihil, nisi, ut iis ne quid desit, quibus satis nihil est: si hoc solum hoc tempore pugnatur, ut ad illam opimam, praeclaramque praedam damnatio Sex. Roscii, velut cumulus, accedat: nonne cum multa indigna, tum vel hoc indignissimum est, vos idoneos habitos, per quorum sententias, jusque jurandum id assequantur, quod antea ipsi scelere, et ferro assequi consueverunt? Qui ex civitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter severitatem, ab his hoc postulare 1) homines sicarios, atque gladiatores, non modo ut supplicia vitent, quae a vobis pro maleficiis suis metuere atque horrere debent, verum etiam ut spoliis Sex. Roscii hoc judicio ornati auctique discedant?

1) *Hoc postulare*) Infinitivus hic servit indignationi. Ipse per se constat, nec ab alio verbo pendet.

IV. His de rebus a) tantis, tamque atrocibus, neque satis me commode dicere, neque satis graviter conqueri, neque satis libere vociferari posse intelligo. Nam commoditati ingenium, gravitati aetas, libertati tempora sunt impedimento. Huc accedit summus timor, quem mihi natura, pudorque meus attribuit, et vestra dignitas, et vis adversariorum, Sex. Roscii pericula. Quapropter vos oro, atque obsecro, Judices, ut attente, bonaque cum venia verba mea audiatis. Fide, sapientiaque vestra fretus, plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo. Hoc onus si vos aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, studio, et industria, Judices. Sin a vobis (id quod non spero) deserar; tamen animo non deficiam, et id, quod suscepi, quoad potero, perferam. Quod si perferre non potero; opprimi me onere officii malo, quam id, quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere. Te quoque b) magnopere, M. Fanni, quaeso, ut, qualem te jam antea populo Romano praebuisti, cum huic eidem quaestioni judex praeesses, talem te, et nobis, et populo Romano hoc tempore impertias.

V. Quanta multitudo hominum convenerit ad hoc judicium, vides: quae sit omnium mortalium exspectatio, quae cupiditas, ut acria, ac severa judicia

ANALYSIS.

a) *His de rebus)* Hoc modo mores exprimit boni Viri, et qui proinde *Amore* dignus esse videatur.

b) *Te quoque) Apostrophe* ad Praetorem, eumque, sicut et Judices hortatur, ut acerrime quaestionem inter sicarios exercere velint; sic *ab Adjunctis:*

Illud scelus acerrime est vindicandum, quod maxime affligit civitatem:

Sed caedium impunitas maxime civitatem affligit:

Ergo hoc genus scelerum acerrime est vindicandum.

Assumptionem amplificat ex eo praecipue, quod is reus esset inter sicarios, qui accusare deberet; accusarent ii, qui rei essent manifesti; id autem eveniebat ob summam gladiatorum licentiam.

fiant intelligis. Longo intervallo 1) judicium inter sicarios 2) hoc primum committitur, cum interea caedes indignissimae, maximeque factae sint. Omnes hanc quaestionem, te praetore, de manifestis maleficiis, quotidianoque sanguine haud remissius sperant futuram 3).

Qua vociferatione 4) in ceteris judiciis accusatores uti consueverunt, ea nos hoc tempore utimur, qui causam dicimus. Petimus abs te, M. Fanni, a vobisque, Judices, ut quam acerrime maleficia vindicetis, ut quam fortissime hominibus audacissimis resistatis: ut hoc cogitetis, nisi in hac causa, qui vester animus sit, ostendatis, eo prorumpere hominum cupiditatem, et scelus, et audaciam, ut non clam, verum etiam hic in foro, ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes vestros, Judices, inter ipsa subsellia caedes futurae sint. Etenim quid aliud hoc judicio tentatur, nisi ut id fieri liceat? Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt: causam dicit is, cui, praeter calamitatem, nihil reliquerunt. Accusant ii, quibus occidi patrem Sex. Roscii, bono fuit: causam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem. Accusant ii, qui hunc ipsum jugulare summe cupierunt: causam dicit is, qui etiam ad hoc ipsum judicium cum praesidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur. Denique accusant ii, quos populus poscit 5): causam dicit is, qui unus relictus 6) ex illorum nefaria caede restat,

1) *Longo intervallo)* Quia bello civili Syllano intermissa fuerant judicia de sicariis, ut victores impune occiderent, quos libuisset.

2) *Inter sicarios)* De sicariis. Formula juris est, quae adhibetur etiam cap. 32.

3) *Futuram)* Hotomanus mallet *futurum* ea loquendi forma, quam Gellius probat lib. 1. cap. 7.

4) *Qua vociferatione)* Quam severitatem in aliis causis accusatores postulare solent, eam nos defensores in hac causa postulamus.

5) *Quos populus poscit)* Ad poenam propter multa in omnes scelera commissa.

6) *Unus relictus)* Unicus occisi Roscii filius.

Atque ut facilius intelligere possitis, Judices, ea, quae facta sunt, indigniora esse, quam haec sunt, quae dicimus: ab initio, res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus: quo facilius et hujus hominis innocentissimi miserias, et illorum audaciam cognoscere possitis, et reipublicae calamitatem.

NARRATIO.

VI. Sex. Roscius a), pater hujusce, municeps Amerinus, fuit cum genere, et nobilitate, et pecunia, non modo sui municipii, verum etiam ejus vicinitatis facile primus, tum gratia atque hospitiis 1) florens hominum nobilissimorum. Nam cum Metellis, Serviliis, Scipionibus erat ei non modo hospitium, verum etiam domesticus usus et consuetudo: quas (ut aequum est) familias, honestatis, amplitudinisque gratia nomino. Itaque ex suis omnibus commodis hoc solum filio reliquit. Nam patrimonium domestici praedones 2) vi ereptum possident: fama et vita innocentis ab hospitibus amicisque paternis defenditur.

Hic cum omni tempore nobilitatis fautor fuisset, tum hoc tumultu proximo, cum omnium nobilium dignitas et salus in discrimen veniret, praeter ceteros in ea vicinitate eam partem, causamque opera, studio, auctoritate defendit. Etenim rectum putabat, pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur. Postea-

1) *Hospitium*) Solebant cives Romani necessitudinem hospitii cum exteris hominibus contrahere, ut et ipsi eos Romam advenientes domi suae exciperent, et iter facientes per provincias, haberent apud quos diversarentur.

2) *Domestici praedones)* Duo Roscii, Capito, et Magnus, de quibus infra, una cum Chrysogono.

ANALYSIS.

a) *Sex. Roscius)* In *Narratione* tria praestat, 1.° exponis, quae mortem Roscii patris praedecesserunt: 2.° post illius mortem bonorum auctionem, inscio L. Sulla, et auctore Chrysogono; 3.° insidias Sex. Roscio filio paratas, et quo consilio ad accusandum adversarii descenderint.

quam victoria constituta est, ab armisque recessimus: cum proscriberentur 1) homines, atque ex omni regione caperentur ii, qui adversarii fuisse putabantur: erat ille Romae frequens; atque in foro, et in ore omnium quotidie versabatur, magis ut exultare victoria nobilitatis videretur, quam timere, ne quid ex ea calamitatis sibi accideret.

Erant ei veteres inimicitiae cum duobus Rosciis Amerinis, quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video; alterum tria hujusce praedia possidere audio. Quas inimicitias si tam cavere potuisset, quam metuere solebat, viveret. Neque enim, Judices, injuria metuebat. Nam duo isti sunt T. Roscii (quorum alteri Capitoni cognomen est: iste, qui adest, Magnus vocatur) homines ejusmodi: alter plurimarum 2) vetus ac nobilis gladiator habetur: hic autem nuper se ad eum lanistam 3) contulit; qui, cum ante hanc pugnam tiro esset scientia, facile ipsum magistrum scelere audaciaque superavit.

VII. Nam cum hic Sex. Roscius esset Ameriae, T. autem iste Roscius Romae: cum hic filius assiduus in praediis esset, cumque se voluntate patris rei familiari, vitaeque rusticae dedisset: iste autem frequens Romae esset: occiditur ad balneas palatinas 4), rediens a coena Sex. Roscius. Spero ex hoc ipso non esse obscurum, ad quem suspicio maleficii pertineat. Verum id, quod adhuc est suspiciosum, nisi perspicuum res ipsa fecerit, hunc affinem culpae judicatote.

1) *Proscriberentur*) A Sylla victore, qui tabulam in foro fixerat, in qua plurimorum nomina scripta erant, ut ad caedem quaererentur, eorumque bona sub hasta venderentur.

2) *Plurimarum palmarum*) Homo saepe in caede versatus dicitur per translationem gladiator vetus, quique plurimas palmas retulit. Victori enim gladiatori palma dabatur.

3) *Ad eum lanistam*) Ad Roscium Capitonem, quem per translationem appellat lanistam, hoc est, ludi gladiatorii magistrum.

4) *Palatinas*) Quae erant in colle Palatino.

Occiso Sex. Roscio, primus, Ameriam nunciat Mallius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens et familiaris istius T. Roscii: et nunciat domum, non filii, sed T. Capitonis, inimici: et, cum post horam primam noctis occisus esset, primo diluculo nuncius hic Ameriam venit. Decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisiis 1) pervolavit; non modo ut exoptatum inimico nuntium primus afferret, sed etiam cruorem inimici, quam recentissimum, telumque paullo ante e corpore extractum ostenderet.

Quatriduo, quo haec gesta sunt, res ad Chrysogonum in castra L. Syllae Volaterras defertur: magnitudo pecuniae demonstratur: bonitas praediorum; nam fundos decem et tres reliquit, qui Tyberim fere omnes tangunt: hujus inopia et solitudo commemoratur. Demonstrant, cum pater hujusce, Sex. Roscius, homo tam splendidus, et gratiosus, nullo negotio sit occisus, perfacile hunc hominem, incautum, et rusticum, et Romae ignotum, de medio tolli posse. Ad eam rem operam suam pollicentur. Ne diutius vos teneam, Judices, societas coitur.

VIII. Cum jam proscriptionis mentio nulla fieret, et cum etiam qui antea metuerant, redirent, ac jam defunctos sese periculis arbitrarentur 2): hominis studiosissimi nobilitatis manceps fit 3) Chrysogonus. Tria praedia vel nobilissima Capitoni propria traduntur, quae hodie possidet: in reliquas omnes fortunas iste T. Roscius nomine Chrysogoni, quemadmodum ipse dicit, impetum facit. Haec bona sexagies H-S emuntur duobus millibus nummum. Haec

1) *Cisiis*) *Cisium*, vehiculi genus velocissimi.

2) *Arbitrarentur*) Huc addenda videntur verba haec ex Sosipatro, et Diomede, *nomen refertur in tabulas Sex. Roscii hominis etc.* Ita censent Hotomanus Lipsius, et Graevius.

3) *Manceps fit*) Emit sub hasta ejus bona tamquam hominis proscripti. Dicitur autem manceps, hoc est sector, quia manu sublata, ea bona nomine suo emit, *Manceps*, quia videtur quasi *manu capere*.

omnia, Judices, imprudente L. Sylla 1) facta esse certe scio. Neque enim mirum, cum eodem tempore et ea, quae praeterita sunt et ea, quae videntur instare, praeparet 2): cum et pacis constituendae rationem, et belli gerendi potestatem solus habeat; cum omnes in unum spectent, unus omnia gubernet, cum tot tantisque negotiis distentus sit, ut respirare libere non possit; si aliquid non animadvertat: cum praesertim tam multi occupationem ejus observent, tempusque aucupentur, ut, simulatque ille despexerit 3), aliquid hujuscemodi moliantur. Huc accedit, quod quamvis ille felix 4) sit, sicut est: tamen in tanta felicitate nemo potest esse in magna familia, qui neminem, neque servum, neque libertum improbum habeat.

Interea iste T. Roscius, vir optimus, procurator Chrysogoni, Ameriam venit: in praedia hujus invadit: hunc miserum luctu perditum, qui nondum etiam omnia paterno funere justa solvisset, nudum ejicit domo, atque focis patriis, diisque penatibus praecipitem, Judices, exturbat: ipse amplissimae pecuniae fit dominus. Qui in sua re fuisset egentissimus, erat (ut fit) insolens in aliena. Multa palam domum suam auferebat: plura clam de medio removebat: non pauca suis adjutoribus large effuseque donabat: reliqua, constituta auctione, vendebat.

IX. Quod Amerinis usque eo visum est indignum, ut urbe tota fletus, gemitusque fieret. Etenim multa simul ante oculos versabantur. Mors hominis florentissimi Sex. Roscii, crudelissima: filii autem ejus

1) *Imprudente L. Sylla*) Non animadvertente.

2) *Praeparet*) Verbum hoc refertur ad *futura*, et ad *praeterita* per figuram εὺγμα nec eorum (Lambini) probanda est conjectura, qui primum membrum ita legunt, *et ea, quae praeterita sunt, reputet,* vel *reparet.*

3) *Despexerit*) Quasi deorsum adspexerit, demiserit oculos, non fuerit attentus.

4) *Felix*). Sylla *felix* cognomento dictus est. Vide Plin. lib. 7. cap. 43.

egestas indignissima: cui de tanto patrimonio praedo iste nefarius ne iter quidem ad sepulchrum 1) patrium reliquisset: bonorum emptio flagitiosa, flagitiosa possessio, furta, rapinae, donationes. Nemo erat, qui non ardere omnia mallet, quam videre in Sex. Roscii, viri optimi atque honestissimi, bonis jactantem se, ac dominantem T. Roscium.

Itaque decurionum decretum statim fit, ut decem primi 2) proficiscantur ad L. Syllam, doceantque eum, qui vir Sex. Roscius fuerit: conquerantur de istorum scelere, et injuriis: orent, ut et illius mortui famam, et filii innocentis fortunas conservatas velit. Atque ipsum decretum, quaeso, cognoscite. *Decretum Decurionum*. Legati in castra veniunt. Intelligitur, Judices, id, quod jam ante dixi, imprudente L. Sylla, scelera haec et flagitia fieri. Nam statim Chrysogonus et ipse ad eos accedit, et homines nobiles allegat iis 3), qui peterent, ne ad Syllam adirent, et omnia Chrysogonum, quae vellent, esse facturum pollicerentur.

Usque adeo autem ille pertimuerat, ut mori mallet, quam de his rebus Syllam doceri. Homines antiqui 4), qui ex sua natura ceteros fingerent, cum

1) *Ne iter quidem ad sepulchrum*) Nequeo mihi persuadere, dictum hoc esse a Cicerone oratorie, quod animadvertam, idem repeti in peroratione, cap. 50. Vere igitur dici existimo ne inter quidem ad sepulchrum patrium relictum fuisse Roscio, quod jus hoc itineris pertineret ad emptorem fundi, nisi nominatim fuisset exceptum a venditore. In re autem nostra non fuisset exceptum a Roscio, facile vel ex hoc intelligi potest, quod venditio facta est, non nomine Roscii, sed Syllae.

2) *Decem primi*) Decuriones decem, quorum praecipua fuit auctoritas, ac Duumviris proxima in coloniis et municipiis.

3) *Allegat iis*) Lambinus legit, *allegat ab iis, qui peterent*, quod *allegare alicui* latine non dicatur. Est autem *allegare* privatim mittere, ac de re privata quemadmodum *legare* est publice mittere, ac de re publica.

4) *Hominis antiqui*) Antiqua fide, antiquo ingenio hoc est nimis boni.

ille confirmaret, sese nomen Sex. Roscii de tabulis exempturum, praedia vacua filio traditurum: cumque id ita futurum T. Roscius Capito, qui in X. legatis erat, appromitteret 1), crediderunt: Ameriam re inorata reverterunt. Ac primo rem differre quotidie ac procrastinare illi coeperunt: deinde aliquanto lentius nihil agere, atque deludere: postremo (id quod facile intellectum est) insidias vitae hujusce Sex. Roscii parare; neque sese arbitrari posse diutius alienam pecuniam, domino incolumi, obtinere.

X. Quod is simul atque sensit, de amicorum cognatorumque sententia Romam confugit, et sese ad Caeciliam, nepotis filiam 2), quam honoris causa nomino, contulit, qua pater usus erat plurimum: in qua muliere, Judices, etiam nunc, id quod omnes semper extimaverunt, quasi exempli causa, vestigia antiqui officii remanent. Ea Sex. Roscium inopem, ejectum domo, atque expulsum ex suis bonis, fugientem latronum tela, et minas, recepit domum: hospitique oppresso jam, desperatoque ab omnibus opitulata est. Ejus virtute, fide, diligentia factum est, ut hic potius vivus in reos, quam occisus in proscriptos referretur. Nam postquam isti intellexerunt, summa diligentia vitam Sex. Roscii custodiri, neque sibi ullam caedis faciendae potestatem dari: consilium coeperunt plenum sceleris, et audaciae, ut nomen hujus de parricidio deferrent: ut ad eam rem aliquem accusatorem veterem compararent, qui de

1) *Appromitteret)* Appromittere, est pro altero promittere simul cum illo. Itaque Capito simul cum hominibus illis allegatis promittebat, seu potius confirmabat, quod illi promiserant, tamquam fidejussor.

2) *Nepotis filiam)* Omnes fere interpretes hic mendum agnoscunt, cum ex iis, quae habentur cap. 50. satis constet, Caeciliam hanc fuisse *Metelli Balearici filiam, et nepotis sororem.* Verba igitur illa *nepotis filiam,* rejicienda videntur, aut corrigenda. Quidam putant Caeciliam hanc alterius nepotis filiam fuisse, et Syllae uxorem, de qua Plutarchus in Sylla.

ea re posset dicere aliquid, in qua re nulla subesset suspicio: denique ut, quoniam crimine non poterant, tempore ipso pugnarent. Ita loqui homines: *Quod judicia tam diu non essent, condemnari eum oportere, qui primus in judicium adductus esset:* huic autem patronos propter Chrysogoni gratiam defuturos: de bonorum venditione, et de ista societate verbum esse facturum neminem: ipso nomine parricidii, et atrocitate criminis, fore, ut hic nullo negotio tolleretur, cum a nullo defensus esset. Hoc consilio, atque adeo hac amentia impulsi, quem ipsi, cum cuperent, non potuerunt occidere, eum jugulandum vobis tradiderunt.

IX. Quid primum a) querar? aut unde potissimum, Judices, ordiar? aut quod, aut a quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? populine Romani? vestramne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem?

Pater occisus nefarie, domus obsessa, ab inimicis bona adempta, possessa, direpta: filii vita infesta, saepe ferro, atque insidiis appetita. Quid ab his tot maleficiis sceleris abesse videtur? Tamen haec aliis nefariis cumulant, atque adaugent; crimen incredibile confingunt: testes in hunc, et accusatores hujusce pecunia comparant: hanc conditionem misero ferunt, ut optet, utrum malit cervices Roscio dare, an insutus in culeum 1) persummum dedecus vitam amittere. Patronos huic defuturos putaverunt: desunt. Qui libere dicat, qui cum fide defendat, id quod in hac causa est satis, quoniam quidem suscepi, non deest profecto, Judices.

1) *An insutus in culeum)* An fateri se parricidam; et idcirco in culeum insui,et in flumen dejici. De hoc supplicii genere vide infra, cap. 25. et 26.

ANALYSIS.

a) *Quid primum)* *Narrationem* sequitur amplificatio summae audaciae, quam illustrat *a Comparatione minorum*; hoc est exemplo C. Fimbriae.

Et forsitan in suscipienda causa temere impulsus adolescentia fecerim: quoniam quidem semel suscepi, licet, hercules, undique omnes in me terrores periculaque impendeant omnia, succurram, atque subibo. Certum est, deliberatumque, quae ad causam pertinere arbitror, omnia non modo dicere, verum etiam libenter, audacter, libereque dicere. Nulla res tanta existat, Judices, ut possit vim mihi majorem adhibere metus, quam fides. Etenim quis tam dissoluto animo est, qui haec cum videat, tacere, ac negligere possit? Patrem meum, cum proscriptus non esset, jugulastis: occisum in proscriptorum numerum retulistis: me domo mea per vim expulistis: patrimonium meum possidetis. Quid vultis amplius? etiamne ad subsellia cum ferro atque telis venistis, ut hic aut juguletis, aut condemnetis Sex. Roscium?

XII. Hominem longe audacissimum nuper habuimus in civitatem C. Fimbriam, et, quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum. Is cum curasset in funere C. Marii, ut Q. Scaevola vulneraretur, vir sanctissimus, atque ornatissimus nostrae civitatis: (de cujus laude neque hic locus est, ut multa dicantur, neque plura tamen dici possunt, quam populus Romanus memoria retinet) diem scaevolae dixit 1), posteaquam comperit, eum posse vivere. Cum ab eo quaereretur, qui tandem accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commode posset: ajunt, hominem, (ut erat furiosus) respondisse, *quod non totum telum corpore recepisset*. Quo populus Romanus nihil vidit indignus, nisi ejusdem viri mortem 2); quae tantum potuit, ut omnes cives suos perdiderit, et afflixerit: quos quia servare per

1) *Diem dixit*) Apud populum accusavit. Vide Val. Max. IX. 11.

2) *Ejusdem viri mortem*) Occisus est Scaevola in vestibulo aedis Vestae, opera Damasippi praetoris, jubente Mario juniore C. Marii filio, qui cum Carbone consul erat. Vide Florum lib. 3. cap. 21.

compositionem 1) volebat, ipse ab iis interremptus est.

Estne hoc illi dicto, atque facto Fimbriae non simillimum? Accusatis Sex. Roscium: quid ita? Quia de manibus vestris effugit: quia se occidi passus non est. Illud, quia in Scaevola factum est, magis indignum videtur: hoc, quia fit a Chrysogono, num est ferendum? Nam per deos immortales! quid est in hac causa, quod defensionis indigeat? Qui locus ingenium patroni requirit, aut oratoris eloquentiam magnopere desiderat? Totam causam, Judices, explicemus, atque ante oculos expositam consideremus. Ita facilissime, quae res totum judicium contineat, et quibus de rebus nos dicere oporteat, et quid vos sequi conveniat, intelligetis.

XIII. Tres sunt a) res, quantum ego existimare possum, quae obstent hoc tempore Sex. Roscio, crimen adversariorum, et audacia, et potentia. Criminis confictionem accusator Erucius suscepit: audaciae partes Roscii sibi poposcerunt: Chrysogonus autem, is, qui plurimum potest, potentia pugnat. De hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo. Quid igitur est 2)? non eodem modo de omnibus: ideo quod prima illa res ad meum officium pertinet; duas autem reliquas vobis populus Romanus imposuit. Ego crimen oportet diluam: vos et audaciae resistere, et hominum ejusmodi perniciosam atque intolerandam potentiam primo quoque tempore extinguere, atque opprimere debetis.

1) *Per compositionem*) Erat enim auctor pacis inter Syllanos, et Marianos.

2) *Quid igitur est?*) Haec verba non videntur Hotomano, et Lambino posita loco suo; sed vel collocanda esse post verbum *pugnat*, vel post *imposuit*.

ANALYSIS.

a) *Tres sunt*) *Praepositio* orationis.

CONTENTIONIS I. PARS.

Occidisse a) patrem Sex. Roscius arguitur. Scelestum a), dii immortales! ac nefarium facinus, atque ejusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur. Etenim si (id quod praeclare a sapientibus dicitur) vultu 1) saepe laeditur pietas: quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, jura divina atque humana cogebant? In hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro extitit, ut, si quando auditum sit, portenti ac prodigii simile numeretur, quibus tandem c) te, C. Eruci, argumentis accusatorem censes uti oportere? nonne et audaciam ejus, qui in crimen vocetur, singularem ostendere; et mores feros, immanemque naturam; et vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam; et denique omnia ad perniciem profligata atque perdita? Quorum tu d) nihil in Sex. Roscium, ne objiciendi quidem causa, contulisti.

XIV. Patrem occidit Sex. Roscius. Qui homo? Adolescentulus corruptus, et ab hominibus nequam adductus? Annos natus magis quadraginta. Vetus vi-

1) *Vultu*) Etiam torvo aspectu laeditur pietas in parentes.

ANALYSIS.

a) *Occidisse)* Crimen parricidii ut diluat, argumenta fere *ab Adjunctis* desumit. Sic igitur imprimis:

Maximum scelus committi non potest, nisi ab homine perditissimo:

Sed parricidium maximum est omnium scelerum, et contra Sex. Roscii vitam nihil omnino turpe objici potest;

Ergo non est probabile, admissum fuisse a Roscio parricidium.

b) *Scelestum) Assumptionis* prima pars, *a Comparatione minorum, et a Contrariis* approbata.

c) *Quibus tandem) Propositio.*

d) *Quorum tu)* Secunda pars *Assumptionis*, de vita Roscii, quam fere ipsius adversarii testimonio confirmat.

delicet sicarius, homo audax, et saepe in caede versatus? At hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem nimirum, et aeris alieni magnitudo, et indomitae animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt. De luxuria purgavit Erucius, cum dixit, hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse. Nihil autem umquam debuit. Cupiditates porro quae possunt esse in eo, qui (ut ipse accusator objecit) ruri semper habitarit, et in agro colendo vixerit? quae vita maxime disjuncta a cupiditate, et cum officio conjuncta.

Quae res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio objecit? Patri, inquit (a), non placebat. Patri non placebat? Quam ob causam? Necesse est enim eam quoque justam, et magnam, et perspicuam fuisse. Nam, ut illud incredibile est, mortem oblatam esse patri a filio sine plurimis, et maximis causis; sic hoc verisimile, non est, odio fuisse parenti filium sine causis multis, et magnis, et necessariis. Rursus igitur eodem revertamur, et quaeramus, quae tanta fuerint in unico filio, quare is patri displiceret. At perspicuum est, nullum fuisse. Pater igitur amens, qui odisset eum sine causa, quem procrearat. At is quidem fuit omnium constantissimus. Ergo illud jam perspicuum profecto est, si neque amens pater, neque perditus filius fuerit; neque odii causam patri, neque sceleris filio fuisse.

XV. Nescio (b), inquit, quae causa odii fuerit:

ANALYSIS.

a) *Patri inquit,*) Odii causam ab Erucio allatum, quod Roscius Patri non placeret, refellit pariter *ab Adjunctis* personarum:

Pater, si sit homo sanus, non potest odisse filium sine maximis causis;

Sed Roscius pater erat homo sapiens, et nulla erat causa cur filium odisset;

Ergo falsum est Roscium filium fuisse odio Patri.

b) *Nescio.*) Conjecturam odii, quam attulerat accusator, quod nempe eum ruri detineret, irridet primum ut levissimam, mox confutat *a Contrariis.*

fuisse odium intelligo: quia antea, cum duos filios haberet, illum alterum, qui mortuus est, secum omni tempore volebat esse; hunc in praedia rustica relegarat. Quod Erucio accidebat in mala nugatoriaque accusatione, idem mihi usuvenit in causa optima. Ille, quomodo crimen commentitium confirmaret, non inveniebat: ego, res tam leves qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum.

Quid ais a), Eruci? Tot praedia, tam pulchra, tam fructuosa Sex. Roscius filio suo, relegationis, ac supplicii gratia, colenda ac tuenda tradiderat? Quid hoc? Patresfamilias, qui liberos habent, praesertim homines illius ordinis, ex municipiis rusticanis, nonne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime servire, et in praediis colendis operae plurimum studiique consumere? An amandarat hunc sic, ut esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam? ut commodis omnibus careret? Quid si constat, hunc non modo colendis praediis praefuisse, sed certis fundis, patre vivo, frui solitum esse? Tamenne haec attenta vita, et rusticana, relegatio atque amandatio appellabitur? Vides, Eruci, quantum distet argumentatio tua ab re ipsa, atque a veritate. Quod consuetudine patres faciunt, id, quasi novum, reprehendis: quod benevolentia fit, id odio factum criminaris: quod honoris causa pater filio suo concessit, id cum supplicii causa fecisse dicis. Neque haec tu non intelligis: sed usque eo quid arguas, non habes, ut non modo tibi contra nos dicendum

ANALYSIS.

Quod communiter fieri solet benevolentia, ab odio proficisci non potest:

Sed communiter Patres praediis colendis praeficiunt filios, quos magis diligunt.

Ergo in Sex. Roscio illud ascribi odio non potest.

a) *Quid ais) Assumptionem* non probat ut manifestam; *Complexionem* tamen urget ex eo, quod Roscius filius non solum praediis pulcherrimis praeesset, sed ex iis ipse quoque multa commoda haberet.

putes, verum etiam contra rerum naturam, contraque consuetudinem hominum, contraque opiniones omnium.

XVI. At enim a), cum duos filios haberet, alterum a se non dimittebat, alterum ruri esse patiebatur. Quaeso b), Eruci, ut hoc in bonam partem accipias. Non enim exprobrandi causa, sed commonendi gratia dicam. Si tibi fortuna non dedit, ut patre certo nascerere, ex quo intelligere posses, qui animus patrius in liberos esset: at natura certe dedit, ut humanitatis non parum haberes. Eo accessit studium doctrinae, ut ne a literis quidem alienus esses, Ecquid c) tandem tibi videtur (ut ad fabulas veniamus) senex ille Caecilianus 1) minoris facere Eutychum, filium rusticum, quam illum alterum, Chaerastratum? (nam, ut opinor, hoc nomine est) alterum in urbe secum honoris causa habere? alterum rus supplicii causa relegasse? Quid ad istas ineptias abis? inquies. Quasi vero mihi difficile sit, quamvis multos nominatim proferre, ne longius abeam, vel tribules, vel vicinos meos, qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos 2) esse cupiunt. Verum homines notos sumere odiosum est, cum et illud incertum sit, velintne hi sese nominari: et nemo vobis magis notus futurus sit, quam est hic Eutychus: et certe ad rem nihil intersit, utrum hunc ego comicum adolescentem, an aliquem ex agro Vejente nominem. Etenim haec

1) *Caecilianus*) Inductus a Caecilio poeta comico.

2) *Assiduos)* Sic Plautus Trinum. act. 1. sc. 2. v. 165. *urbanos assiduos* appellat, qui in urbe assidue versantur.

ANALYSIS.

a) *At enim*) Fundamentum suae conjecturae desumpserat Erucius ex comparatione duorum filiorum, quos non eodem modo tractaverat pater Roscius. Cicero multis rationibus evertit.

b) *Quaeso*) 1. Exprobrando adversario sordes originis, ut proinde nesciat, qui sit animus patrius in liberos.

c) *Ecquid*) 2. Exemplo cujusdam senis apud Caecilium poetam comicum, cui multos in locis omnibus similes esse Patres affirmat.

conficta arbitror a poetis esse, ut effictos nostros mores in alienis personis, expressamque imaginem nostrae vitae quotidianae videremus. Age nunc, refer animum, sis 1) ad veritatem, et considera, non modo in Umbria, atque in ea vicinitate, sed in his veteribus municipiis, quae studia a patribus familias maxime laudentur. Jam profecto te intelliges inopia criminum summam laudem Sex. Roscio vitio et culpae dedisse.

XVII. At non modo a) hoc patrum voluntate liberi faciunt: sed permultos et ego novi, et (nisi me fallit animus) unusquisque vestrum, qui et ipsi incensi sunt studio, quod ad agrum colendum attinet; vitamque hanc rusticam, quam tu probro, et crimini putas esse oportere, et honestissimam, et suavissimam esse arbitrantur. Quid censes, hunc ipsum Sex. Roscium, quo studio, et qua intelligentia esse in rusticis rebus? Ut ex his b) propinquis ejus, hominibus honestissimis, audio, non tu in isto artificio accusatorio callidior es, quam hic in suo. Verum, ut opinor, quoniam ita Chrysogono videtur, qui huic nullum praedium reliquit, et artificium obliviscatur, et studium deponat, licebit. Quod tametsi miserum et indignum est, feret tamen aequo animo, Judices, si per vos vitam, et famam potest obtinere. Hoc vero est, quod ferri non potest, si et in hanc calamitatem venit pro-

1) *Sis*) Si vis: pertinet autem ad vocem: *age*.

ANALYSIS.

a) *At non modo*) 3. Ab ipsius Roscii filii voluntate, hoc argumento:

Probabile est Roscium filium ei rei praeesse voluisse, cujus scientiam callebat:

Sed summa intelligentia est in rusticis rebus;

Ergo probabile est, eum voluisse rei rustice praeesse, fratre in Urbe relicto.

b) *Ut ex his*) Confirmatur *Assumptio* testimonio propinquorum, et inde ad exagerandam summam Chrysogoni injuriam ingeniose descendit.

pter praediorum bonitatem, et multitudinem; et, quod ea studiose coluit, id erit ei maxime fraudi: ut parum miseriae sit, quod aliis coluit, non sibi, nisi etiam, quod omnino coluit, crimini fuerit.

XVIII. Nae tu a), Eruci, accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro arcessebantur, qui consules fierent. Etenim, qui praeesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Atilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt; hominem turpissimum atque inhonestissimum judicares. At hercule majores nostri longe aliter et de illo, et de ceteris talibus viris existimabant. Itaque ex minima tenuissimaque republica maximam, et florentissimam nobis reliquerunt. Suos enim agros studiose colebant: non alienos cupide appetebant: quibus rebus, et agris, et urbibus, et nationibus, rempublicam, atque hoc imperium, et populi Romani nomen auxerunt. Neque ego haec eo profero, quo conferenda sint cum hisce, de quibus nunc quaerimus: sed ut illud intelligatur, cum apud majores nostros summi viri, clarissimique homines, qui omni tempore ad gubernacula reipublicae sedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operae, temporisque consumpserint; ignosci oportere ei homini, qui se fateatur esse rusticum, cum ruri assiduus semper vixerit: cum praesertim nihil esset, quod aut patri gratius, aut sibi jucundius, aut re vera honestius facere posset.

Odium igitur b) accerrimum patris in filium

ANALYSIS.

a) *Nae tu)* 4. Arguit a studio colendorum praediorum, quod laudat nixus auctoritate veterum Romanorum, hoc modo.

Id non est reprehendendum in Roscio, quod in summis viris erat laudabile.

Sed agros colere in summis quondam viris laudabile erat.

Ergo nunc idem in Roscio non est reprehendendum.

b) *Odium igitur)* *Complexio* ironica, quae ex his omnibus rationibus eruitur.

ex hoc, opinor, ostenditur, Eruci, quod hunc ruri esse pariebatur. Numquid est a) aliud? Immo vero, inquit est. Nam istum exhaeredare in animo habebat. Audio b): nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat. Nam illa, opinor, tu quoque concedis levia esse, atque inepta. Convivia cum patre non inibat. Quippe qui ne in oppidum quidem, nisi petraro, veniret. Domum suam istum non fere quisquam vocabat. Nec mirum, qui neque in urbe viveret, neque revocaturus esset 1).

XIX. Verum haec quoque tu intelligis esse negatoria. Illud, quod coepimus, videamus; quo certius argumentum odii reperiri nullo modo potest. Exhaeredare pater filium cogitabat. Mitto quaerere, qua de causa; quaero qui scias. Tametsi c) te dicere, atque enumerare causas omnes oportebat et id erat certe accusatoris officium, qui tanti sceleris argueret, explicare omnia vitia atque peccata filii, quibus incensus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipsam vinceret; ut amorem illum penitus insitum ejiceret ex animo; ut denique patrem esse sese oblivisceretur: quae sine magnis hujusce peccatis accidere potuisse non arbitror.

1) *Neque revocaturus esset*) Hoc est, nemo eum invitabat ad convivia, qui neque in urbe vivebat, neque par pari reddere poterat. Hoc enim sensu saepe usurpantur *voco*, et *revoco*. Martial. lib. 2. ep. 27. *Nunquam me revocas, venias, cum saepe vocatus.*

ANALYSIS.

a) *Nunquid est*) Sequitur alterum fundamentum odii in Roscio filio; exhaeredatio scilicet, quam metuebat.

b) *Audio*) Attingit leviter Cicero quaedam alia, quippe nullius momenti, deinde illud de exhaeredatione ita refellit *ab Adjunctis*.

Id falsum est, quod neque est probabile, neque ulla ratione ostenditur;

Sed voluisse patrem exhaeredare filium neque probabile est, et nulla nititur conjectura;

Ergo id omnino ut falsum putandum est.

c) *Tametsi*) Confirmat primam partem *Assumptionis*, quia nulla erat causa, cur id ageret: mox secundam etiam partem pertractat.

Verum concedo tibi, ut ea praetereas, quae cum taces, nulla esse concedis. Illum quidem voluisse exhaeredare, certe tu planum facere debes. Quid ergo affers, quare id factum putemus? Vere nihil potes dicere. Finge aliquid saltem commode: ut ne plane videaris id facere, quod aperte facis, hujus miseri fortunis, et horum virorum talium dignitati illudere. Exhaeredare filium voluit: quam ob causam? Nescio. Exhaeredavitne? Non. Quis prohibuit? Cogitabat. Cogitabat? Cui dixit? Nemini. Quid est aliud a), judicio, ac legibus, ac majestate vestra abuti ad quaestum, atque ad libidinem, nisi hoc modo accusare, atque id objicere, quod planum facere non modo non possis, verum ne coneris quidem? Nemo nostrum b) est, Eruci, quin sciat, tibi inimicitias cum Sex. Roscio nullas esse. Vident omnes, qua de causa huic inimicus venias. Sciunt hujusce pecunia te adductum esse. Quid ergo est? Ita tamen quaestus te cupidum esse oportebat, ut horum existimationem, et legem Remniam 1) putares aliquid valere oportere.

XX. Accusatores multos esse in civitate utile est, ut metu contineatur audacia: verumtamen hoc ita est utile, ut ne plane illudamur ab accusatoribus. Innocens est quispiam; verumtamen, quamquam abest a culpa, suspicione tamen non caret. Tametsi miserum est, tamen ei, qui hunc accuset, possim aliquo mo-

1) *Remniam)* Vide *Indiculum Legum*, in limite Tomi hujus.

ANALYSIS.

a) *Quid est aliud)* *Complexio* plena indigationis, unde tantum facit ad ipsum accusatorem increpandum.

b) *Nemo nostrum)* Reprehendit itaque Erucium, quod hanc accusationem nulla nixus conjectura susceperat, sic autem arguit *a Simili*:

Ut anseres, et canes vigilant in Capitolio contra fures, sic in Urbe accusatores aluntur contra sceleratos homines;

Sed illa bestia tum significant, cum aut fures veniunt, aut venire noctu suspicantur;

Ergo et hi aut vera crimina afferre debent, aut aliquam suspicionem.

do ignoscere. Cum enim aliquid habeat, quod possit criminose, ac suspiciose dicere, aperte ludificari, et calumniari sciens non videatur. Quare facile omnes patimur, esse quamplurimos accusatores, quod innocens si accusatus sit, absolvi potest: nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. Utilius est autem absolvi innocentem, quam nocentem causam non dicere. Anseribus cibaria publice locantur, et canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint. At fures internoscere non possunt. Significant tamen, si qui noctu in Capitolium venerint: et, quia id est suspiciosum, tametsi bestiae sunt, tamen in eam partem potius peccant, quae est cautior. Quod si luce quoque canes latrent, cum deos salutatum aliqui venerint: opinor, iis crura suffringantur, quod acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio. Alii vestrum anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt: alii canes, qui et latrare, et mordere possunt. Cibaria vobis praeberi videmus: vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur. Hoc paullo gratissimum est. Deinde, si voletis, etiam tum, cum verisimile erit aliquem commisisse, in suspicione latratote. Id quoque concedi potest. Sin autem a) sic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo; ac tantummodo sine suspicione latrabitis; crura quidem vobis nemo suffringet: sed si ego hos bene novi, literam illam 1), cui vos usque eo inimici

1) *Literam illam)* Scilicet *K*, quae calumniatorum frontibus inurebatur ignominiae causa. Plinius in Paneg. cap. 35. et ibi Lipsius adnot. 296. Erat autem *K*, quia per hanc literam scribebatur *Kalumnia* a veteribus.

ANALYSIS.

a) *Sin autem)* Minas addit, ut ab hoc genere accusationis deterreat qua in Roscium utitur, non modo non criminose, sed ne suspiciose quidem, exponit Erucium Chrysogoni potentia confisum ad accusandum accessisse, quod per figuram *Ethopaejam* mire explicat.

estis, ut etiam eas omnes 1) oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.

XXI. Quid mihi ad defendendum dedisti, bone accusator? quid hisce autem ad suspicandum? Ne exhaeredaretur, veritus est. Audio. Sed qua de causa vereri debuerit, nemo dicit. Habebat pater in animo. Planum fac. Nihil est: non, quicum deliberarit, quem certiorem fecerit, unde istud vobis suspicari in mentem venerit. Cum hoc modo accusas, Eruci, nonne hoc palam dicis? Ego, quid acceperim, scio: quid dicam, nescio. Unum illud spectavi, quod Chrysogonus ajebat, neminem isti patronum futurum: de bonorum emptione, deque ea societate neminem esse, qui verbum facere hoc tempore auderet. Haec te opinio falsa in istam fraudem impulit. Non mehercule verbum fecisses, si tibi quemquam responsurum putasses.

Operae praetium erat, si animadvertistis, Judices, negligentiam ejus in accusando considerare. Credo, cum vidisset, qui homines in hisce subselliis sederent, quaesisse, num ille aut ille defensurus esset: de me ne suspicatum quidem, quod antea causam publicam nullam dixerim. Posteaquam invenit neminem eorum, qui possunt, et solent; ita negligens esse coepit, ut cum in mentem veniret ei, resideret: deinde spatiaretur; nonnumquam etiam puerum vocaret, credo cui coenam imperaret: prorsus ut vestro consessu, et hoc conventu, pro summa solitudine abuteretur.

XXII. Peroravit aliquando: assedit. Surrexi ego. Respirare visus est, quod non alius potius diceret. Coepi dicere. Usque eo animadverti, Judices, eum jocari, atque alias res agere, ante quam Chrysogonum nominavi: quem simul atque attigi, statim homo se se erexit. Mirari visus est. Intellexi, quid eum pupugisset: Iterum ac tertio nominavi. Postea

1) *Ut etiam eas omnes*) Notat accusatores, qui fere illiterati erant. Ludit autem in ambiguo.

homines cursare ultro, et citro non destiterunt, credo, qui Chrysogono nuntiarent, esse aliquem in civitate, qui contra voluntatem ejus dicere auderet: aliter causam agi, atque ille existimaret: aperire bonorum emptionem: vexari pessime societatem: gratiam, potentiamque ejus negligi: judices diligenter attendere: populo rem indignam videri. Quae quoniam te fefellerunt Eruci, quoniamque vides versa esse omnia: causam pro Sex. Roscio, si non commode, at libere dici; quem dedi putabas, defendi intelligis; quos tradituros sperabas, vides judicare: restitue nobis aliquando veterem tuam illam calliditatem atque prudentiam: confitere huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non judicium futurum.

De parricidio a) causa dicitur, ratio ab accusatore reddita non est, quam ob causam filius patrem occiderit. Quod in minimis b) noxis, et in his levioribus peccatis, quae magis crebra, et jam prope quotidiana sunt, maxime et primum quaeritur, quae causa maleficii fuerit; id Erucius in parricidio quaeri non putat oportere. In quo scelere, Judices, etiam cum multae causae convenisse unum in locum, atque inter se congruere videntur: tamen non temere creditur, neque levi conjectura res penditur, neque testis incertus auditur, neque accusatoris ingenio res judicatur. Cum multa antea commissa maleficia, tum vita hominis perditissima, tum singularis audacia ostendatur necesse est: neque audacia solum, sed

ANALYSIS.

a) *De parricidio*) Nunc repetit primum illud argumentum a facinoris magnitudine, et Roscii vita, illudque fuse pertractat, est hujusmodi:

Maximum scelus a perditissimo homine patratur, et perspicue probari debet;

Sed parricidium est scelerum omnium maximum, homo innocens Roscius est, et nullis conjecturis probatur;

Ergo omnino temere accusatur Sex. Roscius parricidii.

b) *Quod in minis*) *Proposito* approbata a *Comparatione minorum*; si enim in minimis noxis ea servantur, in maximis multo magis.

summus furor atque amentia. Haec cum sint omnia, tamen extent oportet expressa sceleris vestigia, ubi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium sit admissum. Quae nisi multa et manifesta sunt, profecto res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest. Magna est enim a) vis humanitatis; multum valet communio sanguinis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura: portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut, propter quos hanc suavissimam lucem aspexerit, eos indignissime luce privarit: cum etiam feras inter sese partus, atque educatio, et natura ipsa conciliet. . . . .

XXIII. Non ita multis ante annis ajunt, T. Cloelium quemdam Tarracinensem, hominem non obscurum, cum coenatus cubitum in idem conclave cum duobus adolescentibus filiis isset, inventum esse mane jugulatum, cum neque servus quisquam reperiretur, neque liber, ad quem ea suspicio pertineret: id aetatis autem duo filii propter cubantes ne sensisse quidem se dicerent: nomina filiorum de parricidio delata sunt. Quid postea? Erat sane suspiciosum Neutrum sensisse? Ausum autem esse quemquam se in id conclave committere, eo potissimum tempore, cum ibidem essent duo adolescentes filii, qui et sentire et defendere facile possent? Erat porro nemo, in quem ea suspicio conveniret. Tamen cum planum judicibus esset factum, aperto ostio, dormientes eos repertos esse, judicio absoluti adolescentes, et suspi-

ANALYSIS.

a) *Magna est enim)* *Assumptionis* primum membrum confirmatur a summa inhumanitate illius, qui patrem occidit; ab auctoritate Judicium, cum de Cloelii morte quaereretur, et Poetarum, cum Orestis furorem describerent; testimonio tandem Atheniensium, qui nullum, et Romanorum, qui summum parricidis supplicium statuerunt. Semper autem *Proposito* repetitur, tantum scelus maximis proinde, et perspicuis probationibus egere.

cione omni liberati sunt. Nemo enim putabat, quemquam esse, qui, cum omnia divina atque humana jura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset: propterea quod qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt.

XXIV. Videtisne, quos nobis poetae 1) tradiderunt, patris ulciscendi causa, supplicium de matre sumpsisse, cum praesertim deorum immortalium jussis atque oraculis id fecisse dicantur, tamen ut eos agitent furiae, neque consistere usquam patiantur, quod ne pii quidem sine scelere esse potuerunt? Sic se res habet, Judices. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus, maternusque sanguis: ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur. Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis saepenumero videtis eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus, et suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suae malae cogitationes, conscientiaeque animi 2) terrent. Hae sunt impiis assiduae domesticaeque Furiae; quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetant.

Haec magnitudo maleficii facit, ut, nisi pene manifestum parricidium proferatur, credibile non sit: nisi turpis adolescentia, nisi omnibus flagitiis vita inquinata, nisi sumptus effusi cum probro atque dedecore, nisi prorupta audacia, nisi tanta temeritas,

1) *Quos nobis poeta)* Orestem, et Alcmaeonem, de quibus vide Mythologos.

2) *Conscientiae animi)* Casus pluralis animadversione dignus, quamvis apud Ciceronem non semel inveniatur.

ut non procul abhorreat ab insania. Accedat huc oportet odium parentis, animadversionis paternae metus, amici improbi, servi conscii, tempus idoneum, locus opportune captus ad eam rem: pene dicam, respersas manus sanguine paterno judices videant oportet, si tantum facinus, tam immane, tam acerbum, credituri sunt. Quare hoc, quo minus est credibile, nisi ostenditur: eo magis est, si convincitur, vindicandum.

XXV. Itaque cum multis ex rebus intelligi potest, majores nostros non modo armis plus, quam ceteras nationes, verum etiam consilio, sapientiaque potuisse: tum ex hac re vel maxime, quod in impios singulare supplicium invenerunt. Qua in re quantum prudentia praestiterint iis, qui apud ceteros sapientissimi fuisse dicuntur, considerate. Prudentissima civitas Atheniensium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur. Ejus porro civitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse, cum, qui leges, quibus hodie quoque utuntur, scripserit. Is cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur. Quanto majores nostri sapientius? Qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt: ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine poenae, maleficio summoverentur. Insui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen dejici.

XXVI. O singularem sapientiam Judices! nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse et eripuisse, cui repente caelum, solem, aquam, terramque ademerunt, ut, qui eum necasset, unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur? Noluerunt feris corpus objicere, ne bestiis quoque, quae tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur: non sic nudos in flumen dejicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera, violata sunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cujus partem ullam eis reliquerint. Etenim quid tam

est commune 1), quam spiritus vivis, terra mortuis mare fluctuantibus, litus ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de caelo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut numquam abluantur 2): ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.

Tanti maleficii a) crimen, cui maleficio tam insigne supplicium est constitutum, probare te, Eruci, censes posse talibus viris, si ne causam quidem maleficii protuleris? Si hunc apud bonorum emptores accusares, eique judicio Chrysogonus praeesset; tamen diligentius paratiusque venisses. Utrum, quid agatur? non vides? an, apud quos agatur? Agitur de parricidio: quod sine multis causis suscipi non potest. Apud homines autem prudentissimos agitur, qui intelligunt, neminem ne minimum quidem maleficium sine causa admittere.

XXVII. Esto: causam proferre non potes. Tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo jure decedam: et tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia. Non quaero abs te, quare patrem Sex. Roscius occiderit: quaero, quomodo occiderit. Ita quaero abs te, C. Eruci, quomodo: et sic tecum agam, ut in eo loco vel interpellandi tibi potestatem faciam vel etiam, si quid voles, interrogandi.

1) *Etenim quid tam est commune*) Locum hunc attente lege; qui, ut ipse in Oratore cap. 30. testatur, magnis clamoribus a populo Romano exceptus est, tamquam insigniter elegans. Idem ipse tamen, ut in adolescente, non ut in viro, laudandum putat.

2) *Abluantur*) Quod unum Graevio probatur. Ego cum Hotomano retineo *alluantur*. Non enim mirum est, ut putat Graevius, parricidas in mare delatos, marinis aquis non purgari, sed marinis aquis non allui.

ANALYSIS.

a) *Tanti maleficii*) Tertium *Assumptionis* membrum, quod infra etiam probat.

Quomodo occidit? ipse percussit, an aliis occidendum dedit? Si ipsum arguis, Romae non fuit. Si per alios fecisse dicis, quaero, servosne, an liberos? quos homines? indidemne Ameria, an hosce ex urbe sicarios? Si Ameria: qui sunt hi? cur non nominantur? Si Roma: unde eos noverat Roscius, qui Romam multis annis non venit, neque umquam plus triduo fuit? ubi eos convenit? quicum loquutus est? quomodo persuasit? Pretium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde, aut quantum dedit? Nonne his vestigiis ad caput maleficii perveniri solet? Et simul a) tibi in mentem veniat, facito, quemadmodum vitam hujusce depinxeris, hunc hominem ferum atque agrestem fuisse: numquam cum homine quodam colloquutum esse, numquam in oppido constitisse.

Qua in re praetereo illud, quod mihi maximo argumento ad hujus innocentiam poterat esse, in rusticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaque vita, istiusmodi maleficia gigni non solere. Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire possis: sic non omne facinus in omni vita nascitur. In urbe luxuries creatur: ex luxuria existat avaritia necesse est: ex avaritia erumpat audacia: inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. Vita autem haec rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniae, diligentiae, justitiae magistra est. Verum haec missa facio.

XXVIII. Illud quaero; is homo, qui, ut tute dicis, numquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, absens prae-

ANALYSIS.

a) *Et simul*) Secundum membrum, ostenditque Roscii innocentiam a genere vitae, per figuram *Praeteritionem*

rendi quidem de morte patris potestas permittitur: an ab iis, qui quaestionem fugitant, bona possident, in caede, atque ex caede vivunt? Omnia, Judices, in hac causa sunt misera, atque indigna: tamen hoc nihil neque acerbius, neque iniquius proferri potest: mortis paternae de servis paternis quaestionem habere filio non licet: ne tamdiu quidem dominus erit in suos, dum ex iis de patris morte quaeratur. Veniam, neque ita multo post, ad hunc locum. Nam hoc totum ad Roscios pertinet: de quorum audacia tum me dicturum pollicitus sum, cum Erucii crimina diluissem.

XXIX. Nunc, Eruci, ad te venio. Conveniat mihi tecum necesse est, si ad hunc maleficium istud pertinet, aut ipsum sua manu fecisse, id quod negas: aut per aliquos liberos, aut servos. Liberosne? quos neque ut convenire potuerit, neque qua ratione inducere, neque ubi, neque per quos, neque qua spe, aut quo pretio, potes ostendere. Ego contra ostendo, non modo nihil eorum fecisse Sex. Roscium, sed ne potuisse quidem facere: quod neque Romae multis annis fuerit, neque de praediis umquam temere discesserit. Restare tibi videbatur servorum nomen, quo, quasi in portum, rejectus a ceteris suspicionibus, confugere posses ubi scopulum offendis ejusmodi, ut non modo ab hoc crimen resilire videas, verum omnem suspicionem in vosmetipsos recidere intelligas.

Quid est ergo a), quo tandem accusator, inopia argumentorum, confugerit? Ejusmodi tempus erat, inquit, ut homines vulgo impune occiderentur: quare ut hoc, propter multitudinem sicariorum, nullo

ANALYSIS.

a) *Quid est ergo*) Quod ultimo dixerat Erucius, propter iniquitatem eorum temporum non defuisse Roscio sicarios, refellitur, *ab Adjunctis* personarum:

Sicariorum principes non debent alteri objicere temporis iniquitatem;
Sed adversarii sunt sicariorum principes;
Ergo temporum iniquitatem non debent objicere Sex. Roscio.

negotio facere potuisti. Interim mihi videris, Eruci, una mercede duas res assequi velle: nos judicio perfundere 1): accusare autem eos ipsos, a quibus mercedem accepisti. Quid ais? vulgo occidebantur? per quos? et a quibus? Nonne cogitas, te a sectoribus huc adductum esse? Quid postea? Nescimus, per ista tempora, eosdem fere sectores fuisse collorum et bonorum? 2) Ii denique, qui tum armati dies noctesque concursabant, qui Romae erant assidui, qui omni tempore in praeda et sanguine versabantur, Sex Roscio temporis illius acerbitatem iniquitatemque objicient? et illam sicariorum multitudinem, in qua ipsi duces, ac principes erant, huic crimini putabunt fore, qui non modo Romae non fuit, sed omnino, quid Romae ageretur, nesciret, propterea quod ruri assiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit.

Vereor a), ne aut molestum sim vobis, Judices, aut ne ingeniis vestris videar diffidere, si de tam perspicuis rebus diutius disseram. Erucii criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est: nisi forte expectatis, ut illa diluam, quae de peculatu, ac de ejusmodi rebus commentitiis, inaudita nobis ante hoc tempus ac nova, objecit. Quae mihi iste visus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ita neque ad crimen parricidii, ne-

1) *Non judicio perfundere*) Speciem quamdam judicii nobis offundere, re vera autem eos accusare, etc. Est enim hoc in loco *perfundere*, quasi leviter aspergere.

2) *Sectores collorum et bonorum)* Quia, ut ait Manutius, quos occidebant, eorum bona tamquam proscriptorum emebant. Ideo autem colla secabantur, ut capita in rostra deferrentur. Ludit orator in ambigna hujus vocis significatione: nam *sector* a *seco*, quod verbum usurpari olim consuevit pro *sequor*, teste Servio in Aen. X. 107.

ANALYSIS.

a) *Vereor*) Veniam petit longioris orationis, et irridendo accusatoris inscitiam, primam partem *Contentionis*, quae de criminibus erat, concludit.

que ad eum, qui causam dicit, pertinebant. De quibus quoniam verbo arguit, verbo satis est negare. Si quid est, quod ad testes reservet: ibi nos quoque, ut in ipsa causa, paratiores reperiet, quam putabat.

CONTENTIONIS II. PARS.

XXX. Venio nunc a) eo, quo me non cupiditas ducit, sed fides. Nam si mihi liberet accusare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere: quod certum est non facere, dum utrumvis licebit. Is enim mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit, non qui ascendit per alterius incommodum et calamitatem. Desinamus aliquando ea scrutari, quae sunt inania: quaeramus, ubi maleficium et est, et inveniri potest. Jam intelliges, Eruci, certum crimen quam multis suspicionibus coarguatur. Tametsi neque omnia dicam, et leviter unumquodque tangam. Neque enim, id facerem, nisi necesse esset; et id erit signi, me invitum facere, quod non prosequar longius, quam salus hujus et mea fides postulabit.

Causam tu nullam reperiebas in Sex. Roscio. At ego in T. Roscio reperio. Tecum enim mihi res est, T. Rosci, quoniam istic sedes, ac te palam adversarium esse profiteris. De Capitone post viderimus, si quemadmodum paratum esse audio, testis prodierit: tum alias quoque suas palmas 1) cognoscet, de

ANALYSIS.

a) *Venio nunc*) Praemissa excusatione quadam, quod jam et ipse videatur alios accusare; insimulat T. Roscium ut conscium necis Sex. Roscii, ita *Ab Adjunctis:*

Caedis suspicio in eum magis cadit, cui ea bono fuit, quique erat tenuis, avarus, audax, et inimicus; quam in filium, cui nihil horum objici potest.

Sed talis est Titus Roscius:

Ergo in Titum magis cadit suspicio caedis, quam in Sextum.

1) *Palmas*, Caedes. Palma dabatur gladiatoribus adversarios occidentibus. Itaque cum Capitonem superius gladiatorem appellasset, non discedit a figura.

quibus me ne audisse quidem suspicatur. L. Cassius 1) ille a), quem populus Romanus verissimum et sapientissimum judicem putabat, identidem in causis quaerere solebat, *cui bono fuisset*. Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere. Hunc quaesitorem ac judicem fugiebant, atque horrebant ii, quibus periculum creabatur: ideo quod, temetsi veritatis erat amicus, tamen natura non tam propensus ad misericordiam, quam implicatus ad severitatem videbatur. Ego, quamquam praeest huic questioni vir, et contra audaciam fortissimus, et ab innocentia clementissimus 2): tamen facile me paterer, vel ille ipso acerrimo judice quaerente, vel apud Cassianos judices, quorum etiam nunc ii, quibus causa dicenda est, nomen ipsum reformidant, pro Sex. Roscio dicere.

XXXI. In hac enim causa cum viderent, illos amplissimam pecuniam possidere, hunc in summa mendicitate esse; illud quidem non quaererent, cui bono fuisset: sed eo perspicuum crimen, et suspicionem potius ad praedam adjungerent, quam ad egestatem. Quid si b) accedit eodem, ut tenuis antea

1) *Lucius Cassius*) De ejus integritate, et severitate in judicando vide Valer. Maxim. lib. 3. cap. 7. et Asconium in Miloniana, cap. 12.

2) *Ab innocentia clementissimus.*) Hoc est, ut explicat Hotomanus, in causa innocentium. Repugnat Graevius, et putat *ab innocentia* idem esse ac propter suam innocentiam. Ego sto ab Hotomano, primum quia nemo est clemens in alios, quin ipse integer; deinde quia membrum hoc debet opponi alteri, *contra audaciam fortissimus*; igitur *erga innocentiam clementissimus*.

ANALYSIS.

a) *L. Cassius ille*, Primam partem *Assumptionis*, *Cui bono fuerit*, confirmat auctoritate Cassii Iudicis, cujus laudat severitatem.

b) *Quid si*) Reliquas *Assumptionis* partes prosequitur, probatque *ab Effectibus*.

fueris? Quid si, ut avarus? Quid si, ut illius, qui occisus est, inimicissimus? Num quaerenda causa, quae te ad tantum facinus adduxerit? Quid ergo horum negari potest? Tenuitas hominis ejusmodi est, ut dissimulari non queat: atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. Avaritiam praefers 1), qui societatem coleris de municipis cognatique fortunis cum alienissimo 2). Quam sis audax (ut alia obliviscar) hinc omnes intelligere potuerunt, quod ex tota societate, hoc est, ex tot sicariis, solus tu inventus es, qui cum accusatoribus sederes, atque os tuum non modo ostenderes, sed etiam offerres. Inimicitias tibi fuisse cum Sex. Roscio, et magnas rei familiaris controversias; concedas necesse est.

Restat, Judices a), ut hoc dubitemus, uter potius Sex. Roscium occiderit is, ad quem morte ejus divitiae venerint: an is, ad quem mendicitas: is, qui antea tenuis fuerit; an is, qui postea factus sit egentissimus: is, qui ardens avaritia feratur infestus in suos, an is, qui semper ita vixerit, ut quaesitum nosset nullum; fructum autem eum solum, quem labore peperisset: is, omnium sectorum audacissimus sit; an is, qui propter fori judiciorumque insolentiam, non modo subsellia, verum etiam urbem ipsam reformidet: postremo, Judices, id quod ad rem, mea sententia, maxime pertinet, utrum inimicus potius, an filius.

XXXII. Haec tu b), Eruci, tot, et tanta si nactus esses in reo, quamdiu diceres? quo te modo

1) *Praefers)* Malim *prae te fers*, ut in manuscr. F. Ursini.

2) *Alienissimo)* Chrysogono.

ANALYSIS.

a) *Restat, Judices) Propositio*

b) *Haec tu)* In hac Erucium *Apostrophe* latet *Complexio*; simul autem ipsum irridet, ut accusatorem minimi pretii, doletque, imprudente Sylla, eos occisos fuisse, qui perditos homines et possent, et solerent accusare.

jactares? Tempus, hercule, te citius, quam oratio deficeret. Etenim in singulis rebus ejusmodi materies est, ut dies singulos possis consumere. Neque ego non possum: non enim mihi tantum derogo, tametsi nihil arrogo, ut te copiosius, quam me, putem posse dicere: verum ego forsitan, propter multitudinem patronorum, in grege annumerer. Te pugna Cannensis 1) accusatorem sat bonum fecit. Multos caesos non ad Thrasymenum 2) lacum, sed ad Servilium vidimus. Quis ibi non est vulneratus *ferro Phrygio* 3)? Non necesse est omnes commemorare, Curtios, Marios, denique Mamercos 4), quos jam aetas a praeliis avocabat 5): postremo Priamum 6) ipsum, senem Antistium, quem non

1) *Pugna Cannensis*) Existimo pugnae Cannensis mentionem fieri, non ob ipsam pugnam, sed ob ea, quae pugnam consequuta sunt. Quemadmodum enim post illam pugnam coactus est Romanus dictator etiam praetextatos armare, atque adeo servos ipsos inopia liberorum capitum, ut narrat Livius lib. 22. cap. 57., ita etiam post Syllanam stragem vel inepti homines coeperunt accusare, atque inopia bonorum videri boni. Itaque non tu, Eruci, bonus accusator es, inquit Tullius; sed bonum te facit pugna illa Cannensis, quae bonos sustulit.

2) *Ad Trasymenum*) Anno ante Cannensem pugnam Romanus exercitus caesus est ab Annibale, ad lacum Thrasymenum, cujus hic orator mentionem facit, quia videtur respondere *lacui Servilio* in ipsa urbe Roma, ubi multa civium millia a Sylla trucidata sunt, eorumque capita publice exposita. Unde lacus iste *proscriptionis Syllanae spoliarium* dicitur a Seneca, lib. de Provid. cap. 3.

3) *Quis non est vulneratus ferro Phrygio?*) Verba sunt Ulyssis apud Ennium (ut scribit vetus scholastes) excusantis se, quod vulneratus ex pugna fugisset in Achillis tentorium.

4) *Curtios, Marios, Mamercos*) Celeberrimos ejus aetatis accusatores. F. Ursinus pro *Mamercos* legendum putat *Memmeos* claros ea aetate accusatores, de quibus Cicero in Bruto cap. 36. Conjecturam ejus probabiliorem facit vetus liber, in quo *Memmeos*.

5) *A praeliis avocabat*) Ideoque non quia pugnare, sed quia accusare poterant, occisi sunt.

6) *Priamum*) Non oblitus ferri Phrygii, Priamo comparat Antistium. Uterque senectute summa occisus est, cum nocere nemini posset.

modo aetas, sed etiam leges pugnare prohibebant 1). Jam, quos nemo propter ignobilitatem nominat, sexcenti sunt: qui inter sicarios 2), et de beneficiis accusabant: qui omnes (quod ad me attinet) vellem viverent. Nihil enim mali est, canes ibi quam plurimos esse, ubi permulti observandi, multaque servanda sunt.

Verum, ut fit, multa saepe, imprudentibus imperatoribus, vis belli, ac turba molitur. Dum is in aliis rebus erat occupatus qui summam rerum administrabat; erant interea qui suis vulneribus mederentur: qui tamquam si offusa Reipublicae sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant. A quibus miror, ne quod judiciorum esset vestigium, non subsellia quoque esse combusta. Nam et accusatores, et judices sustulerunt. Hoc commodi est, quod ita vixerunt, ut testes omnes, si cuperent, interficere non possent. Nam, dum hominum genus erit, qui accuset eos, non deerit: dum civitas erit, judicia fient. Verum, ut coepi dicere, et Erucius, haec si haberet in causa, quae commemoravi, posset ea quamvis diu dicere, et ego, Judices, possum: sed in animo est, (quemadmodum ante dixi) leviter transire, ac tantummodo perstringere unamquamque rem: ut omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere.

XXXIII. Video igitur a) causas esse permultas, quae istum impellerent. Videamus nunc, ecqua fa-

1) *Leges pugnare prohibebant)* Si de praeliis forensibus totus hic locus explicandus est, notat senem Antistium tamquam ignominia affectum, aut turpi judicio damnatum; nam, ut observat Hotomanus ex Ulpiano, hujusmodi personae *removebantur a postulando.*

2) *Inter sicarios)* Lege Cornelia de sicariis. Vid. formulam eamdem cap. 5.

ANALYSIS.

a) *Video igitur* Secundo facultates occidendi considerat hoc modo:

cultas suscipiendi maleficii fuerit. Ubi occisus est Sex. Roscius? Romae. Quid? tu, Rosci, ubi tunc eras? Romae. Verum quid ad rem? et alii multi. Quasi nunc id agatur, quis ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quaeratur, eum, qui Romae sit occisus, utrum, verisimilius sit, ab eo esse occisum, qui assiduus eo tempore Romae fuerit: an ab eo, qui multis annis Romam omnino non accesserit.

Age, nunc ceteras facultates quoque consideremus. Erat tum multitudo sicariorum, id quod commemoravit Erucius: et homines impune occidebantur. Quid? ea multitudo quae erat? opinor, aut eorum, qui in bonis erunt occupati, aut eorum qui ab iis, conducebantur, ut aliquem occiderent. Si eos putas, qui alienum appetebant: tu es in eo numero, qui nostra pecunia dives es: sin eos quos qui leviore nomine appellant, percussores vocant, quaere, in cujus fide sint, et clientela: mihi crede, aliquem 2) de societate tua reperies. Et, quidquid tu contra dixeris, id cum defensione nostra contendito: ita facillime caussa Sex. Roscii cum tua conferetur.

Dices. Quid postea, si Romae assiduus fui? Respondebo. At ego omnino non fui. Fateor, me sectorem esse: verum et alii multi. At ego ut tu, te arguis) agricola, et rusticus. Non continuo, si me in gregem sicariorum contuli, sum sicarius. At ego profecto, qui ne novi quidem quemquam sicarium,

1) *In bonis)* In bonis occisorum diripiendis.
2) *Aliquem)* Id est, Chrysogonum, in cujus clientela erant sicarii, quia eorum opera utebatur.

ANALYSIS.

In eum magis cadit suspicio caedis, qui Romae fuit, qui sector est, et sicarius, quam in eum, cui nihil horum abjici potest;
Sed Titus Roscius Romae fuit, sector est, et sicarius, non autem Sextus;
Ergo in Titum potius, quam in Sextum cadit suspicio caedis.

longe absum ab ejusmodi crimine. Permulte snt,u quae dici possunt, quare intelligatur, summam tbii facultatem fuisse maleficii suscipiendi: quae non modo idcirco praetereo, quod teipsum non libenter accuso: verum eo magis etiam, quod, si de illis caedibus velim commemorare, quae tum factae sunt ista eadem ratione, qua Sex. Roscius occisus est, vereor, ne ad plures oratio mea pertinere videatur.

XXXIV. Videamus a) nunc strictim, sicut cetera, quae post mortem Sex. Roscii abs te, T. Rosci, facta sunt: quae ita aperta et manifesta sunt, ut medius fidius, Judices, invitus ea dicam. Vereor enim, cuicuimodi es, T. Rosci, ne ita hunc videar voluisse servare, ut tibi omnino non pepercerim. Cum hoc vereor, et cupio tibi aliqua ex parte (quod salva fide possim) parcere, rursus immuto voluntatem meam. Venit enim mihi in mentem oris tui. Tene, cum ceteri socii tui fugerent, ac se occultarent, ut hoc judicium non de illorum praeda, sed de hujus maleficio fieri videretur, potissimum tibi partes istas depoposcisse, ut in judicio versarere, et sederes cum accusatore? Qua in re nihil aliud assequeris, nisi ut ab omnibus mortalibus audacia tua cognoscatur, et impudentia.

Occiso Sex Roscio, qui primus Ameriam nuntiat? Mallius Glaucia, quem jam antea nominavi, tuus cliens, et familiaris. Quid attinuit eum potissimum nuntiare, quod, si nullum jam ante consilium de morte, ac de bonis ejus inieras, nullamque societatem, neque sceleris, neque praemii, cum homine ullo coieras, ad te minime omnium pertinebat? Sua

ANALYSIS.

a) *Videamus)* Tertio, quae caedem consequuta sunt, scrutatur; quod ipse T. Roscius nuntium caedis Ameriam miserit. 1. familiarem suum. 2. noctu. 3. magna cum festinatione. 4. non ad Capitonem inimicum. Utitur eleganti amplificatione, *Hypotyposin*, rem quasi ob oculos Judicibus ponit.

sponte Mallius nuntiat. Quid, quaeso, ejus intererat? an, cum Ameriam non hujusce rei caussa venisset, casu accidit, ut id, quod Romae audierat, primum nuntiaret? Cujus rei caussa venerat Ameriam? Non possum, inquit, divinare. Eo rem jam adducam, ut nihil divinatione opus sit. Qua ratione Roscio Capitoni primum nuntiavit? Cum Ameriae Sext. Roscii domus, uxor, liberique essent; cum tot propinqui, cognatique optime convenientes: qua ratione factum est, ut iste tuus cliens, sceleris tui nuntius, T. Roscio Capitoni potissimum nuntiaret?

Occisus est a coena rediens: nondum lucebat, cum Ameriae scitum est. Quid hic incredibilis cursus? quid haec tanta celeritas, festinatioque significat? Non quaero quis percusserit. Nihil est, Glaucia, quod metuas. Non excutio te, si quid forte ferri habuisti: non scrutor: nihil ad me arbitror pertinere. Quoniam, cujus consilio occisus sit, invenio: cujus manu sit percussus, non laboro. Unum hoc sumo, quod mihi apertum tuum scelus, resque manifesta dat. Ubi aut unde audivit Glaucia, qui tam cibo scivit? Fac audisse statim. Quae res eum nocte una tantum itineris contendere coegit? quae necessitas cum tanta premebat, ut, si sua sponte iter Ameriam faceret, id temporis Roma proficisceretur, nullam partem noctis requiesceret? Etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quaerenda, aut conjectura capienda sit.

XXXV. Nonne vobis haec, quae audistis cernere oculis videmini, Judices non illum miserum, ignarum casus sui, redeuntem a coena videtis? non positas insidias? non impetum repentinum? non versatur ante oculos vobis in caede Glaucia? non adest iste T. Roscius? non suis manibus in curru collocat Automedontem 1) illum, sui sceleris acerbissimi

1) *Automedontem*) Sic appellat Glauciam ob itineris hujus celeritatem. Fuit autem Automedon Achillis auriga, qui equos velocissimos Zephyri filios agebat.

nefariaeque victoriae nuntium? non orat, ut eam noctem pervigilet? ut honoris sui caussa laboret? ut Capitoni quam primum nuntiet?

Quid erat, quod Capitonem primum scire voluerit? Nescio; nisi hoc video, Capitonem in his bonis esse socium. De tribus et decem fundis tres nobilissimos fundos eum video possidere. Audio praeterea a), non hanc suspicionem nunc primum in Capitonem conferri: multas esse infames palmas: hanc primam esse tamen lemniscatam 1), quae Roma deferatur: nullum modum esse hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit: multos ferro, multos veneno. Habeo etiam dicere, quem, contra morem majorum, minorem annis LX, de ponte in Tyberim 2) dejecerit. Quae, si prodierit, atque adeo cum prodierit, (scio enim proditurum esse) audiet. Veniat modo: explicet suum volumen 3 illud, quod ei planum facere possum Erucium conscripsisse: quod ajunt illum Sex. Roscio intentasse: et minitatum esse, se omnia illa pro testimonio esse dicturum. O praeclarum testem, Judices! o gravita-

1) *Lemniscatam)* Nobilissimam, quia lemniscis, hoc est, fasciolis ornatam. Solebant autem et coronae, et palmae ad majorem honorem lemniscis ornari. Quam in rem Menardus affert Ausonii locum epist. 20. ad Paulinum, vers. 6.

2) *De ponte in Tyberim)* Aliquem T. Capito in Tyberim de ponte praecipitaverat. Qua in re jocatur Cicero, quod ut docet Varro apud Nonium, cap. 12. n. 22. *Sexagenarii de ponte dejicerentur.* Dejici porro dicebantur, quia tamquam cives effoeti a suffragiis ferendis more majorum arcebantur. Hinc senes *depontani* dicti. Suffragia autem per pontem ferri consuevisse notissimum est. Vide Sigonium de ent. jure civ. Rom. lib. 1. cap. 17.

3) *Suum volumen)* Erucius dictaverat Capitoni verba, quae pro testimonio diceret; eaque Capito Sex. Roscio minitatus fuerat.

ANALYSIS.

a) *Audio praeterita)* Capitonem increpat, ut a dicendo testimonio deterreat, eique nihil credendum esse ostendit *a Comparatione majorum*, sc. Africani, rursus deinde in T. Roscium orationem quam acerrime convertit.

tem dignam exspectatione? o vitam honestam, atque ejusmodi, ut libentibus animis ad ejus testimonium vestrum jusjurandum accommodetis! Profecto non tam perspicue istorum maleficia videremus, nisi ipsos caecos redderet cupiditas, et avaritia, et audacia.

XXXVI. Alter 1) ex ipsa caede volucrem nuntium Ameriam ad socium, atque ad magistrum 2) suum misit: ut, si dissimulare omnes cuperent se scire, ad quem maleficium pertineret, tamen ipse apertum suum scelus ante omnium oculos poneret. Alter 3) (si diis immortalibus placet) testimonium etiam in Sex. Roscium dicturus est. Quasi vero id nunc agatur, utrum id quod dixerit, credendum: an quod fecerit, vindicandum sit.

Itaque more majorum comparatum est, ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent. Africanus, qui suo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum se subegisse: tamen, si sua res ageretur, testimonium non diceret. Nam illud in talem virum non audeo dicere: si diceret, non crederetur. Videte nunc, quam versa et mutata in pejorem partem sint omnia. Cum de bonis, et de caede agatur, testimonium dicturus est is, qui et sector est, et sicarius, hoc est, qui et illorum ipsorum bonorum, de quibus agitur, emptor atque possessor est; et eum hominem occidendum curavit, de cujus morte quaeritur.

Quid tu, vir optime? ecquid habes, quod dicas? mihi ausculta: vide, ne tibi desis. Tua quoque res permagna agitur. Multa scelerate, multa audaciter, multa improbe fecisti: unum stultissime, profecto tua sponte, non de Erucii sententia: nihil opus fuit te istic sedere. Neque enim accusatore muto, neque teste quisquam utitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit. Huc accedit, quod paullo occultior,

1) *Alter*) T. Magnus.
2) *Magistrum*) id est lanistam.
3) *Alter*) T. Capito.

atque tectior vestra ista cupiditas esset. Nunc quid est, quod quisquam ex vobis audire desideret, cum quae facitis, ejusmodi sint, ut ea dedita opera a nobis contra vosmetipsos facere videamini? Age nunc *a)*, illa videamus, Judices, quae statim consequuta sunt.

XXXVII. Ad Volaterras in castra L. Syllae mors Sex. Roscii, quatriduo, quo is occisus est, Chrysogono nuntiatur. Quaeritur etiam nunc, quis eum nuntium miserit? Nonne perspicuum est, eumdem, qui Ameriam? Curat Chrysogonus, ut ejus bona veneant statim: qui non norat hominem, aut rem: atque ei venit in mentem praedia concupiscere hominis ignoti, quem omnino numquam viderat? Soletis, cum aliquid hujuscemodi auditis, Judices, continuo dicere, Necesse est, aliquem dixisse municipem, aut vicinum: ii plerumque indicant: per eos plerique produntur. Hic nihil est, quod suspicionem hanc putetis. Non enim ego ita disputabo: Verisimile est, Roscios istam rem ad Chrysogonum detulisse. Erat enim eis cum Chrysogono jam antea amicitia. Nam cum multos veteres a majoribus Roscii patronos, hospitesque haberent, omnes eos colere atque observare destiterunt, ac se in Chrysogoni fidem, et clientelam contulerunt. Haec possum omnia vere dicere: sed in hac caussa conjectura nihil opus est. Ipsos certo scio non negare, ad haec bona Chrysogonum accessisse impulsu suo. Si eum, qui indiciis partem acceperit, oculis cernetis

ANALYSIS.

a) *Age nunc)* Quarto cetera persequitur hac fere ratione:

Ii fuerunt auctores caedis, qui et rem indicarunt Chrysogono, et partem praedae reportarunt;

Sed duo Roscii Magnus, et Capito indicarunt rem Chrysogono, et in partem praedae venerunt;

Ergo illi duo caedis auctores censendi sunt.

Praeter alia quaedam, haec est approbatio *Assumptionis*: praemia a Chrysogono non reportassent, nisi rem indicassent, tam ampla vero, et magna praemia fuissent, nisi praeterea extitissent caedis auctores.

poteritisne dubitare, Judices, qui indicarit? Qui sunt igitur in istis bonis, quibus partem Chrysogonus dederit? Roscii. Nam quisnam praeterea? Nemo est, Judices. Num ergo dubium est, quin ii obtulerint hanc praedam Chrysogono, qui ab eo partem praedae tulerunt?

Age, nunc ex ipsius Chrysogoni judicio Rosciorum factum consideremus. Si nihil in ista pugna, Roscii, quod operae pretium esset, fecerant, quam ob caussam a Chrysogono tantis praemiis donabantur? Si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt, nonne satis fuit, his gratias agi, denique, ut per liberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? Cur tria praedia tantae pecuniae statim Capitoni dantur? cur quae reliqua sunt, iste Roscius omnia cum Chrysogono communiter possidet? Nonne perspicuum est, Judices, has manubias Rosciis Chrysogonum, recognita, concessisse?

XXXVIII. Venit in decem primis a) legatus in castra Capito. Totam vitam, naturam, moresque hominis ex ipsa legatione cognoscite. Nisi intellexeritis, Judices, nullum esse officium, nullum jus tam sanctum, atque integrum, quod non ejus scelus, atque perfidia violarit, et imminuerit, virum optimum esse eum judicatote.

Impedimento est, quo minus de his rebus Sylla doceatur: ceterorum legatorum consilia, et voluntatem Chrysogono enuntiat: monet, ut provideat, ne palam 1) res agatur. Ostendit, si sublata sit

1) *Ne palam)* Ne manifestum fiat, qua de caussa legati Amerinorum venerint in castra. Vide cap. 9.

ANALYSIS.

a) *Venit in decem-primis)* Capitonis perfidiam in Sex. Roscium exponit, quam amplificat duabus *Comparationibus minorum*; earum prima talis est:

Major est perfidia rem publice commissam prodere, quam negotium privatim mandatum negligenter gerere;

Sed hic etiam judicio de mandato damnari solet;

Ergo multo magis damnandus Capito, qui rem publice commissam perdidit.

venditio bonorum, illum pecuniam grandem amissurum, sese capitis periculum aditurum. Illum acuere; hos, qui simul erant missi, fallere: illum identidem monere, ut caveret, hisce insidiose spem falsam ostendere: cum illo contra hos inire consilia; horum consilia illi enuntiare: cum illo partem suam depacisci; hisce aliqua fretus hora semper 1) omnes aditus ad Syllam intercludere. Postremo isto hortatore, auctore, intercessore 2), ad Syllam legati non adierunt: istius fide, ac potius perfidia decepti (id quod ex ipsis cognoscere poteritis, si accusator voluerit testimonium 3) eis denuntiare) pro re certa spem falsam domum retulerunt.

1) *Aliqua fretus hora semper)* Semper capito aliquod Syllae impedimentum comminiscebatur, quo fretus in singulas horas legatis aditum impediret. Duo verba moverunt difficultatem interpretibus: primum est *fretus*; alterum *hora*. Quod ad primum attinet, ita ait F. Ursinus, *FRETUM legit Victorius: at Manutius habere FRETUS, nihilo meliore sententia*. Meliore tamen, inquam ego, constructione. Quoties enim infinitus modus ita effertus, persona agens primum casum tenet; cujus rei infinita sunt exempla, praesertim apud Historicos, quibus familiarissima est haec loquendi figura. Casus autem ille primus regit verbum, quod tacetur per ellipsim, v. g., hoc in loco *pergebat*. Miror proinde praestantissimos viros fere omnes sequutos esse Victorium, et ea exemplaria, quibus Victorius deceptus est. Quod vero alterum attinet, ego ab iis libentissime sto, qui nihil mutant. Non enim video, cur *horae* nequeant usurpari pro negotiis ipsis, quae qualibet hora fiunt: quemadmodum a Quintiliano lib. 6. cap. 4. Asinius Pollio dictus est *omnium horarum homo*, quod idem semper esset, omnibusque negotiis tum seriis, tum ludicris accomodatus. Juvat tamen aliorum sententias afferre, ut cuilibet fiat satis. Hotomanus pro *hora* legit *aura*, quod refert ad favorem Chrysogoni. Lambinus item legit *aura*, et per eam significari putat caussam inanem, ac fallacem instar aurae. Gruterus legit *remora*, Manutius *mora*: quam vocem probat etiam Graevius. *Sed non video*, inquit, *ut praecedentia verba constitui possint. Forte: hisce aliqua ficta mora, quam fingebant, ut illos moraretur, ne admitterentur ad Syllam.*

2) *Intercessore)* Impediente. Sic Tribuni Plebis intercedere, hoc est, impedire dicuntur.

3) *Testimonium)* Non ipse Cicero denuntiat: quia is tantum poterat denuntiare, qui debebat probare, hoc est actor.

In privatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosus gessisset, sui quaestus, aut commodi caussâ, verum etiam negligentius; eum majores summum admisisse dedecus existimabant. Itaque mandati constitutum est judicium, non minus turpe, quam furti. Credo a) propterea, quod, quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operae nostrae vicaria fides amicorum supponitur: quam qui laedit, oppugnat omnium commune praesidium, et, quantum in ipso est, disturbat vitae societatem. Non enim possumus omnia per nos agere. Alius in alia est re magis utilis. Idcirco amicitiae comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? cur mihi te offers, ac meis commodis, officio simulato, officis et obstas? recede de medio: per alium transigam. Suscipis onus 2) officii, quod te putas sustinere posse; quod minime videtur grave iis, qui minime ipsi leves sunt.

Ergo idcirco turpis haec culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam, et fidem. Nam neque mandat quisquam fere, nisi amico: neque credit, nisi ei, quem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis, simul et amicitiam dissolvere, et fallere eum, qui laesus non esset, nisi credidisset.

XXXIX. Itane est b)? in minimis rebus, qui man-

2) *Suscipis onus*) Per exprobationem diluit tacitam prolepsim; atque mandati onus nec grave esse nisi hominibus levibus, nec visum esse grave ipsi suscipienti. Sed quam vereor, ne desit aliquid! Non enim satis videtur Tulliano more expressa sententia. Certe haec oratio gravissimas passa est calamitates, ab hoc praesertim capite usque ad finem.

ANALYSIS.

a) *Credo) Assumptionis* approbatio *a Caussis*, quod duae auctissimae res violentur, fides, et amicitia.

b) *Itane est) Propositio,* et eo major perfidia est, quod in eo negotio fama, vita, et bona omnia Sex. Roscii agebantur.

datum neglexerit, turpissimo judicio condemnetur, necesse est: in re tanta, cum is, cui fama mortui, fortunae vivi commendatae sunt, atque concreditae 1), ** ignominia mortuum affecerit; is inter honestos homines, atque adeo inter vivos 2) numerabitur? In minimis, privatisque rebus etiam negligentia in crimen mandati, judiciique infamiam revocatur 3), propterea quod, si recte fiat, illum negligere oporteat, qui mandarit, non illum, qui mandatum receperit: in re tanta, quae publice gesta, atque commissa sit, qui non negligentia privatum aliquod

1) *Concredita* **) Non est dubitandum, quin desit hic membrum respondens *fortunis viri*, ut optimi interpretes observaverunt: v.g. *vivum ad egestatem redegerit*, aut aliquid simile.

2) *Inter vivos)* Quia hujus criminis reus non modo ex honestorum *, sed etiam vivorum numero expungendus est, ut scribit Graevius. Gruterus legit *justos*: Hotomanus *viros*. Fortasse legendum *homines*, quam repetitionem cum excriptor aliquis non caperet, reposuit *viros*. Nisi dicere malimus deesse *bonos*, et legendum esse, *inter bonos viros*.

3) *In crimen mandati, judiciique infamiam revocatur.*) Plerique ad Graevium usque habent *judiciumque infamia*. Sed hinc nullus erui potest sensus, ut omnes ultro fatentur. Ego sequutus sum editiones Gryphianas, et alias non minimae auctoritatis, quas vidit Hotomanus ipse, licet non probarit, Manutius unicus literae additione rem conficit, legitque *judiciumque infamia*. Sed haec lectio non probatur Lambino, quod Latine dici non soleat *judicium infamia*; sed *judicium existimatione, famae, etc.* Scio equidem Lambinum improbasse etiam nostram; sed nullam tamen rationem attulit, cur improbaret. Ipse porro legit; *in crimen, judiciumque infame vocatur*. Sed praeterquam quod nimia mutatio est, nulloque aut manuscripto, aut edito codice confirmata, accedit quod dura videtur pluraris, *vocari in judicium infame*. Quod Hotomanus? *In crimen mandatique, judicium infama revocatur*. Sedpraeterquam quod divinat, numerus hic orationis, et modus efferendi non nihi offensionis habet. Graevius putat, *mandati* nomen non suo loco poni, vocem vero *infamiae* esse interpretationem *criminis*, quae irrepserit in contextum. Itaque mallet legere: *negligentia mandati in crimen, judiciumque revocatur*. Sed tamen nihil affirmat.

commodum laeserit, sed perfidia legationis ipsius caeremoniam polluerit, maculaque affecerit: qua is tandem poena afficietur? aut quo judicio damnabitur?

Si hanc ei rem privatim Sex. Roscius mandavisset, ut cum Chrysogono transigeret, atque decideret, inque eam rem fidem suam, si quid opus esse putaret, interponeret: ille, qui sese facturum recepisset, nonne, si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset, damnatus per arbitrum 1), et rem restitueret, et honestatem omnem amitteret? Nunc non hanc ei rem Sex. Roscius mandavit, sed id quod multo gravius est, ipse Sex. Roscius cum fama, vita, bonisque omnibus a Decurionibus publice Roscio 2) mandatus est: et ex eo T. Roscius non paullum nescio quid in rem suam convertit; sed hunc funditus evertit bonis: ipse tria praedia sibi depactus est; voluntatem Decurionum, ac municipium omnium tantidem, quanti fidem suam, fecit.

XL. Videte jam a) porro cetera, Judices, ut intelligatis fingi maleficium nullum posse, quo iste sese non contaminarit. In rebus minoribus socium fallere, turpissimum est, aequeque turpe, atque illud, de quo ante dixi. Neque injuria: propterea quod auxilium sibi se putat adjunxisse, qui cum altero rem communicavit. Ad cujus igitur fidem confugiet, cum per ejus fidem laeditur, cui se commiserit? Atqui ea sunt animadvertenda peccata maxime, quae difficil-

1) *Per arbitrum)* Judicia bonae fidei, quale erat judicium mandati, dicebantur *arbitria*, judex vero *arbiter*.

2) *Publice Roscio)* Id est Capitoni. Sed vox *Roscio*, ut mihi videtur, redundat, et ab aliquo sciolo addita margini est ad explicationem, postea in contextum ab excriptoribus recepta.

ANALYSIS.

a) *Videte jam)* Altera *Comparatio minorum* sic se habet:

Pejus est socios, legatos publicos prodere, quam rei pecuniariae socium fallere;
Sed is, qui socium rei pecuniariae fefellit, damnatur judicio pro Socio;
Ergo multo magis damnandus Capito, qni socios prodidit, legatos publicos.

lime praecaventur. Tecti esse ad alienos 1) possumus: intimi multa apertiora videant, necesse est: socium vero cavere qui possumus? quem etiam si metuimus, jus officii laedimus. Recte igitur majores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere.

At vero T. Roscius non unum rei pecuniariae socium fefellit, (quod tametsi grave est, tamen aliquo modo posse ferri videtur) verum novem homines honestissimos, ejusdem muneris, legationis, officii, mandatorumque socios, induxit, decepit, destituit, adversariis tradidit, omni fraude, et perfidia fefellit. Qui de ejus scelere suspicari nihil potuerunt, socium officii metuere non debuerunt: ejus malitiam non viderunt: orationi vanae crediderunt. Itaque nunc illi homines honestissimi propter istius insidias parum putantur cauti, providique fuisse. Iste, qui initio proditor fuit, deinde perfuga 2), qui primo sociorum consilia adversariis enuntiavit, deinde societatem cum ipsis adversariis coiit, terret etiam nos, ac minatur, tribus praediis, hoc est, praemiis sceleris, ornatus. In ejusmodi vita a), Judices, in his tot, tan-

1) *Tecti esse ad alienos)* Id est, tegere possumus omnia nostra consilia alienis: intimis eo ipso, quod intimi sunt, patere multa necesse est: socii ipsi societatis jure sciunt omnia. Itaque alienos cavere possunt, quia omnia nostra ignorant: cavere possumus intimos, quibus etsi patent multa, non tamen omnia: socium vero cavere nullo modo possumus, qui ut in partem, ita in cognitionem rerum omnium vocatur. Porro *ad alienos* seu *quod attinet ad alienos*. Cujus dictionis exempla passim occurrunt.

ANALYSIS.

a) *In ejusmodi vita)* His praemissis, ita demum Cicero concludit;

Probabile est, perfidiosum hominem, et perditum caedem fecisse;
Talis est T. Capito;
Ergo probabile est, eum hanc caedem fieri jussisse.

tisque flagitiis, hoc quoque maleficium, de quo judicium est, reperietis. Etenim quaerere ita debetis: ubi multa avare, multa audacter, multa improbe, multa perfidiose facta videtis, ibi scelus 1) quoque latere inter illa tot flagitia putatote. Tametsi hoc quidem minime latet, quod ita promptum, et propositum est, ut non ex illis maleficiis: quae in illo constat esse, hoc intelligatur: verum ex hoc etiam, si quod illorum forte dubitabitur, convincatur. Quid tandem a), quaeso, Judices? num aut ille lanista omnino jam a gladiis recessisse videtur: aut iste discipulus magistro tantulum de arte concedere? Par est avaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia.

XLI. Etenim, quoniam fidem magistri 2) cognostis, cognoscite nunc discipuli aequitatem 3). Dixi jam antea, saepenumero postulatos esse ab istis duos servos in quaestionem. Tu semper, T. Rosci, recusasti. Quaero abs te, iine, qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent? an iste non commovebat pro quo postulabant? an res ipsa tibi iniqua videbatur? Postulabant homines nobilissimi 4), atque integerrimi nostrae civitatis, quos jam antea nominavi: qui ita vixerant, talesque a populo Romano putantur, ut, quicquid dicerent, nemo esset, qui non aequum

1) *Ibi scelus) Ibi id scelus* legendum putat Graevius, et quidem recte.

2) *Fidem magistri*) Malam Capitonis fidem, qui legationem prodidit. Dictum supra.

3) *Discipuli aequitatem*) Roscii Magni iniquitatem, qui servos in quaestionem dare non vult.

4) *Homines nobilissimi*) Metelli, et Scipiones, de quibus cap. 28.

ANALYSIS.

a) *Quid tandem*) Redit ad T. Roscium Magnum, et illud praecipue exagerat, quod recusaverat petenti Roscio duos paternos Servos in quaestionem concedere: et inde colligit, innocentem esse Sextium, qui quaeri velit; nocentem Titum, qui quaestionem reformidet; Chrysogonum tamen liberare a culpa videtur;

putaret. Postulabant autem pro homine miserrimo, atque infelicissimo, qui vel ipse sese in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quaereretur. Res porro abs te ejusmodi postulabatur, ut nihil interesset, utrum eam rem recusares, an de maleficio confiterere.

Quae cum ita sint, quaero abs te quam ob caussam recusaris. Cum occiditur Sex. Roscius, ibidem fuerunt. Servos ipsos, quod ad me attinet, neque arguo, neque purgo: quod a vobis hoc pugnari video, ne in quaestionem dentur, suspiciosum est. Quod vero apud vos ipsos in honore tanto sunt, profecto necesse est, sciant aliquid, quod si dixerint, perniciosum vobis futurum sit. In dominos quaeri de servis iniquum est. Anne quaeritur 1)? Sex. enim Roscius reus est. Neque enim cum de hoc quaeritur, vos dominos esse dicitis. Cum Chrysogono sunt 2). Ita credo: literis eorum, et urbanitate Chrysogonus ducitur, ut inter suos omnium deliciarium, atque omnium artium puerulos ex tot elegantissimis familiis lectos, velit, hos versari, homines pene operarios, ex amerina disciplina patrisfamiliae rusticani. Non est ita profecto, Judices: non est verisimile, ut Chrysogonus horum literas adamarit, aut humanitatem: non ut rei familiaris negotio diligentiam cognorit eorum, et fidem. Est quiddam, quod occultatur. Quod quo studiosius ab ipsis opprimitur, et absconditur, eo magis eminet, et apparet.

XLII. Quid igitur? Chrysogonus sui maleficii occultandi caussa quaestionem de his haberi non vult? Minime, Judices. Non in omnes arbitror omnia convenire. Ego in Chrysogono, quod ad me attinet, ni-

1) *Anne quaeritur)* Id est, non quaeritur in dominos; quia neque Sex. Roscius amplius dominus est, neque vos dominos esse fatemini. Ergo sive in illum, sive in vos quaeratur, non quaeritur in dominos.

2) *Cum Chrysogono sunt)* Altera adversariorum excusatio, quod servos non habent in potestate, ideoque non possint eos in quaestionem dare.

hil ejusmodi suspicor: neque hoc mihi nunc primum in mentem venit dicere. Meministis, me ita distribuisse initio caussam, in crimen, cujus tota argumentatio permissa Erucio est; et in audaciam, cujus partes Rosciis impositae sunt. Quidquid maleficii, sceleris, caedis erit, proprium id Rosciorum esse debebit. Nimiam gratiam, potentiamque Chrysogoni dicimus, et nobis obstare, et perferri nullo modo posse: et a vobis, quoniam potestas data est, non modo infirmari, verum etiam vindicari oportere.

Ego sic existimo, qui quaeri velit ex iis, quos constat, cum caedes facta sit, adfuisse, eum cupere verum invenire: qui recuset, eum profecto, tametsi verbo non audeat, tamen re ipsa de maleficio suo confiteri. Dixi initio a), Judices nolle me plura de istorum scelere dicere, quam caussa postularet, ac necessitas ipsa cogeret. Nam, et multae res afferri possunt, et unaquaeque earum multis cum argumentis dici potest. Verum ego, quod invitus, ac necessario facio, neque diu, neque diligenter facere possum. Quae praeteriri nullo modo poterant, ea leviter, Judices, attigi: quae posita sunt in suspicionibus, de quibus si coepero dicere, pluribus verbis sit differendum, ea vestris ingeniis conjecturaeque committo.

CONTENTIONIS III. PARS.

XLIII. Venio nunc b) ad illud nomen aureum.

ANALYSIS.

a) *Dixi initio)* Conclusio hujus secundae partis.

b) *Venio nunc)* Accedit ad tertiam partem *Contentionis*, quae ad Chrysogonum spectat; et praemissa excusatione si quid libere dicturus fuerit, ostendit imprimis vendi non potuisse bona Sex. Roscii, ita ex lege Valeria:

Lex Valeria jubet vendi bona illorum, qui proscripti fuerint, aut qui occisi in praesidiis adversariorum;

Sed Sex. Roscius neque inter proscriptos fuit, neque inter occisos in iis praesidiis:

Ergo illius bona vendi per legem Valeriam non poterant.

1) Chrysogoni, sub quo nomine tota societas statuitur: de quo, Judices, neque quomodo dicam, neque quomodo taceam, reperire possum. Si enim taceo; vel maximam partem relinquo. Sin autem dico; vereor, ne non ille solus (id quod ad me nihil attinet) sed alii quoque 2) plures laesos se esse putent. Tametsi ita se res habet, ut mihi in communem caussam sectorum dicendum nihil magnopere videatur. Haec enim caussa nova profecto, et singularis est.

Bonorum Sex. Roscii emptor est Chrysogonus. Primum hoc videamus ejus hominis bona, qua ratione venierunt, aut quomodo venire poterunt? Atque hoc non ita quaeram, Judices, ut id dicam esse indignum, hominis innocentis bona veniisse. Si enim haec audientur, ac libere dicentur 3): non fuit tantus 4) homo Sex. Roscius in civitate, ut de eo potissimum conqueramur. Verum hoc ego quaero, qui potuerunt ista ipsa lege, quae de proscriptione est, sive Valeria est, sive Cornelia 5), (non enim novi, nec scio) verum ista ipsa lege, bona Sex. Roscii venire qui potuerunt? Scriptum enim ita dicunt esse, *Ut eorum bona veneant, qui proscripti sunt:* quo in numero Sex. Roscius non est: *ut eorum, qui adversariorum praesidiis occisi sunt.* Dum praesidia ulla fue-

1) *Nomen aureum*) Quia nomen Chrysogoni fit a χρυσο, et γονος: estque quasi *foetus aureus.*

2) *Alii quoque*) Qui bona proscriptorum civium emerunt.

3) *Si enim haec audientur, ac libere dicentur*) Id est, si quando talia libere dici, et audiri poterunt, non de tantulo homine potissimum querentur, cum alii multo illustriores eadem injuria laesi fuerint.

4) *Non fuit tantus*) Nobiliores, ac praestantiores cives proscripti sunt, de quibus esset conquerendum.

5) *Sive Valeria est, sive Cornelia*) Indignantis est, et stomachantis. Interfectis Coss. Carbone, et Mario, L. Valerius Flaccus interrex, Dictatorem dixit Cornelium Syllam, simulque legem tulit, ut omnia rata essent, quae Sylla fecisset. Sive igitur, inquit Tullius, haec lex *Valeria* est a suo auctore, sive *Cornelia* ab eo, cujus gratia lata est.

runt, in Syllae praesidiis fuit. Posteaquam ab armis recesserunt, in summo otio, rediens a coena, Romae occisus est. Si lege 1): bona quoque lege veniisse fateor. Sin autem constat contra omnes non modo veteres leges, verum etiam novas, occisus esse: bona quo jure, aut quomodo, aut qua lege venierint, quaero.

XLIV. In quem a) hoc dicam quaeris, Eruci? Non in eum, quem vis, et putas. Nam Syllam, et oratio mea ab initio, et ipsius eximia virtus omni tempore purgavit. Ego haec omnia Chrysogonum fecisse dico, ut ementiretur, ut malum civem Roscium fuisse fingeret, ut eum apud adversarios occisum esse diceret, ut hisce de rebus a legatis Amerinorum doceri L. Syllam passus non sit. Denique b) etiam illud suspicor, omnino haec bona non veniisse: id quod postea, si per vos, Judices, licitum erit, aperietur.

Opinor enim esse in lege, quam ad diem proscriptiones, venditionesque fiant: nimirum ad Kalend. Junias. Aliquot post menses, et homo occisus est, et bona veniisse dicuntur. Profecto aut haec bona in tabulas publicas nulla redierunt, nosque ab isto nebulone facetius eludimur, quam putamus: aut, si redierunt, tabulae publicae corruptae aliqua ratione sunt. Nam lege quidem bona venire non potuisse constat. Intelligo c), me ante tempus, Judices, haec

1) *Si lege*) Si lege occisus est.

ANALYSIS.

a) *In quem*) Culpam omnem a Sylla removet, et in Chrysogonum transfert.

b) *Denique*) Deinde neque veniisse probat ea bona, quod occisus fuerit Sex. Roscius post tempus proscribendis bonis praescriptum a lege.

c) *Intelligo*) Rursus veniam petit, ut sibi libere dicere liceat, quae velit; mox simul omnia Chrysogono exprobat, quae inique fecerat in Roscium; tandem Syllam excusat hoc argumento a *Comparatione majorum*:

Quid vis divina assequi non potest, multo minus humana consequatur;

Sed imprudente Jove multa eveniunt in Mundo mala;

Ergo et in imperio multa secus evenire necesse est, imprudente Sylla.

scrutari, et propemodum errare, qui, cum capiti Sex. Roscii mederi debeam, rediviam 1) curem. Non enim laborat de pecunia; non illius rationem sui commodi ducit; facile egestatem suam se laturum putat, si hac indigna suspicione, et ficto crimine liberatus sit.

Verum quaero a vobis, Judices, ut haec pauca, quae restant, ita audiatis, ut partim me dicere pro me ipso putetis, partim pro Sex. Roscio. Quae enim mihi ipsi indigna, et intolerabilia videntur, quaeque ad omnes, nisi providemus, arbitror pertinere: ea pro me ipso, ex animi mei sensu, ac dolore pronuntio. Quae ad hujus vitae casum, caussamque pertineant, et quid hic pro se dici velit, et qua conditione contentus sit, jam in extrema oratione nostra, Judices, audietis. Ego haec a Chrysogono, mea sponte, remoto Sex. Roscio, quaero.

XLV. Primum, quare civis optimi bona venierint: deinde, quare hominis ejus, qui neque proscriptus, neque apud adversarios occisus est, bona venierint, cum in eos solos lex scripta sit: deinde quare aliquanto post eam diem venierint, quae dies in lege praefinita est: deinde, cur tantulo venierint. Quae omnia si, quemadmodum solent liberti nequam, et improbi facere, in patronum suum voluerit conferre; nihil egerit. Nemo est enim, qui nesciat, propter magnitudinem rerum multa multos, partim connivente 2), partim imprudente L. Sylla, commisisse.

Placet igitur in his rebus aliquid imprudentia praeteriti? Non placet, Judices, sed necesse est.

1) *Rediviam)* *Rediviam* inquit Festus, *'alii reluvium appellant, cum circa ungues cutis se resolvit; quia luere, est solvere:*

2) *Partim connivente)* Non extare verba haec in suis antiquis codicibus monuit Gruterus, et fortasse ab aliquo sciolo addita esse. Ita opinor; non poterat enim excusari Sylla, ubi connivebat.

Etenim a) si Jupiter Optimus Maximus, cujus nutu, et arbitrio caelum, terra, mariaque reguntur, saepe ventis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus aut nimio calore, aut intollerabili frigore hominibus nocuit, urbes delevit, fruges perdidit: quorum nihil pernicii 1) caussa, divino consilio, sed vi ipsa, et magnitudine 2) rerum, factum putamus: at contra, commoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, ab eo nobis dari, atque impertiri videmus: quid miramur b), L. Syllam, cum solus Rempublicam regeret, orbemque terrarum gubernaret, imperiique majestatem, quam armis receperat, legibus confirmarent, aliqua animadvertere non potuisse, nisi hoc c) mirum est, quod vis divina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit.

Verum d), ut haec missa faciam, quae jam facta sunt: ex iis, quae nunc maxime fiunt, nonne quivis potest intelligere, omnium architectum, et machinatorem unum esse Chrysogonum, qui Sex. Roscii nomen deferendum curavit? Hoc judicium, cujus honoris caussa accusare se dixit Erucius.

1) *Pernicii)* Alii *pernicies*. Alii *pernicie*. Alii *perniciei*. Omnia defendi possunt, ut est apud Gellium l. 9. cap. 14. Ipse tamen Gellius hoc in loco probat primum.

2) *Vi et magnitudine)* Pro, magna vi, per figuram, quam Graeci dicunt *ἓν διὰ δυοῖν*. Quemadmodum Virgilius II. Goerg. v. 192. *Pateris libans, et auro*, hoc est, pateris auratis. Putabant autem veteres Jovem ipsum fato subjici, ac rerum ordine rapi.

ANALYSIS.

a) *Etenim) Assumptio*, ejusque approbatio qua Deo assignat, quae bona sunt, et praeter ejus voluntatem contingere sentit, quae aliquid habent incommodi: dictum Ethnico homine, et a vera Religione abhorrente plane dignum.

b) *Quid miramur) Complexio.*

c) *Nisi hoc) propositio.*

d) *Verum)* ad alia transit, quae injuria temporum periere.

XL. VI. 1) *** Aptam a) et ratione dispositam se habere existimant, qui in Salentinis, aut in Brutiis habent, unde vix ter in anno audire nuntium possunt.

Alter tibi 2) descendit de palatio, et aedibus suis: habet animi relaxandi caussa rus amoenum, et suburbanum, plura praeterea praedia, neque tamen ullum, nisi praeclarum, et propinquum: domus referta vasis Corinthiis, et Deliacis, in quibus est authepsa 3) illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, ut, qui praetereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. Quid praeterea caelati argenti? quid stragulae vestis? quid pictarum tabularum? quid signorum? quid marmoris apud illum putatis esse? Tantum scilicet quantum e multis, splendidisque familiis in turba, et rapinis coacervari una in domo potuit.

Familiam vero quantam, et quam variis cum artificiis habeat, quid ego dicam? Mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios. Animi, et aurium caussa tot homines habet, ut quotidiano cantu vocum, et nervorum, et tibiarum, nocturnisque conviviis tota vicinitas personet. In hac vita, Judices, *** *Desunt non pauca*.

1) *** Desunt non pauca], quibus ostenditur, bona non veniisse.

Aptam, et ratione) Hoc est, alii Syllae liberti (ut supplet Lambinus) domum aptam, et idoneam se habere existimant, etc. Cum enim Sylla omnibus libertis suis multa tribuisset, Chrysogonum tamen supra ceteros ditaverat usque ad delicias, et intolerandam potentiam.

2) *Alter tibi)* Vox *tibi* miram vim habet creandae invidiae. Solet autem adhiberi ad indignationem, aut irrisionem.

3) *Authepsa)* αὐθέψη, ex αυτος, et ἕψω, quasi ipsa per se cibos coqueret. Fuit autem vas in superiore parte continens res coquendas, in inferiore ignem qualia nunc quoque adhiberi solent ad multas sorbitionum delicias.

ANALYSIS.

a) *Aptam)* Exaggerat luxuriam Chrysogoni, nimias divitias, et sumptus; habitum praeterea increpat, et arrogantiam.

ta, Judices, quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? Quae vero convivia? honesta, credo, in ejusmodi domo: si domus haec habenda est potius, quam officina nequitiae, et diversorium flagitiorum omnium.

Ipse vero quemadmodum composito, et delibuto capillo passim per forum volitet cum magna caterva togatorum videtis. Judices, ut omnes despiciat, ut hominem prae se neminem putet; ut se solum beatum, solum potentem putet. Quae vero efficiat, et quae conetur, si velim commemorare, vereor, Judices, ne quis imperitior existimet, me caussam nobilitatis, victoriamque voluisse laedere: tametsi a) meo jure possum, si quid in hac parte mihi non placeat, vituperare. Non enim vereor, ne quis alienum me animum habuisse a caussa nobilitatis existimet.

XLVII. Sciunt ii, qui me norunt, me pro illa tenui 1), infirmaque parte, posteaquam id, quod maxime volui, fieri non potuit, ut componeretur; id maxime defendisse, ut ii vincerent, qui vicerunt. Quis enim erat, qui non videret, humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? quo in certamine b) perditi civis erat, non se ad eos jungere,

1. *Pro illa tenui)* Pro illa mearum virium, atque opum tenuitate, explicat Lambinus. Non tamen contemnenda est explicatio Hotomani, qui hoc refert ad partem Marii, Cinnae, et Carbonis; pro qua parte maxime voluisset Cicero, ut componeretur.

ANALYSIS.

a) *Tametsi)* Ne videretur improbare caussam Nobilitatis, operae praetium fuit exponere, quid de caussa nunc senserit, et quid nunc sentiat de victoria: hinc tali ratione insurgit contra Chrysogonum:

Utile est Nobilibus prohibere, ne infimus quisque in reliquorum vitam, et bona impetum faciat;

Sed is maxime est Chrysogonus;

Ergo utile est Nobilibus Chrysogoni cupiditati, et arrogantia resistere.

b) *Quo in certamine)* *Propositionis* approbatio *a Caussa finali* belli civilis, quod gestum fuerat, ut ademptus infimis hominibus honos restitueretur Nobilibus.

quibus incolumibus, et domi dignitas, et foris auctoritas retineretur. Quae perfecta esse, et suum cuique honorem, et gradum redditum, gaudeo, Judices, vehementerque laetor: eaque omnia Deorum voluntate, studio Populi Romani, consilio, et imperio, et felicitate L. Syllae, gesta esse intelligo.

Quod animadversum est in eos, qui contra omni ratione pugnarunt; non debeo reprehendere. Quod viris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis extitit, honos habitus est; laudo. Quae ut fierent, idcirco pugnatum esse arbitror, meque in eo studio partium fuisse confiteor. Sin autem id factum est, idcirco arma sumpta sunt, ut homines postremi pecuniis alienis locupletarentur, et in fortunas uniuscujusque impetum facerent, et id non modo re prohibere non licet, sed ne verbis quidem vituperare: tum vero in isto bello non recreatus, neque restitutus, sed subactus, oppressusque Populus Romanus est. Verum longe aliter est. Nihil horum est, Judices. Non modo non laedetur caussa nobilitatis, si istis hominibus resistetis, verum etiam ornabitur.

XLVIII. Etenim a) qui haec vituperare volunt, Chrysogonum tantum posse queruntur: qui laudare volunt, concessum ei non esse commemorant. Ac jam nihil est, quod quisquam aut tam stultus, aut tam improbus sit, qui dicat. *Vellem quidem liceret: hoc dixissem*. Dicas licet. *Hoc fecissem*. Facias licet: nemo prohibet. *Hoc decrevissem*. Decerne, modo recte: omnes approbabunt. *Hoc judicassem*. Laudabunt omnes, si recte, et ordine judicaris.

Dum necesse erat, resque ipsa cogebat, unus omnia poterat: qui posteaquam Magistratus creavit, legesque constituit, sua cuique procuratio, auctoritas-

ANALYSIS.

a) *Etenim)* Secunda approbatio a communi omnium sensu, et *ab effectibus* victoriae Syllanae.

que est restituta. Quam si retinere volunt ii, qui recuperarunt, in perpetuum poterunt obtinere. Sin has caedes a), et rapinas, et hos tantos, tamque profusos sumptus, aut facient, aut approbabunt; nolo in eos gravius quidquam, ne hominis quidem caussa dicere. Unum hoc dico: nostri isti nobiles, nisi vigilantes, et boni, et fortes, et misericordes erunt; iis hominibus, in quibus haec erunt, ornamenta sua concedant necesse est.

Quapropter desinant aliquando dicere, male aliquem loquutum esse, si quis vere, ac libere loquutus sit: desinant suam caussam cum Chrysogono communicare: desinant, si ille laesus sit, de se aliquid detractum arbitrari: videant, ne turpe, miserumque sit, eos, qui equestrem splendorem pati non potuerunt 1), servi nequissimi dominationem ferre posse. Quae quidem dominatio b), Judices, in aliis rebus antea versabatur: nunc vero quam viam munitet, quod iter affectet, videtis. Ad fidem, ad jusjurandum, ad judicia vestra, ad id, quod solum prope in civitate sincerum, sanctumque restat. Hicne etiam sese putat aliquid posse Chrysogonus? hic etiam potens esse vult? O rem miseram, atque acerbam! Neque mehercule hoc indigne fero, quod verear, ne quid possit: verum quod ausus est, quod speravit,, sese apud tales viros, aliquid ad perniciem posse innocentis, idipsum queror.

XLIX. Idcircone experrecta nobilitas armis, atque erro Rempublicam recuperavit, ut ad libidinem suam liberti, servulique nobilium, bona, fortuna vestra, no-

1) *Pati non potuerunt)* Pati non potuerunt, equites judicare. Itaque judicia ad Senatorem ordinem translata sunt.

ANALYSIS.

a) *Sin has caedes)* Tertia *a Consequentibus*, quod periculum sit, ne Nobiles hac ratione parta per victoriam decora rursus amittant.

b) *Quae quidem dominatio) Assumptio*, et Chrysogoni temeritatem amplificat, qui apud Judices etiam plurimum se contra innocentiam valere putaverit.

strasque vexare possent? Si id actum est fateor me errasse, qui hoc maluerim: fateor insanisse, qui cum illis senserim. Tametsi inermis, Judices, sensi. Sin autem victoria nobilium ornamento, atque emolumento Reipublicae, Populoque Romano debet esse; tum vero optimo, et nobilissimo cuique mea orationem gratissimam esse oportet. Quod si quid est, qui et se, et caussam laedi putet, cum Chrysogonus vituperetur: is caussam ignorat, seipsum prope non novit. Caussa enim splendidior fiet, si nequissimo cuique resistetur. Ille improbissimus Chrysogoni fautor, qui sibi cum illo rationem communicatam putat, laeditur, cum ab hoc splendore caussae separatur.

PERORATIO.

Verum haec a) omnis oratio (ut jam ante dixi) mea est: qua me uti Respublica, et dolor meus, et istorum injuria coegit. Sed Roscius horum nihil indignum putat: neminem accusat: nihil de suo patrimonio queritur: putat homo imperitus morum, agricola, et rusticus, ita omnia, quae vos per Syllam gesta esse dicitis, more, lege jure gentium facta: culpa liberatus, et crimine nefario solutus cupit a vobis discedere. Si haec indigna suspicione careat, animo aequo se carere sui omnibus commodis dicit. Rogat, oratque te, Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem convertit: si nulla in re te fraudavit; si tibi optima sua om-

ANALYSIS.

a) *Verum haec)* Orator *Misericordiam* excitat in Roscio, *odium* vero in Chrysogonum hujusmodi argumento.

Ille vestra dignus est Misericordia, qui patienter adversis acquiescit, et cui ultimum etiam exitium intentatur.

Talis est Sex. Roscius;

Ergo misericordia Judicum dignissimum est.

Propositio est Arist. l. 2. c. 8. tex. 89. et 92. *Assumptionem* autem amplificat ostendens, quam prompte Roscius omnia bona sua Chrysogono concesserit, quam tuto hic bona erepta possit obtinere.

nia concessit, adnumeravit, appendit: si vestitum, quo ipse tectus erat, annulumque de digito suum tibi tradidit: sit ex omnibus rebus se ipsum, nudum, neque praeterea quidquam excepit: sibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egestate degere.

L. Praedia mea tu possides: ego aliena misericordia vivo: concedo: et quod animus aequus est, et quia necesse est. Mea domus tibi patet, mihi clausa est: fero. Familia mea maxima uteris, ego servum habeo nullum: patior, et ferendum puto. Quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem laedi a me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obsto? Si spoliorum caussa vis hominem occidere spoliasti: quid quaeris amplius? Si inimicitiarum: quae sunt tibi inimicitiae cum eo cujus ante praedia possedisti, quam ipsum cognosti? Sin metuis: ab eone aliquid metuis, quem vides ipsum ab sese tam atrocem injuriam propulsare non posse? Sin, quod bona, quae Roscii fuerunt, tua facta sunt, idcirco hunc illius filium studes perdere: nonne ostendis, id te vereri, quod praeter ceteros tu metuere non debeas, ne quando liberis proscriptorum bona patria reddantur. Facis injuriam, Chrysogone si majorem spem emptionis tuae in hujus exitio poni, quam in his rebus, quas L. Sylla gessit.

Quod si tibi caussa nulla est, cur hunc miserum tanta calamitate affici velis, si tibi omnia sua, praeter animam, tradidit, nec sibi quidquam paternum, ne monumenti quidem caussa 1), reservavit: per Deos immortales, quae ista tanta crudelitas est? quae tam fera, immanisque natura? Quis umquam praedo fuit tam nefarius? quis pirata tam barbarus, ut, cum integram praedam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet? Scis hunc

1) *Ne monumenti quidem caussa)* Hoc maxime pertinet ad movendam misericordiam. Refertur autem ad illud cap. 9. *Cui ne iter quidem ad sepulchrum patrium reliquisset.*

nihil habere, nihil audere, nihil posse, nihil umquam contra rem tuam cogitasse: et tamen oppugnas eum, quem neque metuere potes, neque odisse debes, nec quidquam habere jam reliqui vides, quod ei detrahere possis: nisi hoc indignum putas; quod vestitum sedere in judicio vides: quem tu e patrimonio, tamquam e naufragio, nudum expulisti. Quasi vero a) nescias, hunc et ali, et vestiri a Caecilia 1), Balearici filia, Nepotis sorore, spectatissima foemina: quae cum patrem clarissimum, amplissimos patruos, ornatissimum fratrem haberet, tamen, cum esset mulier, virtute perfecit, ut, quanto honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur, non minora illis ornamenta ex sua laude redderet.

LI. An quod diligenter defenditur, id tibi indignum facinus vedetur? Mihi crede, si, pro patris ejus hospitiis, et gratia, vellent omnes hujus hospites adesse, et auderent libere defendere: satis copiose defenderetur. Sin autem pro magnitudine injuriae, proque eo, quod summa Respublica in hujus periculo tentatur, haec omnes vindicarent: consistere mehercule vobis isto in loco non liceret. Nunc ita defenditur, non sane, ut moleste ferre adversarii debeant, neque ut se potentia superari putent.

Quae domi gerenda sunt, ea per Caeciliam transiguntur. Fori, judiciique rationem Messala, ut videtis, Judices, suscepit. Qui, si jam satis aetatis atque roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret, Quoniam ad dicendum impedimento est aetas 2), et pudor, qui ornat aetatem: caussam mihi tradidit,

1) *Caecilia*) Vide supra, cap. X.

2) *Impedimento est aetas*) Annus legitimus caussas agendi fuit decimus octavus, ut ostendit Hotomanus ex Ulpiano L. 1. D. de postul. et ex Justiniano Inst. L. 1. t. 6. §. 7.

ANALYSIS.

a) *Quasi vero*) Commendat innocentiam Roscii Judicibus, quam aeque nobiles homines paterni amici, atque hospites tuebantur.

quem sua caussa cupere, ac debere, intelligebat. Ipse assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perfecit, ut Sex. Roscii vita erepta de manibus sectorum, sententiis Judicium permitteretur. Nimirum, Judices, pro hac nobilitate pars maxima Civitatis in armis fuit: haec acta res est, uti nobiles restituerentur in Civitatem, qui hoc facerent, quod facere Messallam videtis: qui caput innocentis defenderant: qui injuriae resisterent: qui, quantum possent, in salute alterius, quam in exitio, mallent ostendere. Quo si omnes, qui eodem loco nati sunt, facerent: et Respublica ex illis, et ipsi ex invidia minus laborarent.

LII. Verum si a) a Chrysogono, Judices, non impetramus, ut pecunia nostra contentus sit, vitam ne petat: si ille adduci non postest, ut, cum ademerit nobis omnia, quae nostra erant propria, ne lucem quoque hanc quae communis est, eripere cupiat: si non satis habet avaritiam suam pecunia explere, nisi etiam crudelitate sanguinis 1) perlitus sit: unum

1) *Crudelitate sanguinis)* Non ferunt aures meae, in Cicerone, *crudelitate sanguinis perlini:* ne hoc ulli alii condonaremus, qui sermonis elegantiae spretor non esset. Legendum. *Crudelitati sanguine perlitarit.* Quod elegantissime exprimit crudelitati hominis, *Crudelitati* quasi Deae sacra facientis, eique *perlitantis*, sive [illegible] sanguine Roscii, quem spoliaverat; hoc est explendis crudelitatem; ut avaritiam jam expleverat. Joan. Clericus, *Art. Crit. part. III. sect.* 1. *cap.* 8. Ingeniosa quidem conjectura, et commoda; non tamen necessaria. Quid est enim *crudelitas sanguinis?* Omnino, sanguinis per crudelitatem effusus. Amat eas commutationes vocum Cicero, atque hac.

ANALYSIS.

a) *Verum si)* Per alteram ad Judices *Apostrophem*, eos incitat in Chrysogonum:

Judices praesidio sectoribus esse non debent:

Sed hoc petit Chrysogoni, ut sibi, aliisque sectoribus praesidio sitis:

Ergo illi resistere maxime debetis.

Odium excitatur, quod Chrysogonus Judices malos esse velit, et putet, ex Arist. l. 2. c. 4. tex. 29. *Propositionem* confirmat *ab Exemplo dissimili*, et Senatus au-

perfugium, Judices, una spes reliqua est Sex. Roscio, eadem quae Reipublicae, vestra pristina bonitas, et misericordia, quae si manet, salvi etiam nunc esse possumus. Sin ea crudelitas, quae hoc tempore in Republica versata est, vestros quoque animos (id quod fieri profecto non potest) duriores, acerbioresque reddidit; actum est, Judices: inter feras satius est aetatem degere, quam in hac tanta immanitate versari.

Ad eamne rem vos reservati estis? ad eamne rem delecti, ut eos condemnaretis, quos sectores, ac sicarii jugulare non potuissent? Solent hoc boni Imperatores facere, cum praelium committunt, ut in eo loco, quo fugam hostium fore arbitrentur, milites collocent: in quos, si qui ex acie fugerint, de improviso incidant. Nimirum similiter arbitrantur isti bonorum emptores, vos hic, tales viros, sedere, qui excipiatis eos, qui de suis manibus effugerint. Dii prohibeant, Judices, ut hoc, quod majores consilium publicum vocati voluerunt, praesidium sectorum existimetur.

ctoritate: novitatem suae dictioni, admirabilitatemque conciliat. Vel in hac ipsa oratione multa possent non ferre, qui aures habent tantum grammaticas. Cap. 2. *Pecuniam tam plenam..... Ad hanc suam praedam tam nefariam.* Cap. 5. *Quotidiano sanguine.* Cap. 10. *Quoniam crimine non poterant, tempore ipso pugnarent.* Cap. 51. *Ut Sex. Roscii vita, erepta de manibus sectorum, sententiis judicum permitteretur.* Viderant ejusmodi plurimi Victorius, Turnebus, Muretus, alii majorum gentium Critici, quos non offendit *crudelitate sanguinis peritus.* Quin est in hoc significandi vis major, et quaedam colorandi efficacia, quam non norunt Philosophi, sed boni oratores habent, quemadmodum Poetae. Non ita orator dicit; ut grammaticus loquitur. Huic satis est intelligi. Ille si frigide intelligitur, nomen suum amittit. *Olivetus.*

An vero, Judices, vos non intelligitis, nihil aliud agi, nisi ut proscriptorum liberis quavis ratione tollantur, et ejus rei initium in vestro jurejurando, atque in Sex. Roscii periculo quaeri? Dubium est, ad quem maleficium pertineat, cum videatis in altera parte sectorem, inimicum, sicarium, eumdemque accusatorem hoc tempore: ex altera parte egentem, probatum suis filium; in quo non modo culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere? Numquid hic aliud videtis obstare Roscio, nisi quod patris bona venierunt?

LIII. Quod si id vos suscipitis, et eadem in re operam vestram profitemini: si idcirco sedetis, ut ad vos adducantur eorum liberi, quorum bona venierunt: cavete, per Deos immortales, Judices, ne nova, et multo crudelior per vos proscriptio instaurata esse videatur. Illam priorem, quae facta est in eos, qui arma capere potuerunt, tamen senatus suscipere noluit, ne quid acrius quam more majorum comparatum est, publico consilio factum videretur. Hanc vero quae ad eorum liberos, atque infantium puerorum incunabula pertinet, nisi hoc judicio a vobis rejicitis, et aspernamini, videte, per Deos immortales, quem in locum Rempublicam perventuram putetis.

Homines sapientes, et ista auctoritate, et potestate praeditos, qua vos estis, ex quibus rebus maxime Respublica laborat, iis maxime mederi convenit. Vestrum nemo est, quin intelligat, Populum Romanum, qui quondam in hostes lenissimus existimabatur, hoc tempore domestica crudelitate laborare. Hanc tollite ex Civitate, Judices, hanc pati nolite diutius in hac Republica versari: quae non modo id habet in se mali, quod tot cives atrocissime sustulit, verum etiam hominibus lenissimis ademit misericordiam consuetudine incommodorum. Nam cum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus: etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus.

EVENTUS.

Credibile est, absolutum fuisse Roscium, cum dicat ipse Cicero *in Bruto* cap. 90. caussam hanc tantum commendationis habuisse, ut nulla esset, quae non digna patrocinio ejus videretur. Quae conjectura confirmari solet ex iis, quae habentur lib. 2. Offic. cap. 14. *Maxime autem et gloriam paritur, et gratia defensionibus; eoque major, si quando accipit, ut ei subvenietur, qui potentis alicujus opibus circumveniri, urgerique videatur: ut nos, et saepe alias, et adolescentes contra L. Syllae dominantis opes pro Sex. Roscio Amerino fecimus*. Plutarchus multo clarius videtur tribuere victoriam hujus caussae Ciceroni, cum scribit. ἀναδεξάμενος οὖν τὴν συνηγορίαν, καικατορθῶσα ἐθαυμώσθη. Quare metu Syllae primum in Graeciam concessit, deinde in Asiam progressus, eam fere totam peragravit: elapsoque biennio Romam rediit, ut ipse scripsit in Bruto cap. 91.

IN Q. CAECILIUM

ORATIO

DE ACCUSATORE IN C. VERREM CONSTITUENDO QUAE DIVINATIO DICITUR.

ARGUMENTUM.

CN. Pompejo primum, et M. Crasso Coss. C. Verres functus quaestura, legatione et praetura urbana, vivo patre, C. Verre, et praetextato filio, ac filia nupta, uxorem habens, cum successisset in Sicilia C. Sacerdoti Praetori, eamque non sibi succedente Arrio, per triennium tenuisset, atque in ea fuisset libidinose, avare, crudeliterque versatus, succedente tandem in eadem Provincia L. Metello, repetundarum reus ab Siculis postulatus est: qui omnes, praeter Syracusanos, et Mamertinos, M. Tullium illo tempore florentem defensionibus amicorum, ad accusandum descendere compulerunt, jam pridemillis necessitudine copulatum, quod Quaestor in Sicilia fuisset Praetore Sex. Peduceo, et quod, cum decederet, in illa oratione, quam Lilybaei habuit, multa iis benigne promisisset. Accessit his non ignobilis futura de Verre victoria, quia a Metellis Scipionibus, et multis aliis nobilibus viris, et praecipue ab Hortensio ipso defenderetur, facile et principe in Senatu propter nobilitatem, et in foro ob eloquentiam rege caussarum, et eodem Consule designato cum Q. Metello fratre Metellorum, alterius Praetoris Siculi, alterius Praetoris urbani. His ita constitutis, extitit Q. Caecilius Niger, homo Siculus, et Quaestor Verris, ejusdem, ut ipse dicebat, inimicus, qui se potius accusatorem contenderet constitui oportere, has afferens caussas, unam, quod ab eo laesus, et ob hoc jure illi sit inimicus, quare prevaricator esse non possit, alteram, quod, cum Quaestor ei tum fuerit, etiam ipse in quaestura crimina noverit Verris: tertiam quod Siculus pro Siculis agat. Hujuscemodi propositionibus Cicero designatus aedilis his sex capitibus respondet, accusatorem eum esse oportere, qui invitus cogitur

Religione officii, rogatus ab omnibus Siculis: qui pro Republica agat: quem volunt; qui accusant: quem metuit, qui accusatur: qui idoneus est facundia, et innocentia: qui hoc facit imitatione majorum. Divisio principalis una de se ipso; altera de contentione sui et Caecilii. Divinatio dicitur haec oratio, quia non de facto quaeritur, et conjectura, sed de futuro, quae est divinatio uter debeat accusare. Alii ideo putant divinationem dici, quod injurati Judices in hac caussa sedeant, ut, quod velint, praesentire de utroque possint. Alii, quod res agatur sine testibus, et sine tabulis, et his remotis argumenta sola sequuntur Judices, et quasi divivent. Agitur autem caussa senatoriis judiciis in invidia apud Populum constitutis corruptione multorum, vexatis Provinciis omnibus, ac sociis Populi Romani fessis toto Orbe terrarum, libidine, et iniquitate Romanorum magistratuum, accusatoribus praevaricatione infamibus, flagitante Plebe judicia equestris ordinis, quae fere ante annos 10. victor. Sylla sustulerat, cognoscente de pecuniis repetundis M. Glabrione Praetore, et amplissimis quibusque senatoriis ordinis judicantibus, summa exspectatione cunctorum. Genus caussae, honestum. Status qualitas, negotialis comparativa de constituendo accusatore, qui potissimum de duobus, aut qui solus accuset: dicit enim Caecilius, aut a se accusandum esse Verrem, aut a se quoque. *Ascon.*

ORATIONIS SYNOPSIS.

Genus orationis *Judiciale* est, ut et reliquarum, quae sequuntur; partes tres, *Exordium*, *Contentio*, et *Peroratio*.

Exorditur *a Caussis*, cur ipse accuset, et cur Caecilio sit praeponendus; *caussae* tres sunt, officium: *Si quis vestrum*; patrocinium: *Quo in negotio*; Resp. *Quod si hunc caussam*.

Probat igitur *a Caussa finali* ipsius legis repetundarum, cum esse constituendum accusatorem, quem Siculi velint: *Ego sic intelligo*.

Deinde eum, quem Verres minime velit; se autem illum esse ostendit ab Hortensii testimonio: *At enim solum id est*; in Caecilio nihil eorum esse; quae in accusatore requiruntur: *Tu vero Caecili*, non integri-

tatem, Siculorum testimonio; *Cognosce ex me*; non constantiam, cum in gratiam redierit: *Deinde accusatorem firmum*; non innocentiam ob ea, quae gesserat in Sicilia; *Queritur Sicilia tota*; non agendi, dicendique facultatem: *Quid illa, Caecili.*

Prolepsi de suo ingenio respondet per *Comparationem majorum*; si enim timet Cicero, quanto magis Caecilium, cum sit habiturus adversarium Hortensium? *Fortasse dices*; *quid*? Illud etiam refellit de Subscriptoribus: *Esto, ipse nihil.*

Diluit duo argumenta Caecilii, illud de injuria 1. destruis *ab Adjunctis*, quia licet deberet, tamen non poterat ulcisci: *Quid ad haec dici potest*? 2. quia major erat Siculorum injuria: *Quod si ei potissimum*; 3. quia nulla erat injuria, quam sibi factam Caecilius querebatur: *At eum tibi C. Verres.*

Alterum de Quaestura refellit *a Comparatione majorum*; si enim multae essent injuriae, adhuc non deberet Quaestor suum Praetorem accusare, adeoque multo minus, cum nulla injuria intercesserit: *Nisi forte illud.*

Caussam suam accusandi rogatu sociorum probandam esse ostendit, 1. *a Comparatione minorum*, quia honestius est Sociorum injurias persequi, quam suas: *Saepe haec caussa plurimum valuit*; 2. quia commemorari haec caussa honestius potest, quam illa Caecilii: *An quod ad commemorandum*; 3. *Ab exemplis similibus*: *Clarissimi viri nostrae civitatis*, 4. *Ab Effectibus*, quod hoc maxime terreret homines perditos; *Neque enim magis*, *Et Prolepsi* de se, qui accuset, iterum respondet, *Jure tum florebat.*

In *Peroratione* concludit, se praeferendum esse Caecilio: *Quamobrem hoc statuere.*

EXORDIUM.

I. SI quis a) vestrum, Judices 1), aut eorum qui adsunt 2), forte miratur, me, qui tot annos in caussis, judiciisque publicis 3) ita sim versatus ut defenderim multos, lasserim neminem, subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere: is, si mei consilii caussam, rationemque cognoverit, una

1) *Si quis vestrum, Judices)* Hoc toto capite soloecismi species continetur, nisi addas ET, aut IDEM ut sit, ET subito nunc mutata voluntate ad accusandum descenderim: quare multi non, *descenderim*, legunt, sed *descendere*. Item. Habent omnes libri mss. *descenderim*, et ita habuit in suo libro etiam Asconius Pedianus, ut ex ejus verbis intelligere licit. Ait autem hoc toto *capite speciem soloecismi contineri*, nisi addas *descendere*: quomodo habent hodie multa exempla. Sed Joan. Passeratius, vir doctus, admonuit me, *descenderim*, nulla re subintellecta, leggi posse, et debere. Itaque *miratur me*, legendum esse conjunctum. *Lambin.*

2) *Eorum qui adsunt)* Coronam populi dicit circum subsellia stantem. *Ascon.*

3) *Caussis, judiciisque publicis)* Jam hoc contra Caecilium est, qui nunquam sui periculum fecit. Caussae autem etiam privatae sunt: sed repetundarum, ambitus, majestatis, et caeterae, Reipublicae caussa constitutae sunt. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Si quis* Per *Prolepsin* exponit *a Caussis*, cur ipse ad accusandum Verrem descenderit, et cur Caecilio sit praeponendus, hoc argumento:

Ille laude dignus est accusator, et reliquis praeponendus, qui Officii, Patrocinii, et Reip. caussa alterum accusat.

Sed ego Verrem accuso Offici, Patrocinii, et Reip. causea;

Ergo tum laude dignus esse videor, tum Caecilio preponendus.

et id, quod facio, probabit 1), et in hac caussa profecto neminem praeponendum esse mihi auctorem putabit.

Cum Quaestor a) in Sicilia 2) fuissem, Judices, itaque ex ea Provincia decessissem, ut Siculis omnibus 3) jucundam, diuturnamque memoriam Quaesturae, nominisque relinquerem: factum est, uti cum summum in veteribus patronis multis 4), tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc populari, atque vexati 5), cuncti 6) ad me publice saepe venerunt, ut suarum fortunarum omnium caussam, defensionemque 7) susciperem: me saepe esse pollicitum 8),

1) *Una et id: quod facio, probabit)* Principalis divisio hujus caussae bipartita est, utrum recte Cicero accuset, et utrum Caecilia sit anteponendus. *Idem.*

2) *Cum Quaestor in Sicilia)* Narrationem in exordio multi admirantur, ac reprehendunt, sed non recte; est enim argumentalis narratio ad priorem divisionem; in qua quaeritur, an recte Cicero ex defensore accusator effectus sit. *Idem.*

3) *Siculis omnibus)* Oratorie, cum enim a duobus Quaestoribus Sicilia regi soleat, uno Lilybaetano, altero Syracusano, ipse vero Lilybaetanus Quaestor fuerit. Sex. Peduceo Praetore, omnibus tamen se placuisse dixit. *Idem.*

4) *Veteribus patronis multis)* Siculi veteres patronos habebant, in quibus Marcellus, et Marcello ortus, qui Syracusas victor servavit incolumes: Scipiones, quorum auctor P. Scipio Africanus, Carthagine excisa, Siciliae ornamenta retulit sua, quibus quondam a Poenis victoribus spoliata erat. Metelli, quorum familia proxime Siculis patrocinium praebuit, cum fuit reus M. Lepidus in ea Provincia Praetor, instantibus ad accusandum eum Metellii duobus, Celere et Nepote. *Idem.*

5) *Populari, atque vexari)* Populati avaritia, vexati libidine, et crudelitate. *Idem.*

6) *Cuncti)* Simul omnes quasi conjuncti. *Idem.*

7) *Caussam defensionemque)* Caussa genus est ad accusationem, et defensionem; et mire defensionem vult esse, non accusationem. *Idem.*

8) *Saepe esse pollicitum)* In ea oratione, quam decedens Lilybaei habuit. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Cum Quaestor Assumptionis* prima pars, ostenditque quae officii ratio sibi cum Siculis intercedat, cum enumeratione injuriarum, quibus ter triennium a Verre fuerant vexati, hinc *Benevolentia* ex Arist. 2. c. 4. t. 33.

saepe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum. Venisse tempus ajebant 1), non jam ut commoda sua, sed ut vitam, salutemque totius Provinciae defenderem: sese jam ne Deos quidem in suis 2) urbibus, ad quos confugerent, habere: quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset. Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset: eas omnes sese hoc uno Praetore per triennium 3) pertulisse: rogare, et orare 4), ne illos supplices aspernarer, quos, me incolumi, nemini supplices esse oporteret 5).

II. Tuli graviter, et acerbe 6), Judices, in eum me locum adductum, ut aut eos homines spes falleret, qui opem a me, atque auxilium petissent: aut

1) *Venisse tempus ajebant)* Ut Terentius, *Hoc hercle factum est: fac, ut promissa appareant.* Idem.

2) *Sese jam ne Deos quidem in suis)* Mire imitatus est verba Siculorum, dolore oxymora, et inanis: quasi Deos non habeant, qui simulacra perdiderunt. Delubra vero templa esse, hic aliter ostendit Tullius, aliter cum dicit templis, atque delubris: sunt qui templa esse dicant singulorum Diis attributorum locorum: delubra multorum aedium sub uno tecto a diluvio pluviae munitarum. Alii delubra dicunt ea templa, in quibus sunt labra corporum abluendorum mortuorum, ut Dodonaei Jovis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes, tripodesque visuntur. Sunt etiam, qui *delubra* ligna delibrata, id est, decorticata, pro simulacris Deorum more veterum posita existiment, sed male. *Idem.*

3) *Per triennium)* Exspectabant Arrium in Provincia Sicilia successurum Verri, qui non successit. Hinc triennium Verris Praetura duravit. *Idem.*

4) *Rogare, et orare)* Rogare ut hominem, orare ut Deos. Jam enim, quibus id fecerant, non habebant. *Idem.*

5) *Quos me incolumi, nemini supplices esse oporteret)* Superbissimum videretur, si addidisset *alteri*, ut esset *nemini alteri.* Nunc hoc non addidit: quasi nec ipsi Tullio supplicare debere intelligatur. Quanquam cum anaphora sit ad personam Siculorum, non videretur invidiose Orator dicere, quae Siculos dixisse commemorat. *Idem*

6) *Graviter, et acerbe)* Graviter, quod accusare nolebam: acerbe, quod Siculorum injuriis affligebar. *Idem*

ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore, atque officio coactus ad accusandum traducerer. Dicebam a); habere eos actorem Q. Caecilium, qui praesertim Quaestor in eadem Provincia post me Quaestorem fuisset. Quo ego adjumento sperabam hanc a me molestiam posse dimoveri, id mihi erat adversarium maxime. Nam illi multo mihi hoc facilius remisissent, si istum non nossent, aut si iste apud eos Quaestor non fuisset.

Adductus sum b), Judices, officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo 1), veteri consuetudine 2), institutoque majorum, ut onus hoc laboris, atque officii, non ex meo 3), sed ex meorum necessariorum tempore 4), mihi suscipiendum putarem. Quo in negotio c) tamen illa me res, Judices consolatur, quod haec, quae videtur esse accusatio mea, non potius accusatio, quam defensio est existimanda. Defendo enim multos mortales, multas Civitates, Provinciam Siciliam totam. Quamobrem, si mihi unus est cusandus, propemodum manere in instituto meo videor et non omnino a defendendis hominibus, sublevandisque discedere.

1) *Multorum bonorum exemplo)* Ipse mox dicet, quo exemplo optimorum virorum. *Idem.*

2) *Veteri consuetudine)* Quia viri robustiores accusare consueverant, non, ut nunc, adolescentuli. *Idem.*

3) *Non ex meo)* Ut Caecilius: qui inimicitias persequitur suas. *Idem.*

4) *Tempore)* Tempus pro ratione negotiorum, id est, commodo, vel incommodo recenti, cui ex tempore consulendum, ac prospiciendum est. Itaque libro de Offic. 2. quod sic dixerat, *Tempus quod mihi ab amicorum temporibus datur*, paullo infra sic expressit, *Ab inimicorum negotiis.* Et hoc jam contra Caecilium est, qui suas se injurias persequi dicebat. Necessarios autem suos Siculos adpellat, propter jus hospitii, quod cum iis habebat. *Hotoman.*

ANALYSIS.

a) *Dicebam)* Hanc eamdem caussam Verris accusandi probat non esse in Q. Caecilio, qui Siculis jure suspectus esse possit.

b) *Adductus sum)* *Complexio* hujus primae partis.

c) *Quo in negotio)* Secunda pars, cur patrocinium potius sit, quam accusatio.

Quod si hanc a) caussam tam idoneam, tam illustrem, tam gravem non haberem: si aut hoc a me Siculi non petissent, aut mihi cum Siculis caussa tantae necessitudinis non intercederet: et hoc, quod facio, me Reipublicae caussa facere profiterer, ut homo singulari cupiditate, audacia, scelere praeditus, cujus furta atque flagitia non in Sicilia solum, sed in Achaja, Asia 1), Cilicia, Pamphylia, Romae denique 2) ante oculos omnium maxima, turpissimaque nossemus, me agente in judicium vocaretur: quis tandem esset, meum factum, aut consilium posset reprehendere?

III. Quid est, proh Deum, hominumque fidem! in quo ego Reipublicae plus hoc tempore prodesse possim? Quid est, quod aut populo Romano gratius esse debeat, aut sociis, exterisque nationibus optatius esse possit, aut saluti, fortunisque omnium magis accommodatum sit? Populatae, vexatae 3), funditus eversae Provinciae: socii 4), stipendiariique 5), Populi Romani afflicti, miseri, jam non salutis spem,

1) *In Achaja, Asia)* In his provinciis legatus, et Proquaestor Dolabellae C. Verres flagitia multa commisit *Asc.*

2) *Romae denique)* In Praetura urbana. *Idem.*

3) *Populatae, vexatae)* Non a Verre tantum, sed ab omnibus, hoc enim vult intelligi, prodesse se velle Reip accusationis exemplo. *Idem.*

4) *Socii)* Non Siculi tantum, sed per omnes Provincias. *Idem.*

5) *Stipendiarii)* *Socii* incertum, ut decimas: *Stipendiarii*, certum vectigal pendunt. *Hotoman.*

ANALYSIS.

a) *Quod si hanc)* Tertia *Assumptionis* pars, quam ita pertractat *ab Adjunctis*:

Maxime est e Rep. homines perditos tollere, et judiciorum infamiam sublevare:

Sed Verrem accuso hominem perditissimum, in quo condemnando judiciorum omnis infamia sublevari potest.

Ergo munus hoc accusandi Reip. caussa suscepi.

sed exitii solatium quaerunt. Qui judicia a) manere apud ordinem senatorium 1) volunt, queruntur accusatores se idoneos non habere 2). Qui accusare possunt, judiciorum severitatem desiderant. Populus Romanus interea, tametsi multis incommodis 3) difficultatibusque 4) affectus est, tamen nihil aeque in Republica, atque illam veterem judiciorum vim gravitatemque requirit. Judiciorum desiderio Tribunitia

1) *Qui judicia manere apud ordinem senatorium)* Judicia L. Sylla victor, ordini Equestri ademerat, et in senatorium transtulerat. Sed hoc tempore, cum ordo senatorius infamia judiciorum flagraret, Populus Romanus Equitum judicia requirebat. Neque quicquam proprius erat, quam ut promulgaretur lex ab Aurelio Cotta Praetore, ut cum equestri ordine, et Tribunis aerariis judicia communicarentur. Erant autem in urbe alii aliarum partium, ac studiorum. Sed falsum est quod scribit Asconius, ferri legem hoc tempore. Etenim ne prioris quidem actionis tempore, id est, tribus fere post mensibus promulgata erat: ut Cicero ostendit Verrina septima his verbis. *Itaque cum primo agere coepimus, lex non erat promulgata*, etc. Vide infra. *Idem.*

2) *Accusatores se idoneos non habere)* Caecilium tangit. *Ascon.*

3) *Populus Rom. interea, tametsi multis incommodis)* His enim decem annis victore Sylla civilibus bellis spoliatus est Populus Romanus potestate tribunitia, judicandi jure, quod habuit: per Equites Romanos * *militaris*, arbitrio creandorum Sacerdotum senatus, aut judicium. *Idem.*

* In omnibus libris impressis legitur *militaris*. Sed cum significet hisce 10. annis, quibus Sylla Principatum in Republica tenuit, spoliatum Populum Romanum potestate tribunitia, et judicandi jure, quod habuit per Equites 40. annos, vocem *militaris* delenda esse putavimus, et pro ea restituendos 40. annos. Et hanc quidem lectionem vehementer confirmat iisdem fere verbis paullo post Asconius. *T. Popma.*

4) *Difficultatibus)* Propter Plebem rusticam, quae partim agros, partim jus civitatis amisit, partim omnino proscripta est victore Sylla, quod Plebs Romana de Marianis partibus fuerat. Difficultatem enim paupertatem significat. Terentius e contrario: *Quam vos facillime agitis!* Et ipse alibi, *In summa difficultate esse nummaria.* Ascon.

ANALYSIS.

a) *Qui judicia)* Judiciorum infamia, et ordinis Senatorii dedecus manifesta sunt *ab Effectibus*, a dolore videlicet Populi.

potestas efflagitata 1) est: judiciorum levitate ordo quoque alius ad res judicandas postulatur 2): judicum culpa, atque dedecore etiam censorium nomen 3) quod asperius antea Populo videri solebat, id nunc poscitur, id jam populare, atque plausibile factum est.

In hac libidine hominum nocentissimorum 4), in Populi Romani quotidiana querimonia, judiciorum infamia, totius ordinis 5) offensione, cum hoc unum his tot incommodis remedium esse arbitrarer, ut homines idonei, atque integri caussam Reipublicae, legumque susciperent: fateor, me, salutis omnium caussa, ad eam partem accessisse Reipublicae sublevandae, quae maxime laboraret.

1) *Judiciorum desiderio Tribunitia potestas efflagitata)* Primus Sicinius Tribunus Plebis, nec multo post Quintius, et postremo Palicanus, perfecerant, ut Tribunitiam potestatem Populo redderent Consules Cn. Pompejus Magnus, et M. Licinius Crassus. *Idem.*

2) *Ordo quoque alius ad res judicandas postulatur)* C. Graccus legem tulerat, ut Equites Romani judicarent. Et judicaverunt per annos 40. sive infamia. Post victor Sulla leges tulerat, ut senatorius ordo judicaret, et judicavit per 10. annos turpiter. Nunc *(Vide Hotomanum supra)* Aurelius Cotta legem fert, ut Senatores, et Equites Romani, ac Tribuni aerarii simul judicent. Hoc est, quod Tullius dicit offensione senatorii ordinis fieri. Et bene addit QUOQUE, ut simul judicaturos alios esse, monstraret. *Idem.*

3) *Etiam censorium nomen)* Regendis moribus Civitatis Censores quinto quoque anno creari solebant. Hi prorsus cives sic notabant, ut qui senator esset, ejiceretur senatu; qui Eques Romanus, equum publicum perderet; qui plebejus, in Caeritum tabulas referretur, ut aerarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriae suae, sed ad hoc esset civis tantum, ut pro capite suo tribuni nomine aera penderet, Iidem completo quinquennio urbem lustrabant, et Suoveturilia sacrificia de sue, ove, tauro faciebant. Eorum notam successores plerumque solvebant. Hoc igitur tam triste, severumque nomen Populus Romanus sic oderat, ut intermissum esset per plurimos annos, quos nunc Orator propter infamiam corruptorum Judicum dicit Plebem ipsam, quae ante recusabat, exsposcere. *Idem.*

4) *In hac libidine hominum nocentissimorum)* Qui praedantur socios P. R. *Idem.*

5) *Ordinis)* Senatorii scilicet.

Nunc, quoniam a), rebus quibus adductus ad caussam accesserim, demonstravi, dicendum necessario est de contentione nostra, ut in constituendo accusatore, quid sequi possitis, habeatis.

CONTENTIO.

Ego sic b) intelligo, Judices: cum de pecuniis repetundis nomen cujuspiam deferatur, si certamen inter aliquos sit, cui potissimum delatio detur, haec duo in primis spectari oportere: quem maxime velint actorem esse ii, quibus factae esse dicantur injuriae: et quem minime velit is, qui eas injurias fecisse arguatur.

IV. In hac caussa c), Judices, tametsi utrumque esse arbitror perspicuum, tamen de utroque dicam, et de eo prius, quod apud vos plurimum debet valere, hoc est, de voluntate eorum, quibus injuriae factae sunt: quorum caussa judicium de pecuniis repetundis est constitutum. Siciliam Provinciam C. Verres per triennium depopulatus esse, Siculorum Civitates vastasse, domos exinanisse, fana spoliasse dicitur. Adsunt, queruntur Siculi universi: ad meam fidem, quam habent spectatam jam, et diu cognitam, confugiunt: auxilium sibi per me a vobis, atque a Populi Romani legibus petunt: me defensorem calamitatum suarum, me ultorem injuriarum, me co-

ANALYSIS.

a) *Nunc, quoniam) Propositio* orationis.

b) *Ego sic)* Universa Contentio nititur hoc Syllogismo:

Ille constituendus est accusator, quem maxime volunt qui injuriam acceperunt, et quem minime vult qui accusatur:

Sed ego hujusmodi sum, at contra Caecilius:

Ergo me, non Caecilium constituere debetis accusatorem Verris.

c) *In hac caussa) Assumptionis* primam partem, se unum esse, quem Siculi maxime velint, confirmat a confessione adversarii, ac testimonia Marcellorum, et legatorum omnium, qui ex Sicilia venerant.

gnitorem juris sui 1), me actorem caussae totius esse voluerunt.

Utrum, Q. Caecili, hoc dices, me non Siculorum rogatu ad caussam accedere, an optimorum, fidelissimorumque sociorum voluntatem apud hos gravem esse non oportere? Si id audebis dicere, quod C. Verres, cui te inimicum esse simulas, maxime existimari vult, Siculos hoc a me non petisse: primum caussam inimici tui sublevabis, de quo non prejudicium 2) sed plane judicium 3) jam factum putatur, quod ita percrebuit, Siculos omnes actorem suae caussae contra illius injurias quaesisse. Hoc si tu inimicus ejus factum negabis, quod ipse, cui maxime haec res obstat, negare non audet: videto, ne nimium familiariter inimicitias 4) exercere videare. Deinde sunt testes, viri clarissimi 5) nostrae Civitatis, quos om-

1) *Cognitorem juris sui*) Qui defendit alterum in judicio, aut patronus dicitur, si Orator est, aut advocatus, si aut jus suggerit, aut praesentiam suam commodat amico; aut procurator, si negotium suscepit: aut cognitor, si praesentis caussam novit, et sic tuetur, ut suam. Ergo cognitorem dixit modo, familiarissimum defensorem. *Idem.* In Asconio corrige sic, *Aut procurator, si absentis negotium suscipit*, etc. Deest enim verbum *absentis*, quod cum ex oratione pro Caecina intelligitur, tum ex his Sex. Pempeji verbis, *Cognitor est, qui litem alterius suscipit coram eo cui datus est. Procurator autem absentis nomine actor fit.* Hotomanus.

2) *De quo non praejudicium, sed plane judicium)* Praejudicium dicitur res, quae cum statuta fuerit, affert judicaturis exemplum, quod sequantur. Judicium autem res, quae caussam, litemque determinat. *Ascon.*

3) *Sed plane judicium*) De Verre jam factum est a Populo Romano Judicium: eum spoliavisse Provinciam, et contra leges praedatum esse: quod Siculi, qui antea legati publice testimonium dixerant, actorem caussae suae contra Verrem Tullium quaesissent. *Idem.*

4) *Ne nimium familiariter inimicitias*) Sensus est per jocum haec significans: quasi dicat: Videto Caecili, ne nimium amici inimicitias exerceas, hoc est, ne inimicum fingas, ut praevaricari possis. *Idem.*

5) *Deinde sunt testes viri clarissimi*) Ordo, et sensus hic est, primum caussam inimici tui sublevando non videris accusator: deinde testimonii convinceris in eo, quod negas me a Siculis esse delectum. *Idem.*

nes a me nominari non est necesse: eos, qui adsunt, appellabo: quos, si mentirer, testes esse impudentiae meae minime vellem. Scit is, qui est in consilio, C. Marcellus: scit is, quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus 1): quorum fide, atque praesidio Siculi maxime nituntur, quod omnino Marcellorum nomini tota illa Provincia adjuncta est. Hi sciunt, hoc non modo a me petitum esse, sed ita saepe, et ita vehementer esse petitum, ut aut caussa mihi suscipienda fuerit, aut officium necessitudinis repudiandum. Sed quid ego his testibus utor, quasi res dubia, aut obscura sit? Adsunt homines ex tota Provincia nobilissimi, qui praesentes vos orant, atque obsecrant, Judices, ut in actore caussae suae deligendo vestrum judicium a suo judicio 2) ne discrepet. Omnium Civitatum totius Siciliae legationes adsunt, praeter duas Civitates: quarum duarum, si adessent, duo crimina vel maxima 3) minuerentur, quae cum his Civitatibus C. Verri communicata sunt.

At enim a) cur a me potissimum hoc praesidium

1) *Scit is, qui est in consilio, C. Marcellus: scit is, quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus*) Et Marcellus, et Marcellinus inter se gentiles sunt. Qua re reddidit rationem, cur isti Siculorum patroni sunt; scilicet, quia a M. Marcello originem ducant, qui Syracusas cedit, nec tamen delevit. *Idem.*

2) *Vestrum judicium a suo judicio*) Non dixit, ab sua voluntate, ut praescribat Judicibus sequendum esse Siculos: quod paullo ante tentavit. *Idem.*

3) *Duo crimina vel maxima*) Per unam furatus est, Syracusanam: per alteram furta exportavit, hoc est, Mamertinam. Sed leviter hoc praeterit, quod illos quoque conatur a laudatione Verris abducere. Siracusanorum autem crimina alii etiam de Heraclii bonis, quae cum palaestritis partitus Verres est: et de Cleomenis navarchi flagitio, et de aliis multis rebus interpretantur. Mamertinorum, de navi quam Verri fecerunt, et quam Populo Romano ex foedere non exhibuerunt, multis aliis immunitatibus contra fas remunerati. Et *duo crimina*, generaliter, nam multa sunt. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *At enim*) Occurrit modeste *Prolepsi* cuidam, et cum suspicione arrogantiae *malevolentiam* quoque Judicum a se avertit.

petiverunt? Si esset dubium, petissent a me praesidium, necne, dicerem, cur petissent. Nunc vero, cum id ita perspicuum sit, ut oculis judicare possitis 1): nescio cur hoc mihi detrimento esse debeat a), si id mihi objiciatur, me potissimum esse delectum. Verum id mihi non sumo, Judices, et hoc non modo in oratione mea non pono, sed ne in opinione quidem cujusquam relinquo, me omnibus patronis esse praepositum. Non ita est: sed uniuscujusque temporis, valetudinis, facultatis 3) ad agendum, ducta ratio est. Mea fuit semper haec in hac re voluntas, et sententia, quemvis ut hoc mallem de iis, qui essent idonei, suscipere, quam me: me ut mallem, quam neminem 4).

V. Reliquum est a) jam ut illud quaeramus, cum hoc constet, Siculos a me petisse, ecquid hanc rem apud vos, animosque vestros valere oporteat: ecquid auctoritatis apud vos in suo jure repetundo socii populi Romani, supplices vestri, habere debeant. De quo quid ego plura commemorem? quasi vero ubium sit, quin tota lex de pecuniis repetundis so-

1) *Ut oculis judicare possitis)* Hoc quidam leviter a Cicerone dictum et neoterice putant: sed aptum est asseverationi. *Idem.*

2) *Cur hoc mihi detrimento esse debeat)* Cur hoc me in hac caussa debeat impedire. *Idem.*

3) *Temporis, valetudinis, facultatis)* Temporis, Marcelli judicantis tunc: valetudinis, Marcellini, quod erat tunc infirmior valetudine corporis: facultatis, alterius Marcelli, juris magis studiosi, quam eloquentiae. *Idem.*

4) *Quam neminem)* Ac per hunc neminem, Caecilium significat, *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Reliquum est)* *Propositionis* quoad primam partem approbatio *a Caussa* finali legis, tali ratione.

Eorum arbitratu judicium constituendum est, quorum caussa judicium est constitutum;

Sed Sociorum caussa judicium repetundarum constitutum est;

Ergo illud arbitratu Sociorum exercendum est.

Assumptionis confirmat *a Dissimili.* Nam Civibus Romanis lex repetundarum nihil prodest.

ciorum caussa constituta sit. Nam civibus cum sunt ereptae pecuniae, civili fere actione, et privato jure repetuntur 1). Haec lex socialis est: hoc jus Nationum exterarum est: hanc habent arcem 2), minus aliquanto nunc quidem munitam, quam antea: veruntamen, si qua reliqua spes est, quae sociorum animos consolari possit, ea tota in hac lege posita est: cujus legis non modo a Populo Romano 3), sed etiam ab ultimis Nationibus jampridem severi custodes requiruntur.

Quis igitur est, qui neget oportere eorum arbitratu lege agi, quorum caussa lex sit constituta? Sicilia tota a), si una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit; quod in unaquaque re 4) beneficio senatus Populique Romani juris habui, id mihi tu, C. Verres, eripuisti, atque abstulisti 5): quo nomine abs te sestertium millies ex lege repeto 6). Si universa, ut dixi, Provincia

1) *Civili fere actione, et privato jure repetuntur*) Recte: hoc enim judicium pecuniarum repetundarum publicum est. *Idem.*

2) *Hanc habent arcem*) Arx, vel sedes tyranni dicitur, ut saepe alibi, vel editus in civitate, et munitior ad salutem civium locus, ut Virg.

Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem? Ergo prima spes in muris est, secunda in arce, si muros hostis irruperit. *Idem.*

3) *Non modo a Populo Romano)* Cur a Populo Romano, si socialis est? quia ipsi socii Populi Romani sunt. *Idem.*

4) *Quod in unaquaque re*) Leges Hieronicas, Rupiliasque dicit, aut regis sui, aut Rupilii decem legatorum sententia constituas. *Idem.*

5) *Eripuisti, atque abstulisti*) Eripuisti, quidquid auri, et gemmarum: abstulisti, quod in unaquaque re, beneficio Senatus, Populique Romani, juris habui. *Idem.*

6) *Sestertium millies ex lege repeto*) Frustra calumniantur Ciceronem homines, et modo eum sestertium millies dicunt repetere, modo quadrigenties, cum primum non

ANALYSIS.

a) *Sicilia tota*) Per *figuram prosopopoejam* Provinciam ipsam inducit suas querentem injurias; mox subjicit *Complexionem.*

loqui posset, hac voce uteretur. Quoniam id non poterat, harum rerum actorem, quem idoneum esse arbitrata est, ipsa elegit. In hujusmodi quisquam tam impudens reperietur, qui ad alienam caussam, invitis iis, quorum negotium, accedere, aut aspirare 1) audeat?

VI. Si tibi a), Q. Caecili Siculi dicerent; te non novimus: nescimus qui sis: nunquam te antea vidimus: sine, nos per eum nostras fortunas defendere, cujus fides est nobis cognita: non ne id dicerent, quod cuivis probare deberent? Nunc hoc dicunt; utrumque se nosse; alterum se cupere defensorem esse furtunarum suarum: alterum plane nolle. Cur nolint: etiamsi tacent, satis dicunt 2). Verum non tacent. Tamen his b) invitissimis te offeres? tamen

suo ore, sed Siculorum loquatur accusatorie vociferantium. Deinde si maxime ad eum sunt referenda quae dicit, adhuc non instructus sit contra Verrem, nec ad plenum noverit caussam. Tertio, cur aut calumniatoris, aut praevaricatoris personam subeat, cum aliud jam agatur? Non enim de condemnando Verre, sed de constituendo accusatore confligitur. Postremo, cur id fraudi sit Ciceroni, cum ad tempus oratorum dicta proferantur? nam eodem modo erit contrarium praesenti actioni, quod alibi dicit, (oratione scilicet tertia) *victum a se Caecilium Quaestorem fuisse qui idoneas caussas ad accusandum Verrem multas protulisset.* Idem.

1) *Accedere, aut aspirare)* *Accedere*, est proximum fieri: *aspirare*, in eam partem, qua quid quaesitum est, vultum, et oculos, ac spiritum oris advertere. *Idem.*

2) *Etiamsi tacent, satis dicunt.)* Tale illud est. *Cum tacent clamant.* Et, *Victoriam ipsam vicisse videris*, et, *Philosophandum est, etiamsi non est philosophandum.* Haec in loco nec oxymora, nec cacozela judicanda sunt: aut enim inferioribus dictis, aut supra positis leniuntur. Ut est illud; *Vereor, ut hoc quod dicam, perinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio.* Et illud quod sequitur, *Verum non tacent.* Idem.

ANALYSIS.

a) *Si tibi)* Ejusdem primae *Asssumptionis* prima pars de Q. Caecilio: cum esse, quem Siculi minime velint.

b) *Tamen his) Complexio*, qua cum summa indignatione haec prima pars universalis Syllogismi concluditur.

in aliena caussa loquere, tamen eos defendes, qui se ab omnibus desertos potius, quam abs te defensos esse malunt? tamen his operam tuam pollicebere, qui te neque velle sua caussa, nec si cupias, posse arbitrantur? Cur eorum spem exiguam reliquarum fortunarum, quam habent in legis, et judicii severitate positam, vi extorquere conaris? cur te interponis, invitissimis his, quibus maxime lex consultum esse vult? cur de quibus in Provincia non optime es meritus, eos nunc plane fortunis omnibus conaris evertere? cur his non modo persequendi juris sui, sed etiam deplorandae calamitatis adimis potestatem? Nam te actore quem eorum adfuturum putas, quos intelligis non ut per te alium, sed ut per aliquem te ipsum ulciscantur 1), laborare?

VII. At enim a) solum id est, ut me Siculi maxime velint: alterum illud, credo, obscurum est, a quo Verres minime se accusari velit. Ecquis umquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit 2), quam ille, atque illius amici, ut ne haec mihi delatio detur? Sunt multa quae Verres in me esse arbitratur, quae scit in te, Q. Caecili, non esse: quae cujusmodi in utroque nostrum sint, paullo post commemorabo. Nunc tantum id dicam, quod tacitus tu mihi assentiare, nullam rem in me esse, quam ille contemnat: nullam in te, quam pertimescat. Itaque magnus ille defensor, et amicus ejus tibi Hortensius suffragatur, me op-

1) *Te ipsum ulciscantur*) Ulciscor, et punio significat, et vindico: nunc ergo, puniant intelligemus. *Idem.*

2) *Ecquis umquam tamen palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit*) Bene distribuit: omnis enim studiosa contentio, aut de honore, aut de salute praecipue est. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *At enim*) Transit ad alteram partem *Assumptionis* et se ostendit eum esse, quem Verres minime velit, Caecilium eum, quem maxime velit, cum id palam agat Hortensius Verris patronus; illum proinde coarguit, monetque secum longe diversum illi futurum certamen, quam cum reliquis antea fuerit.

pugnat: aperte a Judicibus petit, ut tu mihi anteponere: et ait, hoc se honeste, sine ulla invidia, ac sine ulla offensione contendere. Non enim, inquit, illud peto, quod soleo, cum vehementius contendi, impetrare 1); reus ut absolvatur, non peto: sed ut ab hoc potius, quam ab illo accusetur id peto. Da mihi hoc: concede, quod facile est, quod honestum, quod non invidiosum 2): quod cum dederis, sine ullo tuo periculo, si infamia illud dederis, ut is absolvatur, cujus ego caussa laboro 3).

Et ait idem, ut aliquis metus adjunctus sit ad gratiam 4), certos 5) esse in consilio, quibus ostendi tabellas velit. Id esse perfacile; non enim

1) *Non enim, inquit, illud peto, quod soleo, cum vehementius contendi, impetrare)* Acriter ipsum inducit Hortensium confiteri consuetudinem suam in corrumpendis judiciis pervagatam. Et addit, videri sibi tantumdem se impetraturum a Judicibus corruptis, si Caecilius constituatur, quantum si plane absolvatur Verres. Et est ordo, et sensus. Non enim, inquit, illud peto, quod soleo impetrare a Judicibus, cum vehementius contendi. Quid? hoc scilicet, reus non absolvatur: non id peto. CUM VEHEMENTIUS CONTENDI: cum pecuniam Judicibus dedi, Significat, judicium corrumpi. Sed quare non aperte dicit? quia ipsum Hortensium inducit loquentem: et omnes homines facinora sua honestius, leviusque pronuntiant. *Idem.*

2) *Quod facile est, quod honestum, quod non invidiosum)* Scilicet ut a Caecilio Verres accusetur. Quo facto, et non damnabitur reus: et cum hoc egerint Judices, tamen non videbuntur esse corrupti, cum tantumdem fecerint. *Idem.*

3 *Cujus ego caussa laboro)* Inepti sunt homines, qui hanc clausulam notant, ut malam; cum sit ex Spondeo, et Bacchio de industria durior ad exprimendam sententiam positam, more Ciceronis; ut alibi idem: *Non tu cum patria privare, qua caret, sed vita vis.* Idem.

4) *Aliquis metus adiunctus sit ad gratiam)* Id agit corruptor, ut gratiosus Judex non solum velit servare corruptori suo fidem, verum etiam aliquid habeat, cur vel invitus cogatur ad custodiendam pactionem promissae a se gratiae. Quid autem est, quod metum adjungat ad gratiam? scilicet aut custos, aut signum, aut aliquid ejusmodi. *Idem.*

5) *Certos* Aut ob hoc, quod sententiam suam, cur quisque damnaret, aut cur quisque absolveret prius dixisset, aut ideo certos, quasi sequestres hujus rei inter

singulos ferre sententias, sed universos constituere 1): ceratam unicuique tabellam dari cera legitima 2), non illa infami, ac nefaria. Atque is non

Judices se habere dicit Hortensius, quibus, antequam tabulas in unum omnes conjiciant, atque confundant, furtim ostendant, quam quisque sententiam constituendo accusatori conscripserit. *Ascon.* In consessu Judicum. In his autem tabulis alias fuisse notas, quam quas Pedianus commemorat, dubium nemini esse potest: neque enim de condemnando, vel absolvendo Cicerone, Caeciliove agitur. Fortasse autem in nomina i nibus alterutrius nomen Judices scribebant, ejus scilicet quem actorem sententiae suae constituebant. *Hotoman.*

1) *Non enim singulos ferre sententias, sed universos constituere)* In divinationibus, et in aliis caussis majoribus universis Judices in cistam tabulas simul conjiciebant suas, easque insculptas literas habentes *A*, absolutionis, *C*, condemnationis: cum de alicujus capite agebatur. *NL*, ampliationis: his enim literis significabant, *Non liquere.* Vult ergo corruptionis tantam sollicitudinem circa Judices esse Tullius, ut hac religione injecta pro se judicent. Singuli autem sententiam de tabula pronuntiabant in levioribus caussis, et ob id ipsum neque nota, neque custode opus fuit, cur corruptor judicium adjungeret metum ad gratiam judicantis. Constituere autem, tabulas in cista ponere significat magis, quam decernere. *Asc.*

2) *Ceratam unicuique tabellam dari cera legitima)* Terentius Varro, frater C. Varronis consobrini M. Tullii, reus ex Asia apud L. Furium Praetorem primo de pecuniis repetundis, deinde apud P. Lentulum Suram est accusatus, absolutusque est a Q. Hortensio, qui corruptis Judicibus hunc metum adjunxit ad gratiam, ut *discoloribus ceris* insignitas Judices tabellas acciperent, ut timeret unusquisque eorum, ne fidem pactionis non servasse videretur, si non in tabula, quam unicuique datam meminisset Hortensius, ex nota cerae scilicet discoloris absolutum Varronem reperiret. *Ascon.* Sed quomodo versicolor tabella data illis Judicibus fuit ab Hortensio: cum ex Miloniana constet, vel a Praetore judicii, vel extra ordinem a Consule tabellas dari consuevisse? An alias ab Hortensio, alias a Praetore acceperant, utrasque inter se parva in re dissimiles? Ita puta. Huc autem quae pertineant, praeter ea quae Pedianus tradit hoc loco, subjiciam etiam illa quae apud Arconem, et Porphyrionem reperi. Acron igitur in illud Horatii in lib. II. sat. I. *Grande malum Turius, si quis Judice certet.* „ Turius, inquit, quidam corruptissimus Judex, „ hic est cui Hortensius propter fratrem Varronem cer„ tas diversi coloris tabellas dedit. Alias Turium Mari-

tam propter Verrem laborat, quam quod eum minime res tota delectat. Videt enim, si a pueris nobilibus 1), quos adhuc elusit; si a quadruplatoribus 2), quos non sine caussa contempsit semper, ac pro nihilo putavit, accusandi voluntas ad viros fortes 3), spectatosque homines translata sit, se in judiciis dominari non posse.

VIII. Huic ego a) homini jam ante denuntio, si a

,, num Judicem significat, qui accepta pecunia pronuntiare sit solitus, qui fidem suam corruperant. Hoc quoque tempore Verres reus erat, et diversi coloris tabellas fertur, dedisse, ut sciret qui secundum voluntatem judicasset: quia nomina sua centumviri non adjiciunt,,. Porphyrion autem sic,, C. Turius hic Praetor fuit, apud quem accusatus est a Cicerone Verres, Hortensio defendente. Hic dicitur centumviris tabellas dedisse, aliis nigras, aliis rubras, et cera adnotasse, quas cuique dedisset, ut sciret a quibus postea pecuniam peteret, vel relinqueret, nam omnes corruperat,,. Haec illi, ex quibus utriusque et negligentiam, et ἀνιςτορησιαν sane indignam licet animadvertere. *Hot.*

1) *A pueris nobilibus)* Appio Claudio adolescente nobili: qui cum accusaret Terentium Varronem repetundarum reum ex Asia, victus ab Hortensio est, in quo judicio discoloribus ceris signa sententiarum notabantur. Significat et Caesarem, idem adolescentem, in Dolabella reo ex Sicilia, qui quidem damnatus non est quantum oportuit, per Hortensii gratiam. Nam si non damnatus est Dolabella, quo modo postea dicit Tullius: *Jamjam Dolabella neque me tui, neque tuorum liberum, quos tu miseros in egestate, ac solitudine reliquisti, miseret.* Significare potest sane etiam Scaurum, qui alterum Dolabella consularem, triumphalemque accusavit: et potuit eidem Hortensius resistere. *Asconius.*

2) *Si a quadruplatoribus) Quadruplatores* delatores erant criminum publicorum: in qua re quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulerant, assequebantur. Alii dicunt *quadruplatores* esse eorum reorum accusatores, qui convicti quadrupli damnari soleant, ut aleae, aut pecuniae gravioribus usuris foeneratae, quam pro consuetudine: aut ejusmodi aliorum criminum. *Idem.*

3) *Ad viros fortes)* Quam grave futurum erat, si *ad me*, diceret, cum de illo specialiter, nominatimque dicat, et viros, contra pueros nobiles ponit: spectatos; contra sordidum decuplatorem genus. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Huic ego)* Sic igitur illud idem probat *ab Adjunctis*: *djunctis*:

me caussam hanc vos agi volueritis, rationem illi defendendi totam esse mutandam 1), et ita tamen mutandam, ut meliore, et honestiore conditione sit 2), quam qua ipse esse vult; ut imitetur homines eos, quos ipse vidit 3) amplissimos, L. Crassum, et M Antonium: qui nihil se arbitrabantur ad judicia, caussasque amicorum, praeter fidem, et ingenium, afferre oportere. Nihil erit, quod, me agente, arbitretur judicium sine magno multorum periculo posse corrumpi 4).

Ego in hoc judicio a), mihi Siculorum caussam receptam, Populi Romani susceptam 5) esse arbitror: ut mihi non unus 6) homo improbus opprimendus sit; id quod Siculi petiverunt: sed omnino omnis improbitas 7), id quod Populus Romanus jamdiu flagitat, extinguenda, atque delenda sit. In quo

1) *Totam esse mutandam*) Amare *totam* dixit: quasi ex nulla parte bonam rationem defendendi habeat Hortensius. *Idem.*

2) *Meliore conditione sit*) Id est, meliorem conditionem habeat, meliorque sit: quippe qui, et possit, et debeat honeste agere: et hoc sit facilius, quam corrumpere Judices. *Idem.*

3) *Homines eos, quos ipse vidit*) Bene, *ipse vidit*: major enim est Hortensius Tullio: adeo, ut in libris, qui de Oratore scribuntur, etiam laudatur Hortensius a L. Crasso, et M. Antonio. Hos ante se Cicero, Catonemque veneratur, et multos alios quis, et de Oratore, et in Oratore, et Bruto collegit. Sed Crassum, et Antonium vidit Hortensius, alii vetustiores sunt. *Idem.*

4) *Sine magno multorum periculo posse corrumpi*) Bona occasione subtiliter, et Judicibus comminatur, et Siculis acrimoniam suam in accusando demonstrat. *Idem.*

5) *Susceptam*) *Suscipitur* totum totum: *recipitur* pars. *Suscipitur*, quod principale est: *recipitur*, quod hinc pendet. *Suscipitur* solum aliquid propter se: *recipitur* etiam propter aliud. *Idem.*

6) *Ut mihi non unus*) Verres: *Idem.*

7) *Omnis improbitas*) Ut corrupti Judices, et corruptores eorum, et sequestres, et interpretes, et emissarii, et omne quod vitii est. *Idem.*

ANALYSIS.

Reus eum accusatorem minime vult, in quo summa est constantia, integritas, facultas; eum maxime vult, in quo nihil eorum inest;
Sed in me illa sunt mediocria, in Caecilio vero nullo modo;
Ergo Verres Caecilium ma vult esse accusatorem, quam me.

a) *Ego in hoc judicio*) Se constantem in accusatione

ego quid eniti, aut quid efficere possim, malo in aliorum spe relinquere, quam in oratione mea ponere.

Tu vero a), Caecili, quid potes? quo tempore, aut qua in re non modo specimen ceteris aliquod dedisti; sed tute tui periculum 1) fecisti? In mentem tibi non venit, quid negotii sit caussam publicam sustinere? vitam alterius totam explicare 2), atque eam non modo in animis Judicum, sed etiam in oculis, conspectuque omnium exponere? sociorum salutem, commoda Provinciarum 3), vim legum, gravitatem judiciorum defendere?

IX. Cognosce ex me, quoniam hoc primum tempus discendi nactus es, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum accusat: ex quibus si unum aliquod in te cognoveris, ego jam tibi ipse isthuc, quod expetis, mea voluntate concedam. Primum integritatem, atque innocentiam singularem. Nihil est enim, quod minus ferendum sit, quam rationem ab altero vitae reposcere 4) eum, qui non possit suae reddere 5) Hic ego de te plura non dicam: unum illud credo omnes animadvertere, te adhuc a nullis, nisi a Siculis, potuisse cognosci 6): Siculos hoc di-

1) *Tute tui periculum:* Ἀπὸ τῆς πείρας tentamentum dicit: Hoc est, quando tu te ipse tentasti? quando vel exercuisti vel Protulisti? *Idem.*

2) *Vitam alterius totam explicare*) Praestruit ad illud quod dicturus est, multa esse crimina in Verre; quae conscius societatis Caecilius non audebit attingere, et hoc innocentiae est-*Vitam alterius totam explicare*, illud eloquentiae, *Atque ea non modo in animis Judicum*, et quod sequitur. *Idem.*

3) *Sociorum salutem, commoda Provinciarum*) Hoc est, causam patriae suscipere: ut *recepisse* singulorum. *Idem.*

4) *Rationem vitae reposcere* Accusatorem esse. *Idem.*

5) *Suae reddere*) Defensorem. *Idem,*

6) *Nisi a Siculis potuisse cognosci*) Aut quia Siculus ipse est; aut quia, nisi Quaestor in Sicilia, nihil aliud fuit Caecilius, in quo nosceretur quid hominis esset. *Idem.*

ANALYSIS.

futurum praedicat; reliqua fere omittit ad evitandam arrogantiae notam.

a) *Tu vero*) Caecilio omnia primum derogat. 1. facultatem dicendi a magnitudine rerum, quae tractandae sunt 2. integritatem, a testimonio Siculorum. 3. constantiam, a reconciliata gratia: deinde haec tria singillatim examinat.

cere, cum eidem sint irati, cui tu te inimicum esse dicis, sese tamen, te actore, ad judicium non affuturos. Quare negent, ex me non audies. Hos patere id suspicari, quod necesse est, illi quidem (ut est hominum genus 1) nimis acutum, et suspiciosum) non te ex Sicilia literas in Verrem deportare 2) velle arbitrantur: sed, cum iisdem literis illius Praetura, et tua Quaestura consignata sit, asportare et velle ex Sicilia literas suspicantur.

Deinde accusatorem firmum, verumque esse 3) oportet. Eum ego si te putem cupere esse, facile intelligo esse non posse. Nec ea dico, quae si dicam, tamen infirmare tu possis: te, antequam de Sicilia decesseris, in gratiam redisse cum Verre, Potamonem, scribam et familiarem 4) tuum, retentum esse a Verre 5) in Provincia, cum tu decederes: M. Caecilium, fratrem tuum, lectissimum, atque ornatissimum adolescentem 6), non modo non adesse, neque tecum tuas injurias persequi; sed esse cum Verre: cum illo familiarissime, atque amicissime vivere. Sunt haec, et alia in te falsi accusatoris signa permulta, quibus ego nuc non utor, Hoc dico, te, si maxime cupias, tamen verum accusatorem esse non posse. Video enim permulta esse crimina, quorum tibi societas cum Verre ejusmodi est, ut ea in accusando attingere non audeas.

1) *Ut est hominum genus)* Amariora dicturus, ad Siculorum personam contulit dicta. *Idem.*

2) *Deportare literas) Asportare aliquid*, ut intereat: *deportare*, ut mutet locum. *Idem.*

3) *Deinde accusatorem firmum, verumque esse)* Firmum, ut possit: verum, ut velit. *Idem.*

4) *Potamonem, scribam et familiarem)* Haec omnia signa sunt falsi accusatoris. *Idem.*

5) *Retentum esse a Verre)* Nam anno secundo Caecilius de Provincia decesserat; et per singulos annos Quaestores Verri mutati sunt. Vide infra. *Hotoman.*

6) *Lectissimum adolescentem)* Vera laudatio. Vult enim illum non ut inimicum fratris, contra germanitatis officium, esse cum Verre. sed ideo quod Caecilius quoque Verri carior sit. *Ascon.*

X. Quaeritur a) Sicilia tota 1), C. Verrem ab aratoribus, cum frumentum sibi in cellam 2) imperavisset, et cum esset tritici modius II. S 11, pro frumento, in modios singulos, duodenos sestertios exegisse. Magnum crimen, ingens pecunia, furtum impudens, injuria non ferenda. Ego hoc uno crimine illum condemnem necesse est. Tu, Caecili. quid facies? utrum hoc tantum crimen praetermitte, an objicies? Si objicies, idne alteri crimini dabis, quod eodem tempore, in eadem Provincia, tu ipse fecisti? audebis ita accusare alterum, ut, quo minus tute condemnere, recusare non possis? Sin praetermittes: qualis erit ista tua accusatio, quae, domestici periculi metu, certissimi, et maximi criminis non modo suspicionem, verum etiam mentionem ipsam pertimescat?

Emptum est ex S. C. frumentum a Siculis 3) Praetore Verre, pro quo frumento pecunia omnis soluta non est. Grave est hoc crimen in Verrem: grave,

1) *Quæritur Sicilia tota)* Inepte quidam mirantur cur haec Tullius in accusando Verre non objecerit Caecilio, et multa alia: et non intelligunt haec ad tempus commode adjungi, quae victo Caecilio non sunt necessaria. *Idem.*

2) *Frumentum in cellam)* Annonas Praetoris dicit, quae in frumenti certo numero praebebantur a Siculis: in quibus Verres, et pecuniam pro frumento exegit, et eo pretio, ut pro duobus sestertiis duodenos in modios singulos exegerit, sexies plus quam emebatur. *Idem.*

3) *Emptum est ex S. C. frumentum a Siculis)* Sicilia dabat decumanum frumentum, quod ab aratoribus exigebatur sine pretio. Dabat emptum, pro quo ex S. C. pecunia solvebatur. Dabat aestimatum, quod decretum Praetor in cellam, hoc est, in usus cellae aestimare solebat, accipiens, cum interdum pro frumento pecuniam sumeret. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Queritur*) Quoad costantiam, hoc modo.

Ille non potest esse constans in accusando, cui eadem crimina obiici possunt;

Sed Caecilius eorumdem criminum reus est, quae Verri obiici debent;

Ergo Caecilius in accusando Verre constans esse non potest.

Cum multa enumerat avare a Caecilio in Sicilia, et contra leges admissa, simul et *Assumptionem* confirmat, et illud alterum de integritate etiam absolvit.

me agente: te accusante, nullum. Eras enim tu Quaestor: pecuniam publicam tu tractabas 1), ex qua, etiam si cuperet Praetor, tamen ne qua deductio fieret 2), magna ex parte tua potestas erat. Cujus quoque igitur criminis, te accusante, mentio nulla fiet. Silebitur toto judicio de maximis, et notissimis illius furtis, et injuriis. Mihi crede, Caecili, non potest in accusando socios vere defendere is, qui cum reo criminum societate conjunctus est.

Mancipes a Civitatibus 3) pro frumento pecuniam exegerunt. Quid? hoc, Verre Praetore, factum est solum? non: sed etiam Quaestore Caecilio. Quid igitur? daturus es huic crimini, quod et potuisti prohibere, ne fieret, et debuisti? an totum id relinquas? Ergo id omnino Verres in judicio suo non audiet, quod cum faciebat 4), quemadmodum defensurus esset, non reperiebat.

IX. Atque ego haec, quae in medio posita sunt, commemoro. Sunt alia magis occulta furta 5) quae ille, ut istius, credo, animos, atque impetus retardaret, cum Quaestore suo benignissime communi-

1) *Pecuniam publicam tu tractabas*) Haec erat prima Senatoris administratio. Quaestorem fieri, et in Provincia curam gerere pecuniae publicae in usus diversos erogandae. *Idem.*

2) *Ne qua deductio fieret*) Modo deductio dispendium significat: alias deductio imminutio est etiam justa. *Idem.*

3) *Mancipes a Civitatibus*) Mancipes sunt publicanorum principes, Romani, homines qui quaestus sui caussa si decumas redimunt, decumani appellantur: si portum aut pascua publica, portitores aut pecuarii: quorum ratio scriptura dicitur. Hi omnes exigenda a sociis suo periculo exigunt, et rei publicae repraesentant, providentes etiam in illa redemptione commodis suis. Licet autem, si moderate fiat aestimare in cellam Praetori frumentum Mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licet. *Idem.*

4) *Quod cum jacebat*) Est vera defensio, est et inanis ut tamen aliquid dici videatur. Neutram harum habuit Verres, et tamen ita faciebat. Mire ostendit avaritiae coecitatem. *Idem.*

5) *Sunt alia magis occulta furta*) Inepte a quibusdam quaeritur, quae sint, nulla sunt enim sed Oratorum est, neque minuere laudes, vel crimen, neque ostendere. *Idem.*

tavit 1) Haec tu scis ad me esse delata: quae si velim proferre, facile omnes intelligent, vobis inter vos non modo voluntatem fuisse conjunctam, sed ne predam quidem adhuc esse divisam. Quapropter si tibi indicium postulas 2) dari, quod tecum una fecerit, concedo, si id lege permittitur. Sin autem de accusatione dicimus; concedas oportet iis, qui nullo suo peccato impediuntur, quo minus alterius peccata demonstrare possint.

Ac vide, quantum interfuturum sit inter meam, atque tuam accusationem. Ego etiam quae tu sine Verre commisisti 3). Verri crimini daturus sum, quod te non prohibuerit, cum summam ipse haberet potestatem: tu contra, ne quae ille quidem fecit, objicies, ne qua ex parte conjunctus cum eo reperiare.

Quid illa a), Caecili? contemnendane tibi videntur esse, sine quibus caussa sustineri, praesertim

1) *Benignissime cum Quaestore suo communicavit)* Jo-culariter irrisit, fures designans: ut tota ista Quaestura ad societatem furtorum valeat, non ad accusationem. *Idem.*

2) *Si tibi indicium postulas)* Certa sunt, in quibus impunitas indici datur, ut in caussa proditionis, majestatis, et si quod hujusmodi est. Certae etiam personae sunt, quae indices fieri possunt. Itaque repetundarum caussa per indices agi solet, neque senatoria persona potest indicium profiteri salvis legibus. Index est autem, qui facinoris, cujus ipse est conscius, latebras indicat, impunitate proposita. Est autem sensus. Index potes esse, si tibi hoc licet: accusator, de qua re agimus, esse non potes. Satis contumeliose tanquam levem hominem exagitavit Caecilium. *Idem.*

3) *Ego etiam quae tu sine Verre commisisti)* Quae ista? nulla scilicet. Haec enim vim comminationis, non veritatis habent. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Quid illa)* Quoad facultatem dicendi sic arguit *ab Adjunctis:*

Summa facultas requiritur in Caussa gravissima, et contra adversarium acerrimum;

Sed Caussa gravissima est, in Caecilio nulla est hujusmodi facultas, Hortensius acerrimus est adversarius;

Ergo par Caussa, et adversario facultas non est in Caecilio.

tanta, nullo modo potest? aliqua facultas agendi? aliqua dicendi consuetudo? aliqua in foro judiciis, legibus, aut ratio, aut exercitatio?

Intelligo a) quam scopuloso, difficilique in loco verser. Nam cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii, atque eloquentiae multo molestissima. Quamobrem nihil dico de meo ingenio: neque est quod possim dicere: neque, si esset, dicerem. Aut enim id mihi satis est, quod est de me opinionis, quicquid est, aut si id parum est, ego majus id commemorando facere non possum.

XII. De te, Caecili, jam mehercule hoc extra hanc contentionem, certamenque nostrum familiariter tecum loquar. Tu ipse quemadmodum existimes, vide etiam atque etiam: et tu te collige: et qui sis 1), et quid facere possis, considera. Putasne, te posse 2) de maximis, acerbissimisque rebus, cum caussam sociorum, fortunasque Provinciae, jus Populi Romani, gravitatem judicii, legumque susceperis, tot res, tam graves, tam varias, voce, memoria, consilio, ingenio, sustinere? Putasne, te posse, quae C. Verres in Quaestura, quae in legatione, quae in Praetura, quae Romae, quae in Achaja, Asia, Pamphyliaque patrarit, ea, quemadmodum locis, temporibusque divisa sint, sic criminibus, et oratione

1) *Et qui sis)* Non in nomine tantum, et in genere est, sed in omnibus attributis personae. Ergo, qui sis, et quod Siculus, continent, et quod indoctus, et quod non intelligeret, et quod nullo ingenio. *Idem.*

2) *Putasne, te posse)* Proprium Oratoris est in omni qualitate comparativa, sic agere, ut eum cui praeferri velit, occasionem sibi sumat ostendendi, quam perite possit tractare id ipsum, de quo agitur. Ergo quia de constituendo accusatore ambigitur, ostendit Cicero qualis accusatio esse debeat: ut proinde, ac dicit, videatur acturus. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Intelligo)* Praemissa modesta de se ipso attestatione, probat primam *Assumptionis* partem a magnitudine, et multitudine rerum, de quibus dicere necesse erat: brevis est, sed accurata singularum rerum enumeratio.

distinguere? Putasne posse, id quod in ejusmodi re maxime necessarium est, facere, ut, quae ille libidinose, quae nefarie, quae crudeliter fecerit, ea quae acerba, et indigna videantur esse iis, qui audient, atque illis visa sunt, qui senserunt?

Magna sunt ea, quae dico, mihi crede: noli haec contemnere. Dicenda, demonstranda, explicanda sunt omnia: caussa non solum exponenda, sed etiam graviter, copioseque agenda est. Perficiendum est, si quid agere, aut preficere vis, ut homines te non solum audiant, verum etiam libenter, studioseque audiant. In quo a) si te multum natura adjuvaret: si optimis a pueritia a disciplinis, atque artibus studuisses, et in his elaborasses: si literas Graecas Athenis, non Lilybaei, Latinas Romae, non Sicilia 1), didicisses: tamen esset magnum, tantam caussam, tam exspectatam, et diligentia consequi, et memoria complecti, et oratione exponere, et voce, et viribus sustinere.

Fortasse dices b): Quid? ergo haec in te sunt omnia? Utinam quidem essent! verumtamen ut esse possent, magno studio mihi a pueritia est elaboratum. Quod si ego haec, propter magnitudinem rerum, ac

1) *Athenis, non Lilybaei, Romae, non in Sicilia*) Dicit illum Graecas literas simul, et Latinas in Sicilia didicisse, in ea insula, quae neutra lingua bene utatur: ita enim Plautus in Persa. *Dabuntur dotis inde sexcenti tibi Logi, atque Attici omnes: nullum Siculum acceperis.* Idem.

ANALYSIS.

a) *In quo*). Secunda pars de nulla in dicendo Caecilii facultate *a loco*, in quo educatus fuerat, adeoque literas didicerat.

b) *Fortasse dices*) *Prolepsis* in Ciceronem, qui suam laudem cum alterius reprehensione videbatur conjungere, ipse tamen eam retorquet in adversarium hoc argumento *per Comparationem majorum:*

Quae metum incutiunt oratori in dicendo exercitato multo magis illum terrebunt, qui omnino imparatus est;
Sed futura judicii exspectatio, Populique concursus me terrent saepe in dicendo exercitatum, Caecilius autem omnino est imparatus;
Ergo illa multo magis timorem Caecilio incutient.

difficultatem, assequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi: quam longe tu te ab his rebus abesse arbitrare, quas non modo antea numquam cogitasti, sed ne nunc quidem, cum in eas ingrederis, quae et quantae sint, suspicari potes?

XIII. Ego, qui, sicut omnes sciunt, in foro, judiciisque ita verser, ut ejusdem aetatis, aut nemo, aut pauci, plures caussas defenderint, et qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur 1), in his studiis, laboribusque consumam, quo paratior ad usum forensem, promptiorque esse possim: tamen ita Deos mihi velim propitios 2), ut cum illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum sit, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco.

Jam nunc mente et cogitatione prespicio, quae tum studia hominum, qui concursus futuri sunt: quantam exspectationem magnitudo judicii 3) sit allatura: quantam auditorum multitudinem C. Verris infamia concitatura: quantam denique audientiam orationi meae improbitas illius factura sit. Quae cum cogito, jam nunc timeo, quidnam pro offensione hominum, qui illi inimici, infensique sunt, et exspectatione omnium, et magnitudine rerum, dignum, eloqui possim.

Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil labo-

1) *Quod mihi ab amicorum negotiis datur)* Quod mihi licet per amicorum negotia quibus occupamur. *Idem.*

2) *Ita mihi velim Deos propitios)* Genus jurisjurandi id est, quod dicimus, *Tantum mihi Divinitas faveat*, quantum verum est illud, quod dico tibi. Sic igitur. Ita mihi Deos velim propitios, ut commoveor animo, ac toto corpore perhorresco, cum mihi illius diei venit in mentem, quo die, citato reo, etc. *Idem.*

3) *Magnitudo judicii)* Repetundarum judicium sine dubio magnum est, et ex persona Verris, qui post Praeturam de fortunis omnibus dimicat: et amplitudine Judicium, sunt enim clarissimi, et auctoritatis contemplatione, et multarum rerum hujusmodi. *Idem.*

ras 1): et si quid ex vetere aliqua oratione: *Jovem ego Optimum Maximum* 2): aut, *Vellem, si fieri potuisset, Judices*: aut aliquid ejusmodi, ediscere potueris, praeclare te paratum in judicium venturum arbitraris. Ac, si tibi a) nemo responsurus esset, tamen ipsam caussam, ut ego arbitror, demonstrare non posses. Nunc ne illud quidem cogitas, tibi cum homine disertissimo, et ad dicendum paratissimo, futurum esse certamen: quicum modo disserendum, modo omni ratione pugnandum, certandumque sit? Cujus ego ingenium ita laudo 3), ut non pertimescam: ita probo, ut me ab eo delectari facilius, quam decipi putem posse.

XIV. Numquam ille me opprimet consilio: numquam ullo artificio pervertet: nunquam ingenio me suo labefactare, atque infirmare conabitur. Novi omnes hominis petitiones 4), rationesque dicendi: saepe in iisdem, saepe in contrariis caussis versati sumus. Ita contra me ille dicet, quamvis sit ingeniosus, ut nonnullum etiam de suo ingenio judicium

1) *Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras)* Metum ad offensionem inimicorum Verris retulit, cogitationem ad exspectationem hominum, laborem ad magnitudinem rerum. *Idem.*

2) *Jovem ego Optimum Maximum*) Haec capita solent usitata esse causidicis imperitis. Quod genus vitii in primo libro Rhetoricon vulgare nominat. Incipiebant autem veteres, ut Virgilius ostendit, aut ab invocatione Deorum. quale est:

Praefatus Divos solio Rex infit ab alto.

Aut ab reprehensione superioris temporis, ut ait Lucilius:

Vellem tum primis fieri si fors potuisset.

Vitiose ambo cola. Et Virgilius:

Ante equidem summa de re statuisse Latini,

Et vellem, et fuerat melius. Ascon.

3) *Cujus ergo ingenium ita laudo)* Cur hoc Tullius dicit? scilicet, ne terreantur Siculi laude patroni adversarii sui. *Idem.*

4) *Petitionem)* Rationes impetendi, et evertendi adversarium. Est utique translata haec vox a gladiatoribus in oratores. *Graevius.*

ANALYSIS.

a) *Ac, si tibi)* Haec est tertia pars superioris *Assumptionis* de summa facultate adversarii, quam ingeniose amplificat.

fieri arbitretur. Te vero, Caecili, quemadmodum sit elusurus, quam omni ratione jactaturus, videre jam videor: quoties ille tibi potestatem, optionemque facturus sit; ut eligas utrum velis, factum esse, necne 1): verum esse, an falsum: utrum dixeris, id contra te futurum. Qui tibi aestus, qui error, quae tenebrae, Dii immortales! erunt, homini minime malo? Quid? cum accusationis tuae membra dividere coeperit 2), et in digitis suis singulas partes caussae constituere? Quid, cum unumquodque transigere 3), expedire 4), absolvere 5)? Ipse profecto metuere incipies 6), ne innocenti periculum facesseris. Quid, cum commiserari, conqueri, et ex illius invidia deonerare aliquid 4), et in te trajicere coeperit: commemorare Quaestoris cum Praetore necessitudinem constitutam? morem majorum? sortis religionem 8)? Poterisne ejus orationis subire invidiam 9)? Vide modo: etiam atque etiam considera.

1) *Factum esse, necne,*) Factum est, non est factum: calumniationes, et hoc genus argumenti complexio dicitur. Quae, si probabilis est, vincitur: si necessaria, selvi non potest. *Ascon.*

2) *Quid, cum accusationis tuae membra dividere coeperit?* Hic irridet Hortensii consuetudinem, ut saepe alias. *Idem.*

3) *Transigere*) Quod manifestum est. *Idem.*

4) *Expedire*) Definiendum. *Idem.*

5) *Absolvere*) Dividendum. An transigere est, quod) aut confiteri non timeat, aut negatione excludat: expedire, quod definitione) mss. *defensione*) solvatur: absolvere, quod per qualitatem licitum esse monstretur? *Idem.*

6) *Ipse profecto metuere incipies*) Mire descripsit imperitum, cui persuaderi possit, verum dicere adversarium suum. *Idem.*

7) *Ex illius invidia deonerare aliquid)* Hoc plus est, quam socium criminis reddere. *Idem.*

8) *Sortis religionem*) *Sors* saepe est Provincia, quia plerumque solebant Provincias sortiri. Ut recte Gronov. ad Tacit. observavit Inferius in hac oratione cap. 20. vocat *conjunctionem sortis, et necessitudinem sortis.* Graev.

9) *Poterisne ejus oratione subire invidiam?*). Quasi Latine dixit, ut magno ponderi subire. Ascon. *Subire invidiam*, sustinere eam invidiam, quam ille tibi oratione sua parabit. Sic enim omnes omnino quos vidi, libri. Solus Asconius, *subire invidiae*. Hotomanus.

Mihi enim videtur periculum fore, ne ille non modo verbis te obruat, sed gestu ipso, ac motu corporis praestringat aciem 1) ingenii tui, teque ab institutis tuis, cogitationibusque abducat.

Atque hujusce rei judicium jam continuo video futurum. Si enim mihi hodie respondere ad haec, quae dico, potueris: si ab isto libro, quem tibi magister ludi 2), nescio qui, ex alienis orationibus compositum dedit, verbo uno discesseris: posse te, et illi quoque judicio non deesse, et caussae atque officio tuo satisfacere arbitrabor. Sin mecum in hac prolusione 3) nihil fueris: quem te in ipsa pugna cum acerrimo adversario fore putemus?

XV. Esto a): ipse nihil est, nihil potest: at venit paratus cum subscriptoribus exercitatis, et disertis 4). Est tamen hoc aliquid: tametsi non est

1) *Praestingat aciem*) Vel a praestigiatoribus transtulit, verbum, vel a tironibus, qui ignari, et rudes pugnae etiam vano armorum sonitu terrentur praestrictis luminibus. Plautus in Milite Glorioso.

Ut ubi usus veniat, contra conserta manu
Oculorum praestringat aciem in acie hostibus. Ascon.

2) *Magister ludi*) Literarii ludi magister. Omnem enim scholam ludum dixere Romani. Et magistri ludi dicuntur qui primas literas docent. Ergo libellum veterem vult intelligi attulisse Caecilium, unde magister dictata pueris praebere consuevisset. *Idem.*

3) *Prolusione*) Divinatio prolusio est; *un avant jeu*, Graecis προοιμιον. Fabius lib. 4. cap. 1. initio. Nam a citharoerdis ductá metaphora est, qui ante legitimum carmen pauca aliqua artis Musicae praeludia auditoribus ingerunt; ipsum autem certamen, quasi legitimum carmen, est ipsa Verris accusatio. *Menardus.*

4) *Cum subscriptoribus exercitatis, et disertis*) Ironia. Subscriptores autem dicuntur, qui adjuvare accusatorem causidici solent: quos oportet summissius agere, quam dicat ille, quem sequuntur. *Ascon.*

ANALYSIS.

a) *Esto*) Dicturus erat Caecilius, sibi Subscriptores viros facundos non defuturos. Ex his Cicero Apulejum rejicit, ut minime exercitatum, Allienum, ut Caecilii ingenio Subscriptorum more faventem; ex Oratorum grege negat in tanta caussa Subscriptorem deligi oportere.

satis. Omnibus enim rebus is 1), qui princeps in agendo est, ornatissimus, et paratissimus esse debet. Verumtamen L. Apulejum esse video proximum subscritporem 2), hominem non aetate sed usu forensi, atque exercitatione tironem. Deinde (ut opinor) habet Allienum 3), hunc tamen a subselliis 4): qui, quid in dicendo posset, nunquam satis attendi. In clamando quidem 5) video eum esse bene robustum, atque exercitatum. In hoc spes tuae sunt omnes. Hic, si tu eris actor constitutus, totum judicium sustinebit 6). Ac ne is quidem tantum contendet in dicendo, quantum potest: sed consulet laudi, et existimationi tuae; et ex eo, quod ipse potest in dicendo, aliquantum remittet, ut tu tamen aliquid

1) *In omnibus enim rebus*) Hic ratio redditur, quare dixerit, *tametsi non est satis*. Nam supra ideo posuit, *est aliquid hoc*, ut ostenderet, quod sine his nihil sit Caecilius, *Idem*. Legit cum Asconio Hotomanus, *in omnibus rebus*, hoc est, inquit, sive in usu, et exercitatione forensi, sive in facultate dicendi. Sed ceteri omnes delent *in*, et referunt *omnibus rebus* ad *ornatissimus*.

2) *Proximum subscriptorem*) Secundum ab accusatore Caecilio. *Idem*.

3) *Habet Allienum*) Caecilius scilicet. *Allienum* autem volunt intelligi proprium nomen esse quasi ab Alia, ut Vir.
Quosque secans infaustum intervenit Alia nomen.
Alii *Allienum* non nomen proprium putant esse, sed alienum, et alterius judicii, et non ex auditorio Praetoris, majorumque caussarum, sed a subselliis, hoc est non a tribunalibus. Sunt enim subsellia Tribunorum, trium virorum, Quaestorum, et hujuscemodi minora judicia exercentium, qui non se sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis considebant. Ascon. *Allienum*, gemina L. scriptum est in antiquis lapidibus. Nomen hic esse proprium, infra cognoscitur. In quo miror Asconium sentire cum iis (sic enim videtur) qui, *alienum*, non *Allienum*, legebant. *Manut.*

4) *Hunc tamen a subselliis*) Utrum hoc ad contemptum, an ad genus laudis pertinet? ego quasi ad laudem dictum accipio: ut major irrisio sit Caecilii, qui nec a subselliis fuerit aliquando. *Ascon.*

5) *In clamando quidem*) Hujusmodi homines in libris de Oratore non *declamationes*, sed *clamatores* idem Tullius vocat. *Idem.*

6) *Totum judicium sustinebit*) Quia tu nec partem judicii sustinebis. Hoc est enim totum judicium, et spes omnis. *Idem.*

esse videare. Ut in actoribus Graecis 1) fieri videmus: saepe illum, qui est secundarum, aut tertiarum 2) partium, cum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum 3), multum submittere 4), ut ille princeps quam maxime excellat; sic faciet Allienus: tibi serviet, tibi lenocinabitur: minus aliquanto contendet, quam potest.

Jam hoc considerate, hujusmodi accusatores in tanto judicio simus habituri: cum et ipse Allienus ex ea facultate, si quam habet, aliquantum detracturus sit: et Caecilius tum denique se aliquid futurum putet, si Allienus minus vehemens fuerit, et sibi primas in dicendo partes concesserit. Quartum, quem sit habiturus 5), non video, nisi quem forte ex illo grege moratorum 6), qui subscriptionem sibi postularunt, cuicumque 7) vos delationem dedissetis.

1) *Actoribus Graecis*) Palliatarum scilicet fabularum. In his enim, etiamsi Latinae sunt, Graeca omnia servantur. Nam Latinae fabulae per pauciores agebantur personas, ut Atellanae, togatae, hujusmodi aliae. An ideo actores Graecos dixit? *Ascon.* Vide Turneb. Adv. I. 10. et XIX. 14.

2) *Saepe illum qui est secundarum, aut tertiarum*) Comoedia quinque actus habet, hoc est quinquies ducitur in scenam. Est ergo persona primarum partium, quae saepius actu regreditur, secundarum, et tertiarum, quae minus minusque procedunt. Terentinus in Phormione: *Quia, primas partes qui aget, is erit Phormio.* Asc.

3) *Quam ille primarum*) Subaudi, partium. *Idem.*

4) *Multum summittere*) Subaudi, vocem, vel gestum. *Idem.*

5) *Quartum: quem sit habiturus*) Duos dixit, quomodo quartum nominat? scilicet ab accusatore: cum ipso Caecilio, numerans proximum Allienum. *Idem.*

6) *Ex illo grege moratorum*) Obturbatores quosdam, sordidosque causidicos significat, qui adhibebantur ad moram faciendam; dum meliores advocati recrearentur; et se denuo compararent ad dicendum. Et non recessit a translatione scenicorum, (qui sunt tragici, et comici) dicendo quartum actorem, et gregem. *Ascon.* Nos, *moratorum*, reposuimus, quod ante Cujacius. *Lamb.* Sic omnino est legendum, itaque legisse Asconium,) quamquam ejus quoque libri impres. si habeant, *Ex illo grege Oratorum* (. ejus interpretatio dilucide ostendit. *Fabrit.*

7) *Cuicumque*) Sive mihi, sive Caecilio. *Ascon.*

Ex quibus alienissimis hominibus 1), ita paratus venis, ut tibi hospes aliquis sit recipiendus. Quibus ego non sum tantum honorem habiturus, ut ad ea, quae dixerint, certo loco, aut singulatim unicuique respondeam. Sic breviter, quoniam non consulto, sed casu in eorum mentionem incidi, quasi praeteriens, satisfaciam universis 2).

XVI. Tantane vobis inopia videor esse amicorum; ut mihi non ex his, quos mecum adduxerim, sed de Populo subscriptor addatur 3)? vobis autem tanta inopia reorum est, ut mihi caussam praeripere conemini potius, quam aliquos a columna Menia 4),

1) *Alienissimis hominibus*) Hinc apparet, etiam supra, *alienum* alieni judicii hominem significari. Et ideo de alienis, quasi exteris per jocum dicit, tanquam peregrinantibus, et advenis aliquem hospitio esse recipiendum Caecilio. *Ascon.* Probo interpretationem Asconii, qui ait istos alienissimos joco dici. hospites quia nimirum hospites erant in tribunalibus, cum semper ante hac versati essent in subselliis. *Graev.*

2) *Quasi praeteriens, satisfaciam universis*) Sufficit, inquit, omnibus; quod ego vel praeteriens breviter dixero, pro levitate eorum, quibus respondendum est. Oblique autem Cicero removere conatur Caecilium etiam a subscribendi spe, quod postea, ille poposcerat secundarum manus: sed in humanissimum erat dicere, ne subscriptorem quidem idoneum posse esse Caecilium. Quare in summa sibi subscriptorem necessarium non esse dicit. Alibi (II. orat.) ait, *Sed ne subscribendi quidem, cum id postularet, fecerent potestatem*. Ascon.

3) *De Populo subscriptor addatur?*) Amare, *subscriptor de Populo*: quasi isti in vulgo numerandi sint. Et *addatur*, proprie, de quasi invito, et superbo, quod hujusmodi nimirum res additae dicuntur. *Idem.*

4) *Ad columnam Maeniam*). Maenius, cum domum suam venderet Catoni, et Flacco Censoribus, ut ibi basilica aedificaretur, exceperat jus sibi unius columnae, super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse, et posteri ejus spectare munus gladiorum possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur columna Maenia vocitata est. * Caussis ejusmodi soliti aderant autem his rebus moratores apti talibus negotiis. *Ascon.* Omnes editi, non *ad columnam Maeniam* habent, sed *a columna Maenia*. Vocem tamen ultimam plerique sine diphthongo.

vestri ordinis reos 1) reperiatis? Custodem a), inquit, Tullio me apponite 2). Quid? mihi quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero? qui non solum, ne quid enunties*, sed etiam ne quid auferas, custodiendus sis. Sed de isto custode toto 3) sic vobis brevissime respondebo: non esse hos tales 4) viros commissuros, ut ad caussam tantam, a me susceptam, mihi creditam quisquam subscriptor, me invito, aspirare possit. Etenim fides mea custodem repudiat, diligentia speculatorem reformidat.

Verum b), ut ad te, Caecili, redeam 5), quam multa te deficiant, vides: quam multa sint in te, quae reus nocens in accusatore suo cupiat esse profecto jam intelligis. Quid ad haec c) dici potest?

* *Caussis ejusmodi)* Hoc et depravatum est, et videtur abundare. Potius ad illud pertinet, quod est paullo supra: *Ex illo grege Oratorum.* Manut. in mss. legitur; *soli aderans moratores.* Graevius.

1) *Vestri ordinis reos)* Reos vestra defensione condignos, Ut fures, et servos nequam, si apud Trium viros capitales apud columnam Maeniam puniri solent. *Idem.*

2) *Custodem, inquit, Tullio me apponite)* Subscriptorem non dixit, sed custodem; ut quia acerbe responsurus erat, lacessitus convicium facere videatur. Nam subscriptores non solum caussarum caussa, neque juvandi accusatoris adhiberi solent, sed etiam ut non corrumpantur. *Idem.*

3) *De isto custode toto)* Hoc est, de omni genere subscriptorum, id est, etiamsi Caecilius subscriptorem se esse deposcat. *Idem.*

4) *Nunquam tales.)* Vulgati, *non esse hos tales) viros commissuros)* Male facturos, prave, et iniqua ratione. Nam commiti fraus dicitur, atque peccatum. Sum enim et fidelis, et diligens, et ideo nec custode indigeo, et speculatorem esse inter mea secreta non patior. *Idem.*

5) *Verum, ut ad te, Caecilii, redeam)* Recte, quia in subscriptores παρεκβασιν fecerat. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Custodem.)* Tandem ne Subscriptorem quidem suum illorum quempiam vult esse, quod illorum fidei admodum diffidat.

b) *Verum* Conclusio hujus secundae partis.

c) *Quid ad haec)* Postquam ostendit nihil esse in Caecilio eorum, quae bonum accusatorem decent, duo illius argumenta, quibus nixus hanc accusationem petebat, diluit, de injuria, et de Quaestura.

Non enim quaero, quid tu dicturus sis, Video mihi non te, sed hunc librum esse responsurum, quem monitor tuus hic tenet: qui, si te recte monere volet, suadebit tibi, ut hinc discedas, neque mihi verbum ullum respondeas. Quid enim dices? an id a), quod dictitas, injuriam tibi fecisse Verrem? Arbitror: neque enim esset verisimile, cum omnibus Siculis faceret injurias, te illi unum eximium, cui consultaret, fuisse. Sed ceteri b) Siculi 1) ultorem suarum injuriarum invenerunt: tu, dum tuas injurias per te, id quod non potes, persequi conari, id agis, ut ceterorum quoque injuriae sint impunitae, atque inultae: et hoc te c) praeterit, non id solum spectari solere, qui debeat, sed etiam illud, qui possit ulcisci. In quo utrumque sit, eum superiorem esse, in quo alterum, in eo non quid is velit, sed quid facere possit, quaeri solere.

Quod si ei d) potissimum censes permitti oportere accusandi potestatem, cui maximam C. Verres injuriam fecerit: utrum tandem censes hos Judices gravius ferre oportere, te ab illo esse laesum, an Provinciam Siciliam esse vexatam, ac perditam? Opinor, concedis, multo hoc esse gravius, et ab om-

1) *Sed ceteri Siculi)* Saepe in Caecilium utitur hoc convicio, ut illum non Romanum, sed Siculum dicat. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *An id)* Quoad injuriam, quam sibi a Verre factam dicebat, ita in primis arguit *ab Adjunctis*:

In constituendo accusatore magis observandum est, quis possit, quam qui debeat accusare;

Sed Caecilius etiamsi debeat ob injuriam acceptam accusare Verrem, tamen non potest ob imperitiam;

Ergo non est constituendus accusator in Verrem.

b) *Sed ceteri)* *Assumptio.*

c) *Et hoc te)* *Propositio.*

d) *Quod si ei)* In primo argumento visus est fateri Ciceron, injuriam a Verre factam Caecilio magnam fuisse, et veram, nunc negat magnam injuriam fuisse, postea et veram fuisse, negabit; sic igitur:

Ii debent accusare, quibus major facta est injuria:

Sed Siculis longe major a Verre facta est injuria, quam Caecilio.

Ergo Siculi, me agente, Verrem accusare debent.

nibus ferri gravius oportere. Concede igitur, ut tibi anteponatur in accusando Provincia. Nam Provincia accusat, cum is agit caussam, quem sibi illa defensorem sui juris, ultorem injuriarum, actorem caussae totius adoptavit.

XVII. At eam tibi a) C. Verres fecit injuriam, quae ceterorum quoque animos posset alieno incommodo commovere. Minime. Nam id quoque ad rem pertinere arbitror, qualis injuria dicatur: quae caussa inimicitiarum proferatur. Cognoscite ex me. Nam iste eam profecto, nisi plane nihil sapit, numquam proferet. Agonis b) est quaedam, Lilybaetana, liberta Veneris Erycinae 1): quae mulier ante hunc Quaestorum, copiosa plane, et locuples fuit. Ab hac Praefectus Antonii 2) quidam symphoniacos servos ab-

1) *Liberta Veneris Erycinae*) Quibus Deis permissum erat Senatus-consulto, aut constitutione Principum, dare, donare, dicare; nihil mirum est in eorum dominio fuisse etiam servos, quos et manumitti potuisse hic locus indicat. *Et eorum*, inquit, *qui a Venere se liberaverunt*, id est, qui a servitio Veneris manumissione sunt liberati, Utrumque comprehendit Varro, ut videtur, lib. 7. de lingua Latina ad extremum. Nam fanorum servos manumissos, proportionem non servare, illo loco docet: servasse tamen Erycinae Veneris libertos proportionem, locus hic ostendit; dicuntur enim Venerii, a Veneris servitute liberati. *Menardus*.

2) *Praefectus Antonii*) Antonius curator tuendae totius orae maritimae, quae Romanum erat imperium, non solum ipse nequam, verum etiam comitibus pessimis rem inauditam invasit, et indicto Cretensibus bello, male re gesta ibidem periit, antequam Pompejus contra piratas missus est. De hoc alibi ait Tullius, *Post M. Antonii infinitum illud imperium senserant*. *Asc.*

ANALYSIS.

a) *At eam tibi*) Tertio Caecilii rationem penitus evertit, hoc modo:

Ille non est constituendus accusator, vel cui nulla facta est injuria, vel qui postea, rediit in gratiam;
Sed Caecilio nulla a Verre facta est injuria, et sine controversia deinde Caecilius cum Verre in gratiam rediit.
Ergo Caecilius non est constituendus accusator in Verrem

b) *Agonis*) Exponit, qua in re diceret Caecilium injuriam sibi a Verre factam, concluditque nullam esse, cum juste a Verre laesus fuerit; est autem *Assumptionis* prima pars.

ducebat per injuriam, quibus se in classe uti velle dicebat 1). Tum illa, ut mos in Sicilia est omnium Venereorum, et eorum, qui a Venere se liberaverunt; ut Praefecto illi religionem Veneris, nomenque objiceret, dixit et se, et omnia sua, Veneris esse.

Ubi hoc Quaestori Caecilio, viro optimo, et homini aequissimo, nuntiatum est; vocari ad se Agonidem jubet: judicium dat statim 2), si pareret, eam, se et sua Veneris esse, dixisse. Judicant recuperatores id, quod necesse erat. Neque enim erat quiquam dubium, quin illa dixisset. Iste in possessionem bonorum mulieris mittit: ipsam Veneri in servitutem adjudicat: deinde bona vendit: pecuniam redigit. Ita, dum pauca mancipia, Veneris nomine, Agonis, ac religione retinere vult, fortunas, omnes, libertatem suam istius injuria perdidit. Lilybaeum Verres venit postea: rem cognoscit: factum improbat: cogit Quaestorem suum, pecuniam, quam ex Agonidis bonis redegisset, eam mulieri omnem adnumerare, et reddere.

Est adhuc, id quod vos omnes admirari video, non Verres, sed Q. Mucius 3). Quid enim facere potuit elegantius ad hominum existimationem? aequius

1) *Quibus se in classe uti velle dicebat)* Cani remigibus celeusma per symphoniacos solebat et per assam vocem, id est, ore prolatam, et ut in Argo navi, per citharam: sed quia hic, *in classe*, dixit, possumus intelligere, ad hoc symphoniacos capi solere, ut in classe pugnantibus classicum canant: unde ipsi tubae classis nomen est positum classicum. *Idem.*

2) *Judicium dat statim)* In Provinciis, et Praetores, et Quaestores, ut apparet, judicia in caussis privatis dabant. Est autem *dare judicium* Judices constituere in certa verba, ut, si pareret *tam se, et sua esse Veneri dixisse:* plena autem est oratio, *Tum ejus bona Veneri adjudicantur:* Nam Judices a magistratu dati de facto postea cognoscebant, et eorum sententiam Magistratus exequebatur. *Hotoman.*

3) *Non Verres, sed Q. Mucius)* Scaevolam significat. Hujus Quaestor Rutilius Rufus damnatus est, quod cum Praetore consenserit suo, ne publicani *aliquid agerent* in Provincia sua. Quo cognito, equites Romani) nam tum ante Syllana tempora judicabant) damnarunt eum. Hic est Mucius, in honorem cujus Asiani diem festum *Mucia* nominabant. *Ascon.*

ad levandam mulieris calamitatem? vehementius ad Quaestoris libidinem coercendam? Summe haec omnia mihi videntur esse laudanda. Sed repente e vestigio, ex homine, tamquam aliquo Circaeo poculo 1), factus est Verres. Redit ad se, atque ad mores suos 2). Nam ex illa pecunia magnam partem ad se vertit: mulieri reddidit quantulum visum est.

XVIII. Hic tu, si laesum te a Verre esse dices 3): patiar, et concedam. Si injuriam tibi factam quereris; defendam, et negabo. Deinde a) de injuria, quae tibi facta sit, neminem nostrum graviorem vindicem esse oportet, quam te ipsum, cui facta dicitur. Si tu cum illo postea in gratiam redisti: si domi illius aliquoties, si ille apud te postea cenavit: utrum te perfidiosum, an praevaricatorem 4) existimari mavis? Video esse necesse alterutrum. Sed ego tecum in eo non pugnabo, quo minus, utrum velis, eligas.

1) *Circaeo poculo)* Illa enim sues ex hominibus faciebat. *Redit* autem jam ad argumentum, non ad similitudinem pertinet. Vult enim innuere, quod recte fecit, alienum esse, et parvissimi temporis; proprium vero et perpetuum, quod admisit. *Asc.* Nota est de Circe fabula, ex lib. Odyss. 10. quae Ulyssis socios in sues mutavit. Et alludit ad nomen *Verris,* quasi e Q. Mucio sus factus sit Verres. *Hotomanus:*

2) *Redit ad se, atque ad mores suos)* Nota, redire ad se homines. *Ascon.*

3) *Hic tu, si laesum te a Verre dicis)* Injuria semper injusta est: laedi etiam aliquis juste potest: nam et qui jure damnantur, laeduntur, sed non injuria. Et recte contra *patiar, defendam,* posuit: contra *concedam, negabo.* et bene addit, *negabo*: potuit enim aliter atque aliter intelligi defensio: est enim hic finis, quid sit injuria. *Idem.*

4) *Perfidiosum, an praevaricatorem)* *Perfidiosus* dicitur, qui cum inimicus sit, amicum se simulat: *praevaricator*, qui cum amicus sit, inimicum se fingit. Illud ad C. Verrem hoc ad Siculos refertur. *Hotoman.*

ANALYSIS.

a) *Deinde)* Secunda pars de reditu in gratiam approbata *ab Effectibus.*

Quid, si ne injuriae quidem, quae tibi ab illo facta sit, caussa remanet: quid habes quod possis dicere, quam ob rem non modo mihi, sed cuiquam anteponere? nisi forte a) illud, quod dicturum te esse audio, Quaestorem illius fuisse. Quae caussa gravis esset, si certares mecum, uter nostrum illi amicior esse deberet. In contentione suscipiendarum inimicitiarum, ridiculum est putare, caussam necessitudinis ad inferendum periculum justam videri oportere. Etenim, si plurimas a tuo Praetore injurias accepisses; tamen eas ferendo, majorem laudem, quam ulciscendo, mererere. Cum vero nullum illius in vita rectius factum sit, quam id, quod tu injuriam appellas; hi statuent, hanc caussam, quam ne in alio quidem probarent 1), in te justam ad necessitudinem violandam, videri? Qui si summam injuriam ab illo accepisti, tamen quoniam Quaestor ejus fuisti, non potes eum sine ulla vituperatione accusare. Si vero nulla tibi facta est injuria, sine scelere eum accusare non potes. Quare cum incertum sit de injuria, quemquam esse horum putas, qui non malit, te sine vituperatione, quam cum scelere, discedere?

XIX. At vide b), quid differat inter meam opi-

1) *Quam ne in alio quidem probarent*) Qui et idoneus Orator, et integer Quaestor accusandi Verris fuisset. *Ascon.*

ANALYSIS.

a) *Nisi forte* Alteram Caecilii rationem, cur sibi demandandum esset hoc accusandi munus, quia Verris Quaestor fuerat, refellit *a Comparatione majorum:*

Si maximae tibi a Verre factae fuissent injuriae; adhuc non esses constituendus in eum accusator, ratione Quaestura;

Sed nulla omnino tibi a Verre facta est injuria;

Ergo multo minus.

Propositio pendet a summa necessitudine, quam Quaestor habet cum suo Praetore; *Assumptio* autem ex iis, quae supra dicta sunt, satis constat.

b) *At vide*) Idem argumentum sic alio modo pertractat:

Si ceteris rebus esses superior, hac una re mihi esses

nionem, ac tuam. Tu, cum omnibus rebus inferior sis, hac una in re te mihi anteferri putas oportere, quod Quaestor illius fueris: ego, si superior ceteris rebus esses, hanc unam ob caussam te accusatorem repudiari putarem oportere. Sic enim a majoribus nostris accepimus, Praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere: nullam neque justiorem, neque graviorem caussam necessitudinis posse reperiri, quam conjunctionem sortis 1), quam provinciae, quam officii, quam publicam muneris societatem. Quamobrem si jure eum posses accusare, tamen, cum is tibi parentis numero fuisset, id pie facere non posses. Cum vero neque injuriam acceperis, et Praetori tuo periculum crees: fatearis necesse est, te illi injustum, impiumque bellum inferri conari. Etenim ista Quaestura ad eam rem valet, ut elaborandum tibi in ratione reddenda sit, quamobrem, qui Quaestor ejus fueris, accuses 2): non, ut ob eam ipsam caussam postulandum sit, ut tibi potissimum accusatio detur. Neque fere umquam venit in contentionem de accusando, qui Quaestor fuisset, quin repudiaretur. Itaque neque L. Philoni 3) in C. Servilium nominis deferendi potestas est data, neque M. Aurelio Scauro in L. Flaccum, neque Cn. Pompejo in T. Albucium: quorum nemo propter indignitatem repudiatus est; sed ne libido violandae necessitudinis auctoritate Judicum comprobaretur. Atque ille

1 *Conjunctionem sortis* Vide supra, c. 14.

2) *Quamobrem eum, cui Quaestor fueris, accuses) Accuses*, pro eo quod est accusare velis. An apud nos modo accuses, cum dicas ab illo tibi injuriam factam? *Idem*.

3) *Itaque neque L. Philoni*) Omnia exempla sunt Quaestorum, qui Praetores suos non permissi sunt accusare. *Idem*.

ANALYSIS.

postponendus, quod Quaestor Verris fueris;
Sed et ceteris rebus multo es inferior,
Ergo multo magis mihi es postponendus.

Propositionem pariter probat a necessitudine, quae inter Praetorem, et Quaestorem intercedit, *et ab Exemplis*.

Cn. Pompejus 1) ita cum C. Julio contendit, ut tu mecum. Quaestor enim Albucii fuerat, ut tu Verris. Julius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat, quod, ut hoc tempore nos ab Siculis, sic ut ille ab Sardis rogatus, ad caussam accesserat. Semper haec a) caussa plurimum valuit: semper haec ratio accusandi fuit honestissima, pro sociis, pro salute Provinciae, pro exterarum nationum commodis inimicitias suscipere, ad periculum accedere; operam, studium, laborem interponere.

XX. Etenim b) si probabilis est eorum caussa, qui injurias suas persequi volunt: qua in re dolori suo, non Reipublicae commodis serviunt: quanto illa caussa honestior, quae non solum probabilis videri, sed etiam grata esse debet, nulla privatim accepta injuria, sociorum, atque amicorum Populi Romani dolore, atque injuriis commoveri? Nuper cum in P. Gabium vir fortissimus, et innocentissimus L. Piso delationem nominis postularet, et contra Q. Caecilius peteret, isque se veteres inimicitias jam diu susceptas persequi diceret: cum auctoritas, et dignitas Pisonis valebat plurimum, tum illa erat caussa justissima, quod eum sibi Achaei patronum adopta-

1) *Atque ille Cn. Pompejus)* Propriora exempla, et magis similia posteriora ponenda sunt. Strabonem autem dicit Pompejum, Cn. Pompeji patrem. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Semper haec)* Suam vero caussam, qua ipse Cicero superior erat, quod nempe hanc inimicitiam susciperet pro Sociis multis rationibus confirmat.

b*) Etenim)* 1. *A Comparatione minorum:*

Magis honestum est Sociorum injurias, quam suas persequi;

Sed caussa honestam habet, qui suas injurias persequitur;

Ergo multo honestiorem, qui pro Sociis pugnat.

Propositio approbata Judicum illorum auctoritate, qui P. Gabinium judicaverant.

rant. Etenim a) cum lex ipsa 1) de pecuniis repetundis sociorum, atque amicorum Populi Romani caussa parata sit, iniquum est, non eum legis, judiciique actorem idoneum maxime putari, quem actorem caussae suae socii, defensoremque fortunarum suarum potissimum esse voluerunt. An, quod b) ad commemorandum est honestius, id ad probandum non multo videri debet aequius? utra igitur est splendidior, utra illustrior commemoratio? accusavi eum, cui Quaestor fueram; quicum me sors, consuetudoque majorum; quicum me Deorum, hominumque judicium conjunxerat: an, accusavi rogatu sociorum, atque amicorum? delectus sum ab universa Provincia, qui ejus jura fortunasque defenderem? Dubitare quisquam potest, quin honestius sit, eorum caussa, apud quos Quaestor fueris, quam eum, cujus Quaestor fueris, accusare?

Clarissimi viri c) nostrae Civitatis 2), temporibus optimis, hoc sibi amplissimum, pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus clientibusque suis, ab exteris nationibus, quae in amicitiam Populi Romani, ditionemque essent 3), injurias propulsare, eorumque

1) *Etenim, cum lex ipsa*) Vide firmamenta argumentorum quoties in oratione sine metu fastidii repeti solent. *Idem*.

2) *Clarissimi viri nostrae Civitatis*) Hoc rursum extra contentionem, quam ante cum Caecilio habuit, de suo officio, quemadmodum coeperat, repetit, ne levis videretur ex defensore repente accusator factus. *Idem*.

3) *Quae in amicitiam Populi Romani, ditionemque essent*) Vetus locutio, qua eadem usus est in orat. pro Lege Manil. *Cum vestros portus, atque eos portus quibus vitam ac spiritum ducitis, in praedonum fuisse pote-*

ANALYSIS.

a) *Etenim)* 2. *A Caussa finali* legis Repetundarum, eodem fere modo, quo supra.

a) *An, quod)* 3. *Ab adjunctis*, tali ratione;

Id magisaequum est probari, quod honestius commemorari potest.;

Sed honestius quilibet commemorat a se accusatum fuisse quempiam caussa Sociorum, quam a se accusatum eum fuisse, cujus Quaestor fuerit:

Ergo aequius est primam, quam secundam accusandi caussam probare.

b) *Clarissimi viri*) 4. *Ab Exemplis* similibus M. Catonis, et Cn. Domitii..

fortunas defendere. M. Catonem illum Sapientem 1), clarissimum virum, et prudentissimum, cum multis graves inimicitias gessisse accepimus, propter Hispanorum, apud quos Consul fuerat, injurias. Nuper Cn. Domitium scimus M. Silano diem dixisse propter unius hominis Egritomari, paterni amici, atque hospitis, injurias.

XXI. Neque enim a) magis animos hominum nocentium res umquam ulla commovit, qnam haec majorum consuetudo, longo intervallo repetita, ac relata: sociorum querimoniae delatae ad hominem non inertissimum: susceptae ab eo, qui videbatur eorum fortunas fide, diligentiaque sua posse defendere. Hoc timent homines: hoc laborant: hoc institui, atqne adeo institutum referri, ac renovari moleste ferunt. Putant fore, uti, si paullatim haec consuetudo serpere, ac prodire cœperit; per homines honestissimos, virosqne fortissimos, non imperitos adolescentulos, aut illiusmodi quadruplatores, leges, judiciaque ad-

statem sciatis. Et infra, Verina VII. *Quod qui illam partem urbis tenerent in eorum potestatem portum futurum intelligebant.* Aul. Gellius lib. 1. cap. 7. similem ex Plauti Amphytrione notavit. *Non vero mihi in mentem fuit.* In orat. pro Caecina eadem figura dixit. *In possessionem vestigium fecere.* Et lib. 5. de finibus, *In aliquem historiam vestigium ponere.* Hotom. Indifferenter enim veteres junxerunt τῷ *in* accusativum, et ablativum, nulla habita ratione motus, et quietis, ut dudum sanctius in Minerva, Scioppius in Paradoxis, et Gerard. Vossius in Aristarcho, in lib. de construct. cap. 65 docuerunt. *Graev.*

1) *M. Catonem illum sapientem)* Cato hic accusavit Serg. Galbam pro direptis Lusitanis, et P. Furium pro iisdem, pro iniquissima aestimatione frumenti. *Ascon.*

ANALYSIS.

a) *Neque enim)* 5. *Ab Effectibus:*

Id probare Judices debent, quod nocentes homines maxime timent;

Sed hoc maxime timent nocentes homines, ne iis deligantur a Sociis accusatores, qui fideliter, et diligenter accusare possint, et velint,

Ergo id etiam Judices debent.

ministrentur. Cujus a) consuetudinis atque instituti patris, majoresque nostros non poenitebat tum, cum P. Lentulus, is, qui princeps Senatus fuit, accusabat M. Aquilium 1), subscriptore C. Rutilio Rufo: aut cum P. Africanus, homo virtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimus, postea quam bis Consul, et Censor fuerat, L. Cottam in judicium vocabat 2). Jure tum b) florebat Populi Romani nomen: jure auctoritas hujus imperii, Civitatesque majestas gravis habebatur. Nemo mirabatur in Africano illo, quod in me nunc, homine parvis opibus, ac facultatibus praedito, simulant sese mirari, cum moleste ferant.

Quid sibi iste vult? accusatoremne se existimari, qui antea defendere consueverat? nunc praesertim? ea jam aetate, cum aedilitatem petat? Ego vero aetatis non modo meae, sed multo etiam superioris, et honoris amplissimi puto esse, accusare improbos, et miseros, calamitatosque defendere. Et profecto c) aut hoc remedium est aegrotae, ac prope desperatae

1) *Accusavit M'. Aquilium)* Hic M. Aquilius de pecuniis repetundis accusatus est. Hic est igitur Lentul Surae pater, in carcere strangulati, propter conjurationem. *Ascon.* Quem M. Antonius defendit, diloricata tunica, ut cicatrices apparerent, Verr. VII. et lib. de Orat II. *Hot.*

2) *L. Cottam in judicium vocarit)* Hunc P. Africanus post secundum consulatum et censuram dicitur accusasse *Ascon.*

ANALYSIS.

a) *Cujus)* Argumentum confirmat ab auctoritate Majorum.

b) *Jure tum)* Hinc, quod sibi objici poterat, diluere videtur; nemo enim mirari debebat id Ciceronem facere, quod et praestantissimi viri fecerant.

c) *Et profecto)* Sed et alia ratione respondet *ab Adjunctis;*

Medicina, quae sola restat, et maxima est, recusari non debet:

Sed accusari nocentes homines a viris fortibus, et honestis, sola est, et maxima Reip. medicina;

Ergo recusari non debet.

Prima *assumptionis* pars, quod haec una sit aegrotae, et desperatae Reip. medicina.

Reipublicae, judiciisque corruptis, ac contaminatis 1) paucorum vitio, ac turpitudine, homines ad legum defensionem, judiciorum auctoritatem, quam honestissimos, et integerrimos, diligentissimosque accedere: aut, si ne hoc quidem prodesse poterit, profecto nulla umquam medicina his tot incommodis reperietur. Nulla salus a) Reipublicae major est, quam eos, qui alterum accusant, non minus de laude, de honore, de fama sua, quam illos, qui accusantur, de capite, ac fortunis suis pertimescere. Itaque semper ii diligentissime laboriosissimeque accusarunt, qui seipsos in discrimen existimationis venire arbitrati sunt.

PERORATIO.

XXII. Quamobrem b) hoc statuere, Judices, debetis, Q. Caecilium, de quo nulla umquam opinio fuerit, nullaque in hoc ipso judicio exspectatio futura sit: qui neque, ut ante collectam famam conservet, neque uti reliqui temporis spem confirmet, laborat: non nimis hanc caussam severe, non nimis accurate, non nimis diligenter acturum. Habet enim nihil quod in offensione deperdat. Ut turpissime, flagitiosissimeque discedat nihil de suis veteribus ornamentis requiret 2).

1) *Judiciisque corruptis, ac contaminatis) Corrupta judicia* sunt in iis, qui acceperunt pecuniam: *contaminata* in iis, qui offensione ordinis infamantur. *Idem.*

2) *Requiret)* Amissum sentiet, hoc est enim, *nihil requiret.* Non sentiet sibi deesse aliquid ex iis rebus, quas numquam habuit. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Nulla salus)* Secunda pars quare id maxime servare possit Remp.

b) *Quamobrem)* *Complexio* argumenti, quod proxime habetur *ab Adiunctis*, loco *Perorationis* est; esse nimirum rejiciendum Caecilium, a quo talis Reip. medicina sperari non possit, Ciceronem contra esse retinendum.

A nobis multos obsides habet Populus Romanus, quos ut incolumes conservare, tueri, confirmare, ac recuperare possimus, omni ratione erit dimicandum. Habet honorem, quem petimus: habet spem, quam propositam nobis habemus: habet existimationem, multo sudore, labore, vigiliisque collectam: ut si hac caussa nostrum officium, ac diligentiam probaverimus, haec, quae dixi, retinere per Populum Romanum incolumia, ac salva possimus; si tantulum offensum, titubatumque sit; ut ea, quae singulatim ac diu collecta sunt, uno tempore universa perdamus.

Quapropter, Judices, vestrum est deligere, quem existimetis facillime posse magnitudinem caussa, ac judicii sustinere fide, diligentia, consilio, auctoritate. Vos si a) mihi Q. Caecilium anteposuerit ego me dignitatis peratum non arbitrabor 1); Populus Romanus ne tam honestam, tam severam, diligentemque accusationem, neque vobis placuisse, neque ordini vestro placere arbitretur, providete.

1) *Ego me dignitate superatum non arbitrabor*) Ero enim defensor, ut fuit, et necessitatem accusationis evadam. Hoc quidem videtur plane dicere, sed latenter hoc significat, pravo de suo judicio magis Judicibus haesuram turpitudinem, quam sibi. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Vos si*) Monet etiam Judices, ut ad evitandam apud Populum infamiam, Q. Caecilium ab accusatione Verris rejiciant.

PROEMIUM

PRIMAE ACTIONIS IN C. VERREM.

ORATIO

ARGUMENTUM.

Victo Caecilio, et accusatione ad se delata, Cicero cum inquisitionis tempus in Siciliam postulasset dies 110, et cum filio patrui sui Tullii totam Provinciam colligendis literis in Verrem, et denunciandis testimoniis peragrasset diebus 50 quia pedestre iter ex Sicilia, et propter fugitivos, et propter Verris insidias devitabat, a Viribone ansiit. Tum repente adveniens: cum videret id agi, ut a M. Glabrione Praetore, et ab his Judicibus, qui tunc erant, ad alium annum, aliumque Praetorem res tota transiret, eriperetorque sibi reus patrocinio Hortensii, ac Metelli, qui tunc Consules futuri erant (per hos enim Verres eludendi judicii fiduciam sumpserat) hoc commentus est rationis, ut orationem longam praetermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tantummodo citaret testes ad unumquodque crimen expositum, et eos Hortensio interrogandos daret. Qua arte ita est faticatus Hortensius, ut nihil, contra quod diceret, inveniret; ipse etiam Verres, desperato patrocinio, sua sponte discederet in exilium. Hoc igitur laborat in oratione hac tota Tullius; ut ostendat, non dolo, nec astutia, sed necessitate facere id, quod facit: et magnis ut adversariorum fraudibus occurrat, quam ut ipse sit captiosus, vult enim, ut diximus, omne hoc tempus, quod est ante Kalend. Januar. dispensare in totius caussae actionem, ne ad alium Praetorem, aliosque Judices novis Consulibus veniendum sit. Toto igitur hoc libro exhortatio Judicum continetur, ad severe judicandum: minae in adversarios diriguntur, omnia tentantes ad corrumpendum judicium: et expositiones Ciceronis consilii sui Judicibus exhibentur, quasi inter eos tractentur communiter: ubi brevitas quoque objiciendorum criminum mira arte conficitur. Status,

quantum ad crimina caussae repetundarum pertinet, conjectura multiplex inest omnibus libris: quantum ad specialem intentionem libri hujus refertur, qualitas negotialis extra scriptum in particula juris est constituta. Inducitur enim postulatio de agendi nŏvo genere: si quidem petit permitti sibi non uti oratione perpetua, sed breviter crimina proponere, et ad singula testes dare. Sunt autem capita orationis haec: An talis reus, cujus damnatio prosit Reipublicae: an talia ejus consilia ad corrumpendum judicium: an talia et tam manifesta crimina, ad patrocinium desperandum: an hujusmodi ab eo, et ab ejus suffragatoribus, et dicta, et facta ad eludendam accusationem, ut novo genere sit agendum Tullio. Quarum rerum quasi per narrationem facit demonstrationem. Expositio consilii sui, ut cum Judicibus deliberatio videtur inducta: in qua ostenditur, certandum cum Hortensio astutia, non utendo horis omnibus ad dicendum, ad tollendam, si fieri possit, comperendinationem, per testes crimine comprobando. Facit hoc Cicero, ut haec res non solum compendio, ac brevitate moram temporis tollat, sed etiam circa artificium dicendi breviter etiam in hac parte vim Oratoris ostendat. *Asconius.*

ORATIONIS SYNOPSIS.

HOC primae Actionis Proemium dividitur in quatuor partes: in quarum prima Judices hortatur ad severe judicandum *ab Adjunctis*, ut infamiam judiciorum tollant. *Quod erat optandum*: Tolli autem infamia poterat, condemnato reo, qui pecunia niteretur: *Equidem, ut de me*: et qui nocentissimus esset: *Etenim quod est ingenium tantum*.

In secunda parte est prolixa Narratio eorum, quae evenerant post rejectionem Judicum, et post habita Comitia, ex quibus patebat spes Verris de differendo judicio in annum sequentem: *Quae cum ita sint*; Refert etiam, qua ratione id fieri posse confiderent: *Nonae sunt hodie*.

In tertia primum aperit suum consilium accusandi Verris testibus, ac talibus, omissa perpetua oratione, idque probat *a Congruo*, et *ab Adjunctis*; *Nunc ego, Judices*: Deinde Hortensium, et reliquos omnes a

corrumpendo judicio, additis minis, deterret: *Verum illud, quod*.

In quarta parte 1. *Misericordiam* movet quoad Siculos. *O commemoranda judicia*. 2. *Odium* quoad Verrem: *An iste umquam*. 3. Judices hortatur ad tollendam judiciorum infamiam: *Cui loco per Deos immortales*. 4. *Timorem* addit: *Quapropter primum ab Diis*. 5. Glabrionem Praetorem admonet, ut diligenter, ac fideliter praeesse judicio velit: *Verum, quod ego laboribus*. 6. Iterum agit de nova accusationis instituendae ratione: *Mihi certum est*. 7. Affert *Propositionem* universae hujus Primae Actionis. *Haec primae Actionis erit accusatio*.

PARS PRIMA.

I. QUod erat a) optandum maxime, Judices 1), et, quod unum ad invidiam vestri ordinis, infamiamque judiciorum sedandam maxime pertinebat, id non humano consilio, sed prope divinitus datum; atque oblatum vobis summo Reipublicae tempore 2) videtur. Inveteravit b) enim jam opinio perniciosa Reipublicae, vobisque periculosa: quae non modo Romae, sed et apud exteras nationes, omnium sermone percrebuit, his judiciis, quae nunc sint, pecu-

1) *Judices*) Primum M'. Acilium Glabrionem Praetorem, cui sorte quaestio de pecuniis repetundis obvenerat: tum Senatores, qui ei in consilio affuerunt, qui ex Judicum decuria sortitione obvenerant, ab accusatore et reo, ut mos erat, rejecti. Affuerunt designati M. Metellus Praetor, M. Caesonius aedilis cum Tullio, Q. Manlius, Q. Cornificius, P. Sulpitius Tribunus plebis, M. Creperius, L. Cassius, Cn. Tremellius, Tribuni militares, P. Servilius Isauricus, vir clarissimus, maximis rebus gestis, Q. Catulus, is qui Capitolium dedicavit, C. Marcellus qui Proconsul iu Sicilia fuerat, L. Octavius Balbus, homo juris, et officii peritissimus, Q. Titinius. Acta est in foro, ad aedem Castoris. Agi autem coepit Nonis Sextilibus, duravitque ad xix Kalend. Septemb. *Hotoman.*.

2) *Summo Reipublicae tempore*) Est maxime necessario, in quo status Reipublicae in discrimen veniebat, seu a quo salus Reipublicae pendebat. *summa existimatio* est res, in qua vertitur tota alicujus existimatio. Vide Gronov. ad Livii lib. xxvi cap. 10. *Grabius.*

ANALYSIS.

a) *Quod erat*) Tota haec Oratio in quatuor partes divisa loco *Exordii* est ad primam Actionem, in qua rem testibus, ac tabulis transigi voluit Cicero, non, ut mos erat, perpetua oratione. In prima parte ad severe judicandum hortatur Judices, argumento *ab Adiunctis:*

„ Si qua est infamia judiciorum, eam sedare debetis,
„ cum primum oblata fuerit occasio;
„ Sed magna est infamia judiciorum, et in C. Verre
„ damnando eam sedare potestis:
„ Ergo severe judicare, et condemnare Verrem debetis.

b) *Inveteravit*) *Assumptionis* prima pars de judiciorum infamia.

niosum hominem, quamvis sit nocens, neminem posse damnari. Nunc, in ipso a) discrimine ordinis 1), judiciorumque vestrorum, cum sint parati, qui concionibus, et legibus 2) hanc invidiam Senatus inflammare conentur, reus in judicium adductus est C. Verres, homo vita, atque factis, omnium jam opinione, damnatus: pecuniae magnitudine, sua spe, ac praedicatione, absolutus. Huic ego caussae, Judices, cum summa voluntate, et exspectatione Populi Romani actor accessi, non ut augerem invidiam ordinis, sed ut infamiae communi succurrerem. Adduxi enim hominem, in quo reconciliare existimationem judiciorum amissam, redire in gratiam cum Populo Romano, satisfacere exteris nationibus possetis; depeculatorem aerarii 3); vexatorem Asiae, atque Pamphyliae 4),

1) *Ordinis*) Cum ordo vester adductus esset in discrimen, maneremne penes eum judicia, an alio transferrentur. Ipse Verr. vii. *At quo tempore futurum est? nempe eo, cum Populus Romanus aliud genus hominum, atque alium ordinem ad res judicandas requirit:* Hotoman.

2) *Qui concionibus, et legibus*) *Concionibus* Quintium licit Tribunum plebis, qui veneficii reum Oppianicum Cluentio accusatore defendens, victus erat, illo damnato. *Legibus* autem L. Aurelium Cortam Praetorem significat, qui legem promulgarat de restituendis judiciis equestri ordini. *Asconius.*

3) *Depeculatorem aerarii)* Sub Carbone Consule, cum Quaestor esset. Peculator autem, qui furtum facit pecuniae publicae. *Idem.*

4) *Vexatorem Asiae, atque Pamphyliae*) Sub Dolabella, cum legatus ei, et pro Quaestore esset, mortuo Malleolo. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Nunc, in ipso*) Secunda pars hujusmodi ratione pertractatur:

„ Infamia judiciorum sedari potest in condemnando
„ reo maxime pecunioso, et nocente;
„ Sed Verres is est, qui pecunia se maxime speret judicium posse corrumpere, quique omnium nocentissimus est:
„ Ergo in Verre damnando sedare judiciorum infamiam
„ potestis.

Utrumque *assumptionis* membrum; nam *Propositio* manifesta est; cum ea sit infamia judiciorum, non posse pecuniosum hominem damnari, et jure damnari possit ille, qui tot admiserit Romae, et in Provinciis flagitia.

praedonem juris urbani 1), labem atque perniciem provinciae Siciliae. De quo a) si vos severe, religioseque judicaveritis: auctoritas ea, quae in vobis remanere debet, haerebit. Sin istius ingentes divitiae judiciorum religionem, veritatemque perfregerint: ego hoc tamen assequar, ut Judicium potius Reipublica, quam aut reus Judicibus, aut accusator reo defuisse videatur.

II. Equidem b), ut de me confitear, Judices, cum multae mihi a C. Verre insidiae terra, marique 2) factae sint, quas partim mea diligentia devitarim, partim amicorum studio, officioque repulerim, numquam tamen neque tantum periculum mihi adire visus sum, neque tantopere pertimui, ut nunc in ipso Judicio. Neque tantum me exspectatio accusationis meae, concursusque tantae multitudinis, quibus ego rebus vehementissime perturbor, commovet, quantum istius insidiae nefariae, quas uno tempore mihi, vobis 3), M'. Glabrioni Praetori, sociis, exteris nationibus, ordini, nomini denique senatorio 4) facere

1) *Praedonem juris urbani*) In Praetura urbana, quam Siciliensis sequuta est, de qua nunc accusatur. *Idem.*

2) *Cum multa mihi a C. Verre terra, marique insidiae*) Alias significat insidias, quae vitae ejus factae sunt, alias, quae integritati et existimationi. Nam *uno tempore mihi*, vult intelligi, etiam praemia sibi praevaricationis ostentavisse Verrem: sed *terra marique.* insidias factas suae vitae significat. *Idem.*

3). *Mihi vobis*) Ut Gruterus testatus est *vobis* non reperiri in Pall. et edd. primis, sic nec habetur in Francii primo. Et debet abesse. Alloquitur enim Judices, quos statim nominat, *ordini, nomini denique senatorio.* Graevius.

4) *Ordini, nomini denique senatorio*) Ordini insidiatur, ne dignitas judicandi ordinem sequatur, detectis incorruptione judicantibus. Nomini, ne senatorium nomen honori sit, sed potius ignominiae. Senatorio cum bis subauditur, et senatorio ordini, et nomini senatorio. *Asconius.*

ANALYSIS.

a) *De quo Complexio.*

b) *Equidem*) Primum *Assumptionis* membrum confirmat 1. *a testimonio* ipsius Verris, cui proinde summam stultitiam exprobrat.

conatur. Qui ita dictitat, iis esse metuendum, qui, quod ipsis solis satis esset, surripuissent: se tantum rapuisse, ut id multis satis esse possit. Nihil esse tam sanctum, quod non violari; nihil tam munitum 1), quod non exspugnari pecunia possit.

Quod si, quam audax est ad conandum, tam esset obscurus in agendo, fortasse aliqua in re nos aliquando fefellisset. Verum hoc adhuc percommode cadit, quod cum incredibili ejus audacia singularis stultitia conjuncta est. Nam ut apertus in corripiendis pecuniis fuit, sic in spe corrumpendi judicii perspicua sua consilia, conatusque omnibus fecit. Semel ait a), se in vita pertimuisse 2): tum, cum primum reus a me factus sit 3). Quod, cum e Provincia recens esset, invidiaque, et infamia non recenti, sed vetere, ac diuturna flagraret, tum ad judicium corrumpendum tempus alienum offenderet. Itaque cum ego diem 4) in Siciliam inquirendi perexiguam po-

1) *Nihil tam munitum*) Alludit ad Philippi dictum *Nullum esse Oppidum tam munitum, quod exspugnari non possit, modo asellus auro onustus posset in illud ascendere.* Sic enim hic noster ad Atticum scribens testatur. *Hotomanus.*

2) *Semel ait se in vita pertimuisse)* Contumaciam Verris praecipitem. Nam semel vicinum est ad pene numquam. Ex eodem sensu est quod semel in vita risisse Crassum scribit Lucilius. Unde Virgilius mihi videtur dixisse:

Tum primum nostri Cacum videre timentem Asconius.

3) *Tum, cum a me reus factus sit*) Quid est reum fieri, nisi apud Praetorem legibus interrogari? Cum enim in jus ventum esset, dicebat accusator apud Praetorem reo, Ajo te Siculos spoliasse. Si tacuisset, lis ei aestimabatur, ut victor si negasset, petebatur a Magistratu dies inquirendorum ejus criminum, et instituebatur accusatio. *Idem.*

4) *Diem*) Dies foeminino genere tempus; et ideo diminutive diecola dicitur breve tempus, et mora. Dies honorum 12. generis masculini est; unde hodie dicimus, quasi hoc die Petit autem Tullius 100. et 10. dies Rupilius, sive Oppius, suppositus a Verre, 100. et 8. petiit. *Idem.*

ANALYSIS.

(a *Semel ait*) 2. *ab Effectibus*, tum quod alium accusatorem subornaverit, adeoque sui judicii tempus pecunia redemerit.

stulavissem, invenit iste, qui sibi in Achajam 1) biduo breviorem diem postularet: non ut idem conficeret diligentia, et industria sua, quod ego meo labore, et vigiliis consequutus sum. Etenim ille Achaicus inquisitor, ne Brundusium quidem pervenit. Ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obii, ut omnium populorum, privatorumque literas, injuriasque cognoscerem: ut perspicuum cuivis esse posset, hominem ab isto quaesitum esse, non qui reum suum adduceret 2), sed qui meum tempus obsideret 3).

III. Nunc homo a) audacissimus, atque amentissimus hoc cogitat. Intelligit, me ita paratum, atque instructum in judicium venire, ut non modo in auribus vestris, sed in oculis omnium, sua furta, atque flagitia defixurus sim. Videt, Senatores multos esse testes audaciae suae: videt multos Equites Romanos, frequentes praeterea cives, atque socios, quibus ipse insignes injurias fecerit. Videt etiam tot graves ab amicissimis Civitatibus legationes cum publicis au-

1) *Invenit iste, qui sibi in Achajam*) Alii hunc Rupilium; alii Oppium putant. Sunt, Rupilium dicunt accusatorem, Oppium reum. Alii Q. Metellum nepotem accusatorem, Curionem reum. Moris autem fuerat ut agendi dies priori prior ordinaretur. Itaque, si omni tempore postulato usus esset ad inquisitionem Tullius, futurum erat, ut prior locus ad agendum daretur ei, qui biduo breviorem diem postulaverat. Cujus accusationis interposita de industria mora, eum Verres ad alios Consules distulisset. *Idem.*

2) *Non qui reum suum adduceret*) *Adduci* intelligo non ex Achaja; nam eum Romae reum fecerat: sed in judicium, ut paullo supra, *Adductus est in judicium C. Verres*. Hotomanus.

3) *Mecum tempus obsideret*) Id est, obsisteret, atque impediret, ne ego ante ad agendam caussam possem accedere, quam illi centum, et octo dies ab ipso in Achajam postulati, omnes praeteriissent. *Manut.*

ANALYSIS.

a) *Nunc homo*) Tum quod omni ratione convictus, adhuc speret per summam temeritatem, se posse judicium evadere, pecuniae magnitudine.

ctoritatibus 1), ac testimoniis convenisse. Quae cum ita sint, usque eo de omnibus bonis male existimat; usque eo senatoria Judicia perdita, profligataque 2) esse arbitratur, ut hoc palam dictitet, non sine caussa se cupidum pecuniae fuisse, quoniam tantum in pecunia praesidium experiatur esse: sese (id quod difficillimum fuerit) tempus ipsum emisse 3) Judicii sui quo cetera facilius emere posset: ut, quoniam criminum vim subterfugere nullo modo poterat, procellam temporis devitaret.

Quod si non modo in caussa 4), verum in aliquo honesto praesidio 5), aut in alicujus eloquentia 6), aut gratia 7) spem aliquam collocasset: profecto non haec omnia colligeret, atque aucuparetur: non usque eo despiceret, contemneretque ordinem senatorium, ut arbitratu ejus diligeretur ex Senatu, qui reus fieret 8): qui, dum hic, quae opus essent, compararet, caussam interea ante eum diceret. Quibus ego rebus quid iste speret, et quo animum intendat, facile perspicio. Quamobrem vero se confidat, aliquid perfice-

1) *Cum publicis auctoritatibus)* Publicis literis. *Ascon.*

2) *Perdita, profligataque)* Pejus voluit esse *profligata*, quam *perdita*. Est enim *perditum*, quod inveniri non potest, *profligatum*, quod potest. *Idem*.

3) *Tempus emisse)* Id est, dilationem temporis impetrasse. *Judicium* autem *suum* debemus intelligere sibi aptum. Et e contrario ait, *alienum tempus offenderat* Idem.

4) *Quod si non modo in caussa)* Per innocentiam. *Idem*.

5) *Honesto praesidio)* Per compensationem criminum auctoritate dicentis. *Idem*.

6) *Aut in alicujus eloquentia)* Acerbe in Hortensium, quem corruptione Judicum, non eloquentia sua, dicit esse confisum. *Idem*.

7) *Gratia)* Amicorum plurimorum, quibus defensoribus uteretur. *Idem*.

8) *Deligeretur ex Senatu, qui reus fieret)* Oppius, vel Curio. *Idem*.

re posse, hoc Glabrione Praetore 1), et hoc consilio 2), intelligere non possum. Unum illud intelligo, quod Populus Romanus in rejectione Judicum judicavit 3), ea spe istum fuisse praeditum, ut omnem rationem salutis in pecunia puniret: hoc erepto praesidio, ut nullam sibi rem adjumento fore arbitraretur.

IV. Etenim b) quod est ingenium tantum, quae tanta facultas dicendi, et copia, quae istius vitam, tot vitiis, flagitiisque convictam, jampridem omnium voluntate, judicioque damnatam, aliqua ex parte possit defendere? Cujus ut adolescentiae maculas, ignominiasque praeteream? Quaestura, primus gradus honoris, quid aliud habet in se, nisi Cn. Carbonem 4) spoliatum a Quaestore suo pecunia publica? nudatum, et proditum Consulem? desertum exercitum? relictam Provinciam? sortis necessitudinem, religionemque violatam? cujus legatio 5) exitium fuit Asiae totius, et Pamphyliae: quibus in Provinciis multas domos, plurimas urbes, omnia fana depeculatus est,

1) *Hoc Praetore*) Glabrione scilicet, *Asc.* Hinc patet, *Glabrione* esse glossema. Retineri tamen voluit Gruterus, quod hic, inquit, haberet nescio quam emphasim.

2) *Hoc consilio*) Lectissimorum ex omni numero Senatus judicum. *Ascon.*

3) *Quod populus Romanus in rejectione Judicum judicavit*) Ex iis, quos renuit, intellectum est, eos Judices habere velle, quos corrumpi posse confideret. *Idem.*

4) *Nisi Cn. Carbonem*) Carbo Marianae partis dux, idemque Consul, desertus Arimini est a Quaestore suo Verre, spoliatus pecunia publica, quam Quaestor in exercitu de aerario sumpserat, cum ad Syllam ille transiret, proditor partium Marianatum. *Idem.*

5) *Cujus legatio*) Legatus per has Provincias Dolebellae Proconsulis fuit, et pro Quaestore, Melleolo mortuo: ejusdemque in judicio cum accusaretur, proditor fuit. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Etenim*) Alterum membrum *Assumptionis*, in quo breviter attingit omnia, quae Verres avare, et crudeliter fecerat, exorsus a Quaestura.

cum in Cn. Dolabellam scelus suum illud pristinum 1) renovavit, et instauravit quaestorium: cum eum, cui legatus, et pro Quaestore fuisset, et in invidiam suis maleficiis adduxit 2), et in ipsis periculis non solum deseruit, sed etiam oppugnavit, ac prodidit 3): cujus Praetura urbana, aedium sacrarum 4) fuit, publicorumque operum depopulatio: simul in jure dicendo bonorum possessionumque, contra omnium instituta 5), addictio, et condonatio. Jam vero omnium vitiorum suorum plurima, et maxima constituit monumenta, et indicia in Provincia Sicilia, quam iste per triennium ita vexavit, ac perdidit 6), ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit: vix autem per multos annos, innocentesque Praetores aliqua ex parte recreari aliquando posse videatur. Hoc Praetore Siculi, neque suas leges, neque nostra Senatus-consulta, neque communia jura tenuerunt. Tantum quisque habet in Sicilia, quantum hominis avarissimi, et libidinosissimi, aut imprudentiam subterfugit, aut satietati superfuit.

V. Nulla res per triennium, nisi ad nutum istius, judicata est: nulla res tam patria cujusquam, atque

1) *Suum scelus illud pristinum)* Non quia, et Cn. Dolabellam deseruit, siculi Carbonem, sed quia, et hunc laesit, contra eum testimonium dicendo. *Anonymus*.

2) *In invidiam suis maleficiis adduxit)* Propter sua scelera, inquit, tum fecit invidiosum reum. *Ascon*.

3) *Oppugnavit, ac prodidit)* Pejus *prodere*, quam *oppugnare*, propterea quod, *oppugnare* inimici, et hostis officium est; *prodere*, gravius, cum ad eos, qui amici esse debent, referatur hoc verbum. *Idem*.

4) *Cujus Praetura urbana, aedium sacrarum)* Quemadmodum hic dicit, si divisa sunt crimina hujus Praeturae urbanae, scilicet juris dicendi, sartorumque tectorum. *Idem*.

5) *Contra omnium instituta)* Qui Praetores urbani ante se fuerunt. Sunt autem instituta Praetorum in decretis interponondis, dijudicandisque caussis. *Idem*.

6) *Ita vexavit, ac perdidit)* Nimirum, *vexavit*, ingentis calamitatis usum significat. Nam et ipse supra sic ait, *Populatae: vexatae, funditus eversae Provinciae*. Virg.
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates, Idem.

avita fuit, quae non ab eo, imperio istius, abjudicaretur. Innumerabiles pecuniae ex aratorum bonis 1), novo, nefarioque instituto coactae: socii fidelissimi in hostium numero existimati 2): Cives Romani servilem in modum cruciati, et necati: homines nocentissimi propter pecunias judicio liberati: honestissimi, atque integerrimi, absentes rei facti 3), indicta caussa damnati, et ejecti: portus munitissimi, maximae tutissimaeque urbes, piratis, praedonibusque patefactae: nautae, militesque Siculorum, socii nostri, atque amici, fame necati: classes optimae, atque opportunissimae, cum magna ignominia Populi Romani, amissae, et perditae. Idem iste Praetor monumenta antiquissima partim regum locupletissimorum 4), quae illi ornamento urbibus esse voluerunt, partim etiam nostrorum imperatorum 5), quae victores civitatibus Siculis, aut dederunt, aut reddiderunt, spoliavit, nudavitque omnia. Neque hoc solum in statuis ornamentisque publicis fecit, sed etiam delubra omnia, sanctissimis religionibus consecrata, depopulatus est: Deum denique nullum Siculis, qui ei paullo magis affabrae, atque antiquo artificio factus videretur, reliquit. In stupris vero, et flagitiis 6), nefarias ejus libidines commemorare pudore deterreor. Simul illorum calamitatem commemorando augere nolo, quibus liberos, conjugesque suas integras ab istius petulantia conservare non licitum est.

1) *Ex aratorum bonis)* Aratores frumenti decimam dare Populo Romano solent. Hos non una, atque altera, sed tribus amplis decimis per mancipes a se subornatos, id est, publicanos, qui decumani vocantur, Verres exhausit. *Idem.*

2) *Socii fidelissimi in hostium numero existimati)* Hic locus crimina continet exposita in ea oratione, quae inscribitur de suppliciis. *Idem.*

3) *Absentis rei facti)* Ut Sthenius, et Heraclius. *Idem.*

4) *Partim regum locupletissimorum)* Agathociis, aut Hieronis, Siciliae regum. *Idem.*

5) *Nostrorum imperatorum)* Scipionis, et Marcelli: dedit Marcellus, reddidit ex Africa Scipio. *Idem.*

6) *In stupris vero, et flagitiis)* De Cleomenis uxore dicit. *Idem.*

Quam spem nunc habeat in manibus, et quid moliatur, breviter jam, Judices, exponam. Sed prius, ut ab initio res ab eo constituta sit, quaeso, cognoscite. Ut primum a) e Provincia rediit, redemptio est hujus judicii facta 1) grandi pecunia. Ea mansit in conditione, atque pacto 2) usque ad eum finem, dum Judices, rejecti sunt. Posteaquam rejectio Judicum facta est: quod et in sortitione istius spem 3) fortu-

1) *Redemptio est hujus judicii facta*) Sic quidam accipiunt, quasi hoc dicat Cicero, corrupti sunt isti Judices. Non hoc dicat, sed ait artifices quosdam corrumpendorum Judiciorum pactos esse cum Verre, et redemisse semel omnem procurationem Judicii corrumpendi suo periculo, absolutionisque praestandae. *Idem*. Translatum a redemptionibus operis faciendi. Nam qui certo pretio opus aliquod faciendum suo periculo conduxit, *redemptor* dicitur: et qui locat, *venditor*. Opus vero ipsum, *redemptoris bona*. Et contumeliose ducta similitudo ab operariis, et fabris, qui vulgo suas operas locant, quasi quoque artem corrumpendorum judiciorum vulgo, mercede proposita, exercerent. *Hotomanus*.

2) *Ea mansit in conditione, atque pacto*) Hic est sensus, de pacto, inquit, et promissione corrumpendorum Judiciorum non est recessum. Sed postquam rejecti sunt Judices, displicuit totum negotium redemptoribus, et resilierunt a conditione, ac pacto. *Ascon*.

3) *Quod et in sortitione istius spem*) Nam Judices semper sortiebantur, et sortitione facta non omnes judicabant, sed electio fiebat, et ejiciebantur ab utraque parte usque ad certum numerum imparem. Hoc ergo dixit: quod ut ex sorte veri Judices venirent, fortuna fecit Populi Romani: in rejectione vero ut severi non

ANALYSIS.

a) *Ut primum*) Narrat, quae post rejectionem Judicum, habitisque Consulum, et Praetorum comitiis, evenerant; Curionis gratulationem, ex qua corrumpendi judicii spes constabat; laetitiam Verris ob sortem M. Metelli, unde apparebat consilium differendi judicii, aedilitatem sibi contra adversariorum potentiam delatam, quae odium populi in Verrem patefaciebat, et vocatos a Q. Metello Siculos legatos: quem proinde tali ratione coarguit, *ab Adjunctis*.

„ Turpe est Judicium corrumpere, maxime pro ho-
„ mine alieno, et nocente;
„ Sed Q. Metellus vult judicium corrumpere pro Ver-
„ re homine alieno, et nocente;
„ Ergo magna dignus est reprehensione.

na Populi Romani, et in rejiciendis Judicibus mea diligentia istorum impudentiam vicerat: renuntiata est tota conductio 1). Praeclare se res habebat Libelli nominum vestrorum 2), consiliique hujus, in manibus erant omnium: nulla nota, nullus color, nullae sordes 3) videbantur his sententiis allini posse: cum iste repente ex alacri, atque laeto 4), sic erat rejicerentur, mea industria. Per decurias erat Senatus divisus, unam decuria Populus Romanus dabat, ut ex hac Judices rejicerent. Ergo fortuna quidem Populo Romano, quae paucos habuit malos, mea autem diligentia fecit, ut meliores eligerentur. *Ascon.*

1) *Renuntiata est tota conductio)* Renuntiatio dicitur recusatio ejus rei, quae in pactum et promissionem venerat. *Ascon.*

2) *Libelli nominum vestrorum)* Moris erat, celebrata Judicium rejectione, et haberi in officio Praetoris, et in area reponi nomina Judicum selectorum. Rejectio autem idcirco dicitur, quia, cum multi Judices in consilio cum Praetore suo judicaturi essent, qui quaesitor fuisset in publica caussa, verbi gratia, repetundarum, ambitus, majestatis, necesse fuerat eos primum de decuria senatoria conscribi, cum Senatus judicaret, deinde in urnam sortitio mitti, ut de pluribus necessarius numerus confici posset, tertio, id est post urnam, permitti accusatori, ac reo, ut ex illo numero rejiciant, quos putaverint sibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore. Solet autem ex moribus, ac fama Judicum illorum, quos aut rejiciebant, aut retinebant, voluntatis conjecturam facere populus quis caussae confidere, quis corrumpere Judices vellet. Rejectione celebrata, in eorum locum, qui rejecti fuerant, subsortiebatur Praetor alios, quibus ille Judicum legitimus numerus compleretur. Prima enim sortitio dicebatur. His perfectis, jurabant in leges Judices, ut obstricti religione judicarent. Cum jurassent omnes praeter ipsum Praetorem, nomina eorum libellis, ut supra diximus, continebantur, et ubique habebantur, ne pro selectis Judicibus, ut fit in multitudine, aliqui suppositi corruptissime judicarent, itaque ad Praetoris tribunal considerent, ut judicaturi cum Praetore suo. *Idem.*

3) *Nulla nota, nullus color, nullae sordes)* Etsi haec Cicero, quia contra Hortensium prosunt, saepissime repetat: tamen, in qua caussa, et a quo, et modo haec facta sint, meminimus in Divinatione narrasse. Illud factum tamen animadvertendum, quod allini sordes non tabulis, sed sententiis, figurate dixit. *Idem.*

4) *Ex alacri, atque laeto,* Alacris, sive alacer, (utrumque enim dicimus) dicitur is qui intentus est sensibus uni-

humilis, atque demissus, ut non modo Populo Romano, sed etiam sibi ipse condemnatus videretur. Ecce autem 1) repente, his diebus paucis, comitiis Consularibus 2) factis, eadem illa vetera consilia 3) pecunia majore repetuntur, caedesque vestrae famae fortunisque omnium insidiae per eosdem 4) homines comparantur. Quae res primo, Judices, pertenui nobis argumento, indicioque patefacta est: post, aperto suspicionis introitu, ad omnia intima istorum consilia sine ullo errore provenimus.

VII. Nam ut Hortensius Consul designatus, domum reducebatur e campo, cum maxima frequentia, et multitudine 5): fit obviam casu ei multitudini C. Curio; quem ego 6) hominem honoris potius quam contumeliae caussa nominatum volo. Etenim ea dicam, quae ille, si commemorari noluisset, non tanto in

versis: quod est indicium erecti animi, atque sublimis Nam e contrario *lacer* dicitur amputatis a corpore sensuum membris, hoc est auribus, oculisve, quae significatio ad animum saepe transfertur: ut enim plerumque afflicto animo sensibus non ut mur erectis, sic alacer dicitur is, cui omnes sensus in loco quisque suo vegeti sunt, et intenti. *Laeti* vero, qui vultu indicant adesse animum sincerum sensibus suis. Qua re cognita, illud laetum. Sunt, qui alacrem festinantem, et properum dici putant, qui aliis acrem. *Idem.*

1) *Ecce autem)* Proprium hoc Ciceronis est in rebus improvisis. Quod cum cura Virgilius et legit, et transtulit, ut, *Ecce autem gemini a Tenedo.* Idem.

2) *Comitiis Consularibus)* Sunt etiam aedilitia, et Praetoria, Tribunitia comitia. *Idem.*

3) *Eadem illa vetera consilia)* Corrumpendi judicii. *Idem.*

4) *Per eosdem)* Per supradictos redemptores conductoresque facinoris istius. *Idem.*

5) *A multitudine)* Rectius fortasse, *ac multitudine.* Hotoman.

6) *C. Curio; quem ego)* Quaeri solet, cur hoc de Hortensio, cur de aliis non dicat, quia nemo solebat precari veniam apud veteres de eorum compellatione nuda, quos negotium taugeret. Curionem autem patrem dicit. *Asc.*

conventu, tam aperte, palamque dixisset 1). Quae tamen a me pedetentim, cauteque dicentur; ut et amicitiae nostrae, et dignitatis illius habita ratio esse intelligatur.

Videt ad ipsum fornicem Fabianum 2) in turba Verrem. Appellat hominem, et ei voce maxima gratulatur: ipsi Hortensio, qui Consul erat factus, propinquis, necessariisque ejus, qui tum aderant, verbum nullum facit: cum hoc consistit, hunc amplexatur, hunc jubet sine cura esse. *Renuntio*, inquit, *tibi te hodiernis comitiis esse absolutum.* Quod cum tam multi homines honestissimi audivissent, statim ad me defertur: immo vero, ut quisque me viderat, narrabat. Aliis illud indignum, aliis ridiculum videbatur. Ridiculum iis, qui istius caussam in testium fide, in criminum ratione, in Judicum potestate, non in comitiis consularibus, positam arbitrabantur: indignum iis, qui altius perspiciebant, et hanc gratulationem ad judicium corrumpendum spectare arbitrabantur. Etenim sic ratiocinabantur, sic honestissimi homines inter se et mecum loquebantur: aperte jam, ac perspicue nulla 3) esse judicia. Qui reus pridie jam ipse se condemnatum putabat, is, posteaquam defensor ejus Consul est factus, absolvitur. Quid igitur? quod tota Sicilia, quod omnes Siculi, omnes negotiatores 4), omnes publicae, privataeque literae Romae sunt, nihilne id valebit? Nihil, invito Consule designa-

1) *Tam aperte, palamque dixisset) Aperte*, ad verba pertinet non obscura; *palam*, ad praesentem multitudinem, et qualitatem fraequentis loci. *Idem.*

2) *Ad ipsum fornicem Fabianum)* Fornix Fabianus arcus est juxta regiam, in sacra via, Fabio Censore constructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est, ibique statua ejus posita propterea est. *Idem.*

3) *Aperte jam, ac perspicue nulla)* Non ex sua persona hoc dixit Tullius, nam esset offensum. *Idem.*

4) *Quod tota Sicilia*, quod *omnes Siculi, omnes negotiatores* E' πιξκγκσυ: ut, quicquid subiectum est, intelligatur ejus esse, quod dixit, tota Sicilia. *Idem.*

to. Qui? Judices non crimina, non testes, non existimationem Populi Romani sequentur? Non. Omnia in unius potestate 1), ac moderatione vertentur.

VIII. Vere loquar, Judices: vehementer me haec res commovebat. Optimus enim quisque ita loquebatur: Iste quidem tibi eripietur: sed nos non tenebimus judicia 2) diutius. Etenim quis poterit, Verre absoluto, de transferendis judiciis 3) recusare? Erat omnibus molestum: neque eos tam istius hominis perditi 4) subita laetitia, quam hominis amplissimi 5) nova gratulatio commovebat. Cupiebam dissimulare me id moleste ferre. Cupiebam animi dolorem vultu tegere, et taciturnitate celare. Ecce autem illis ipsis diebus 6), cum Praetores designati sortirentur, et M. Metello obtigisset, ut is de pecuniis repetundis quaereret 7); nuntiatur mihi, tantam isti gratulationem esse factam, ut is quoque domum pueros mitteret, qui uxori suae nuntiarent. Sane ne haec quidem res mihi placebat: neque tamen, quid tantopere in hac sorte metuendum mihi esset, intelligebam. Unum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam: fiscos complures 8) cum pecu-

1) *In unius potestate)* Hortensii scilicet, *Idem.*

2) *Non tenebimus judicia)* Finxit senatores dicere, *Non tenebimus judicia,* mollius scilicet, quam si populares fingeret dicentes. *Auferemus a Senatu judicia.*

3) *Transferendis judiciis)* Ad Equites. *Anonym.*

4) *Istius hominis perditi)* Verris. *Ascon.*

5) *Hominis amplissimi)* C. Curionis. *Idem.*

6) *His diebus paucis.* (Vulgata, *illis ipsis diebus*) *cum Praetores designati sortirentur).* Accusatio coepta est Nonis Augusti; et comitia consularia fuerunt VI. Kal. Augusti. Nec multo post sortitio Praetorum fuit, celebratis eorumdem comitiis. *Idem.*

7) *Et M. Metello obtigisset, ut is de pecuniis repetundis quaereret)* Sorte obveniebat unicuique Praetori. Hic ergo M. Metellus amicus Verris successurus Glabrioni fuerat. *Idem.*

8) *Fiscos complures)* Sportae, sportulae, sportellae, nummum sunt receptacula, et sacci, saeculi, sacelli, et

nia Siciliensi, a quodam Senatore 1) ad Equitem Romanum 2) esse translatos, ex his quasi decem fiscos ad senatorem illum relictos esse, comitiorum meorum nomine 3): divisores omnium tribuum 4) noctu ad istum vocatos. Ex quibus quidam, qui se omnia mea caussa facere debere arbitrabatur 5) eadem illa nocte ad me venit. Demonstrat, qua iste oratione usus esset: commemorasse istum, quam liberaliter eos tractasset etiam antea, cum ipse Prae-

crumenae, et vellereae, et scorteae, et manticae, et marsupia. Ita fisci, fiscinae, fiscellae, sparrea sunt utensilia ad maioris summae pecunias capiendas. Unde quia maior summa est penuniae publicae, quam privatae, ut pro sensu privato loculos, et arcam, et saccellos dicimus, sic pro publico thesauro aerarii dicitur fiscus. *Idem.*

1) *A quodam Senatore ad Equitem Romanum*) Horum nomina quidem inepte quaerunt, quasi certum sit, quod dicitur, et non de industria fingatur a Tullio ad invidiam adversariorum, et sui defensionem, quia cogitur novo modo caussam agere horis brevioribus, quam mos est accusatoribus; itaque suspicantur senatorem alii Crassum alii Hortensium. *Idem.*

2) *Equitem Rom.*) Alii neminem proferunt, alii Publicum quemdam, temporibus illis in dividenda pecunia populo famosissimum. *Pecunia Siciliensis* est Siciliae praedationibus capta. *Idem.*

3) *Comitiorum meorum nomina)* Ut ego aedilitate dejicerer, quam petebam. Post consularia enim, et Praetoria comitia, aedilitia sequebantur, *Comitiorum autem meorum nomine* addidit, ut ostenderet, excepta hac pecunia, totam ad corruptionem judicii destinatam esse. *Idem.*

4) *Divisores omnium tribuum*) Utrum legitimos habent omnes tribus divisores suos, Plautus Magistros curiarum in aulularia vocat his verbis:

„ Nam noster, nostrae qui est magister curiae,
„ Dividere argenti nummos dixit in viros:

An *divisores* criminis nomen est? sed si hoc esset, non sibi unum ex iis *carum* esse dixisset. *Idem.*

5) *Qui se omnia mea caussa debere arbitrabatur*) Locutio pro plena habetur; sed si quaeras, quod integrum est, deest, *facere*. Et bene *omnia facere*. Et bene *omnia* protulit, ut haec proditio secreto actae rei propter amicitiam videatur esse suscepta. *Idem.*

turam petiisset 1) et proximis consularibus, praetoriisque comitiis: deinde continuo esse pollicitum quantam vellent pecuniam si me aedilitate dejecissent. Hic alios negasse audere: alios respondisse, non putare id perfici posse: inventum tamen esse fortem amicum, ex eadem familia Q. Verrem, Romilia 2), ex optima 3) divisorum disciplina, patris istius discipulum 4), atque amicum, qui H. S. quingentis millibus depositis, id se perfecturum polliceretur, et fuisse tamen nonnullos, qui se una facturos esse dicerent. Quae cum ita essent, sane benevolo animo me, ut magnopere caverem, praemonebat.

IX. Sollicitabar rebus maximis uno, atque eo per exiguo tempore. Urgebant comitia 5): et in his ipsis oppugnabar grandi pecunia. Instabat judicium: ei quoque negotio fisci Sicilienses minabantur. Agere, quae ad judicium pertinebant, libere 6), comitiorum metu deterrebar: petitioni toto animo servire propter judicium, non licebat. Minari denique divisoribus

1) *Cum ipse Praeturam petisset*) Ostendit Verrem non gratis factum fuisse Praetorem urbanum, et alterum, Metellum scilicet, Praetorem pecunia Verris similiter meruisse Praeturam. *Idem*.

2) *Q. Verrem, Romiliae) Q: Verrem* nomen est proprium. *Romilia* nomen est tribus, ablativi casus, ut sit, ex Romllia. Tribus enim urbanae, rusticaeque omnes xxxv. numer antur: ex quibus aliquam necesse est, cujusque ordinis fuerit civis Romanus, obtineat. Moris autem fuit, ut cum aliquis civis Romanus ostendendus esset, significaretur aut a praenomine suo, aut a nomine, aut a cognomine, aut a cognatione, aut a tribu in qua censeretur, aut a curia, aut a censu, uti si erat Senator, Equesve Romanus. Sic alibi ait *L. Claudium Palatina*. Idem.

3) *Ex optima*) Ironia est. *Idem*.

4) *Patris istius discipulum)* Tamquam divisorum magistri. *Idem*.

Istius) Verris scilicet. *Idem*.

5) *Urgebant comitia: istabat judicium: fisci minabantur*) Exquisite dictum. Hae sunt res maximae. *Idem*.

6) *Agere, quae ad judicium pertinebat, libere*) Vel occupatione in petendo honore: vel quia accusatio libertatem, et minas exigat, petitio blandimenta, et preces. *Idem*.

ratio non erat 1), propterea quod eos intelligere videbam, me hoc judicio districtum, atque obligatum 2) futurum.

Atque hoc ipso tempore Siculis denuntiatum esse audio, primum ab Hortensio, domum ad illum ut venirent: Siculos sane in eo liberos fuisse, qui quamobrem arcesserentur 3), cum intelligerent, non venisse. Interea comitia nostra, quorum iste se, ut ceterorum hoc anno 4) comitiorum dominum esse arbitrabatur, haberi coepta sunt. Cursare iste homo potens, cum filio blando, et gratioso 5), circum tribus: paternos amicos, hoc est, divisores, appellare 6) omnes, et convenire 7). Quod cum esset intellectum,

1) *Minari denique divisoribus, ratio non erat*) Cur enim minarer, inquit, corruptoribus, vel divisoribus, quos accusatione Verris impeditus accusare non possem, id ipsumque illi callidi homines intelligerent? *Idem*.

2) *Districtum, atque obligatum*) *Districtus* potest et sine vinculis in diversum manu ducentium ferri: *obligatus* etiam nodis vinculorum in loco intelligitur. Plus est ergo obligatum esse, quam districtnm. *Idem*.

3) *Qui, quamobrem arcesserentur)* Bene interposuit haec ad caussam non veniendi: Nam sine hac ad designatum Consulem Siculos non venisse, contumaciae videretur. Sane et hic, et in primo capite Verrinarum animadvertitur insequens locutio, similisque soloecismi; si quidem, *non venisse*: legeris: nam si, *non venissent*, legeris, error non erit. *Idem*. Recte Asconius ostendit, si *non venisse* legatus, soloecismi similem, et inconsequentem esse locutionem. Sed sic Ciceronem scripsisse, ut libri habent, vix mihi persuaserim. Si *qui*, tollas, quod irrepsit, nullum [illegible] hic quemquam offendet. Scripsit Cicero, ut vidit J.Fr. Gronovius in Observationibus, *Siculos sane in eo liberos fuisse, quambrem arcesserentur cum intelligerent, non venisse*. Fuit inveterata menda, quae Asconii tempestate jam inquinarat. *Grevius*.

4) *Caeterorum hoc anno*)Criminose, ut supra diximus in Hortensium, Metellosque. *Asc*.

5) *Cum filio blando, et gratioso)* Foeminis, ac maxime meretricibus blanditiae conveniunt: gratia vero quae potest in adolescentibus esse sine infamia? gratiam enim amicorum copiam modo dicit. *Idem*.

6) *Appellare)* Quasi familiares. *Idem*.

7) *Et convenire)* Quasi de promissorum debito. *Idem*.

et animadversum 1): fecit animo libentissimo Populus Romanus, ut, cujus divitiae 2) me de fide deducere non potuissent, ne ejusdem pecuniis de honore dejicerer.

Posteaquam illa petitionis magna cura liberatus sum, animo coepi multo magis vacuo, ac soluto, nihil aliud, nisi de judicio, agere, et cogitare. Reperio Judices, haec ab istis consilia inita, et constituta, ut, quacumque opus esset ratione, res ita duceretur, ut apud M. Metellum Praetorem caussa diceretur. In eo esse haec commoda: primum M. Metellum, amicissimum: deinde Hortensium Consulem non solum, sed etiam Q. Metellum 3) qui quam isti sit amicus, attendite. Dedit enim praerogativam suae voluntatis ejusmodi 4), ut isti pro praerogativis eam reddidisse videatur.

1) *Intellectum, et animadversum*) Intelligitur aliquid argumentis: animadvertitur sensibus praesenti animo utentibus: plerumque enim animadvertimus rem aliquam oculis, aut quo vis sensu corpori sine animi intentione: ergo plus est animadversum, quam intellectum. An ab aliis intellectum, ab aliis animadversum, intelligi possit? quod si est, rursus plus erit quam intelligere, animadvertere. *Idem*. –

2) *Ut, cujus divitiae*) Magna emphasi divitias dixit; et significat breviter, etiam sibi praemia praevaricationis oblata, sed frustra. *Idem*.

3) *Sed etiam Q. Metellum*) Subaudi, Consulem; et ne error sit in nominibus, tenere vos oportet, tres Metellos, esse unum Consulem cum Hortensio, alterum in urbe quaesitorem de pecuniis repetundis, tertium Siciliae Praetorem. *Idem*.

4) *Dedit enim praerogativam suae voluntatis ejusmodi*) Dilogia dicitur figura, cum ambiguum dictum duas res significat. Nam *praerogativa* praeter (miss. *propter*) justum integrumque beneficium, aut dictum, aut factum aliquid significat liberalius ab eo, qui nobis bene facturus est; et rursus *praerogativae* sunt tribus, quae primae suffragium ferunt ante jure vocatas. Mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri, quorum tribus *primae praerogativae* dicebantur, quod primo rogarentur, quos vellent Consules fieri *secundae*, jure vocatae, quod in his, sequente populo, ut saepe contigit,

An me taciturum 1) tantis de rebus existimavistis? et in tanto Reipublicae, existimationisque meae periculo, cuiquam consulturum potius, quam officio et dignitati meae? Arcessit alter Consul designatus Siculos 2): veniunt nonnulli, propterea quod L. Metellus esset Praetor in Sicilia. Cum iis ita loquitur: Se consulem esse: fratrem suum alterum Siciliam Provinciam obtinere, alterum esse quaesiturum de pecuniis repetundis: Verri ne noceri possit, multis rationibus esse provisum 3).

X. Quid est, quaeso a), Metelle judicium corrumpere, si hoc non est? Testes, praesertim Siculos, timidos homines, et afflictos, non solum auctoritate deterrere, sed etiam consulari metu et duorum Praetorum potestate? Quid faceres pro homine innocente, et propinquo, cum hominem perditissimum, atque alienissimum de officio, ac dignitate decedis: et committis, ut, quod ille dictitat, aliqui, qui te ignorant, verum esse videatur? Nam hoc Verrem dicere aje-

praerogativarum voluntatem, jure omnia complerentur. Hoc igitur dicit Cicero, Metellum vocando ad se Siculos, et eos minis deterrendo ab accusatione Verris, prope omne beneficium corruptarum a se tribuum Verris pecunia persolvisse. Vult enim: illum Verris pecunia Consulem factum intelligi. *Idem.*

1) *An me taciturum*) Est hic epitherapeusis. ubi non emendatio dicti atrocissimi, sed confirmatio ponitur recte dixisse, caussa subjecta cum quadam acrimonia. *Idem.*

2) *Arcessit alter Consul designatus Siculos*) Haec est praerogativa, quam Metellus Verri pro praerogativis reddidit: nam hujus rei fuerat dilata narratio. *Idem.*

3) *Provisum*) Quomodo, si comitiorum sors, atque fortuna est? Sed vult totum pecunia Siciliensi, hoc est corruptis a Verre tribubus, esse confectum: *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Quid est, quaeso) Assumptionis* approbatio *ab Adjunctis* Siculorum, qui natura timidi erant, et a persona ipsius, qui Consul erat designatus, et fratrum Praetorum; turpitudinem autem ostendit a Verris testimonio.

bant, te non fato, ut ceteros ex vestra familia 1), sed opera sua, Consulem factum. Duo igitur a) Consules 2) et Quaesitor 3) erunt ex illius voluntate. Non solum effugiemus, inquit, hominem in quaerendo nimium diligentem 4), nimium servientem populi existimationi, M'. Glabrionem. Accedet nobis etiam illud: Judex est M. Caesonius 5), collega nostri accusatoris, homo in rebus judicandis spectatus, et cognitus: quem minime expediat esse in eo consilio, quod conemur aliqua ratione corrumpere: propterea quod jam antea, cum Judex in Juniano 6) fuisset, turpissimum illud facinus non solum graviter tulit, sed etiam in medium protulit. Hunc Judices ex Kal.

1) *Te non fato, ut cetores ex vestra familia*) Dictum facete, et contumeliose in Metellos. Antiquum Naevii est, *Fato Metelli Romae fiunt consules:* cui tunc Metellus Consul iratus versu responderat senario hypercatalecto, qui et Saturnius dicitur: *Dabunt multum Metelli Naevio poetae* de qua parodia subtiliter Cicero dixit: *te non fato, ut ceteros ex vestra familia*. Idem.

2) *Duo igitur consules*) Q. Hortensius, Q. Metellus, *Idem.*

3) *Quaesitor*) Praetor de pecuniis repetundis quaestionem exercens: nam propriae quaesitores dicuntur criminalium quaestionum, ut Virgilius. *Quaesitor Minos urnam movet*. Idem. *Quaestor*) M. Metellus. *Idem.*

4) *Nimium diligentem)* Haec est artificiosa laudatio Judicis sine suspicione assentationis, et tamen efficax ad benevolentiam: qui autem diligentem vituperare non poterat, pro crimine addidit *nimium* Terent. *Ne quid nimis*. Idem.

5) *M. Caesonius)* Designatus aedilis cum Tullio, et ideo non judicaturus, quia et aedilis, et Judicis partes sustinere non poterat uno tempore, ut autem sagacem integritatem ejus ostenderet, non dixit, *Quod corrumpamus, conemur corrumpere*, et non aperta et plana corruptione, sed aliqua, id est, vel exigua. *Idem..*

6) *Juniano consilio*) Junius quaesitor fuit in Cluentii caussa. Verre Praetore, in qua cum Oppianicus damnatus esset, defensor Oppianici Tribuni plebis Quintius, rem in invidiam adduxit, cum diceret pecuniam in ju-

ANALYSIS.

a) *Duo igitur*) Refert, qua de caussa bonam spem Verres habeat, si in annum sequentem judicium transferatur.

Januar. non habebimus 1). Q. Manlium, et Q. Cornificium, duos severissimos, atque integerrimos Judices, quod Tribuni plebis tum erunt, Judices non habebimus. P. Sulpicius, Judex tristis, et integer, Magistratum ineat necesse est Nonis Decembr. 2), M. Crepereius ex acerrima illa equestri familia 3) et disciplina: L. Cassius ex familia tum ad ceteras res 4), tum ad judicandum severissima: Cn. Tremellius; homo summa religione, et diligentia: tres hi, homines veteres 5), Tribuni militares 6) sunt desi-

dicio fuisse versatam: et cum incertum esset, ex qua parte esset profecta, Populus Romanus non credidit ab Oppianico datam, quia damnatus erat, et errore multorum in falso crimine Cluentius fuit. Hic ergo Caesonius, damnatis aliis Judicibus: non modo innocens pronuntiatus st, sed etiam ex iis fuit, qui illa crimina Staleni, et Bulbi, et Guttae, et ceterorum judicum detexerunt, cum Verres quoque turbatus subiectos Judices esse diceret: et interpolatos libellos sortitionis judicum, quos libellos ipse obsignaverat. *Idem*.

1) *Hunc Judicem ex Kal. Jan. non habebimus*) Locus animadversione dignus: ex quo illud intelligitur quod saepe dixi, non licuisse, et Magistratus, et Judicis partes uno tempore sustinere. Etiam illud: multa in orationibus dicere Ciceronem ad tempus, non ad veritatem. Nam et Caesonium hoc loco, et Cornificium paullo infra spectatos, et integros appellat, cum in prima epist. ad Atticum utrumque ut consulatu, quem petebant, indignissimum, acriter perstringat. *Hotomanus*.

2) *Magistratum ineat necesse est Nonis Decembribus*) Eo die Tibunus plebis futurus. *Asconius*.

3) *Ex acerrima illa equestri familia*) Novo modo laudem ab ignobilitate quaesivit, more suo laudans Equites Romanos, et maxime, cum judicarent, sine infamia se gesserunt. *Idem*.

4) *Cassius ex familia tum ad ceteras res* inde sunt leges Cassiae tabellariae de suffragiis libere ferendis non voce, sed tabula: ille ipse Cassius qui cognoscendis criminalibus caussis in primis quaerendum esse dicebat, *Cui bono*. Idem.

5) *Homines veteres*) Graves, et severi: et vide figurate singulis additam laudem ex ore adversarii, veluti ostendentis, cur sibi isti omnes displiceant. *Idem*.

6) *Tribuni Militares*) Tribunorum Militarium duo sunt genera primum eorum, qui rufuli dicuntur; hi in exercitu creari solent: alii sunt comitiati, qui Romae comitiis designantur.

gnati. Ex Kal. Januar. non judicabunt. Subsortientur etiam 1) in M. Metelli locum, quoniam is huic ipsi quaestioni praefuturus est. Ita secundum Kal. Januar. et Praetore, et prope toto consilio commutato, magnas accusatoris minas, magnamque judicii exspectationem ad nostrum arbitrium, libidinemque eludemus.

Nonae sunt a) hodie Sextiles 2). Hora nona convenire coepistis. Hunc diem jam ne numerant quidem. Decem dies sunt ante ludos votivos 3), quos Cn. Pompejus facturus est. Hi ludi dies quindecim auferent. Deinde continuo Romani consequentur 4). Ita prope XL. diebus interpositis, tum denique se ad ea, quae a nobis dicta erunt, responsuros esse

1) *Subsortiemur etiam*) Mire ostendit securitatem rei: tamquam ipse sit omnia facturus. *Idem*. Non subsortiebantur consules, sed Praetor urbis una cum Judice quaestionis. Itaque haec dicuntur ex persona Metelli: non ut consulis, sed ut amici Verris, ad spem omnem Siculis tollendam, quasi omnia in eorum manu sint. *Subsortio* vero in eorum fiebat locum, qui vel ob rejectionem, vel aliam ob caussam, ut, qui magistratus essent, in consilio interesse non poterant. *Graevius*.

2) *Nonae Sextiles*) Sextiles, Augustae: Quintiles, Juliae: nondum enim nomina de Imperatoribus sumpserant, propter quam mutationem nominum Virgilius ait.

Et incipient magni procedere menses.

Hac tota argumentatione significat Cicero bis accusare se non posse si accusandi consuetudinem servare voluerit non servire brevitati. *Asconius*.

3) *Ludos votivos*) Hos Pompejus voverat, si Sertorium superasset. *Idem*.

4) *Deinde continuo Romani consequentur*) Romani ludi sub regibus instituti sunt, magnique appellari, quod magnis impensis dati sunt: tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum. Alii ideo magnos ludos dictos putant, quod Conso, consiliorum secretorum Deo, id est, Neptuno laticum regi et regi conditarum, et Diis magnis, id est, laribus urbis Romae, dati sunt: quibus ajunt raptas Sabinas esse, ut videatur propter hoc dicere Virgilius, *Magni Circensibus actis*. Nam et *Magni*, et *Circenses* iidem sunt. *Idem*.

5) *Deinde se ducturos*) Dilaturos: moram facturos. *Idem*.

ANALYSIS.

a) *Nonae sunt*) Deinde, quare confidant, ut in sequentem annum judicium facile transferri possit,

arbitrantur: deinde se ducturos 1), et dicendo 2) facile ad ludos Victoriae 4). Cum his plebejos esse conjunctos: secundum quos 5) aut nulli, aut pauci dies ad agendum futuri sunt. Ita defessa, ac refrigerata accusatione, rem integram ad M. Metellum Praetorem esse venturam. Quem ego hominem 6), si ejus fidei diffisus essem, Judicem non retinuissem. Nunc tamen eo animo sum, ut eo Judice, quam Praetore, hanc rem transigi malim: et jurato suam 7) quam injurato aliorum tabellas committere.

TERTIA PARS.

XI. Nunc ego a), Judices, jam vos consulo, quid mihi faciendum putetis. Id enim consilii mihi pro•

1) *Deinde se ducturos*) Dilaturos: moram facturos, *Idem*.

2) *Dicendo*) Longa oratione. *Idem*.

3) *Excusando*) Cur interdum non dicant: admittebantur enim excusationes multae etiam pro reo, aut occupationis alicujus, aut malae valetudini. *Idem*.

3) *Ad ludos Victoriae*) Hos Sylla instituit bello civili victor. *Idem*.

5) *Secundum quos*) Plebejos ludos, quos exactis regibus pro libertate Plebis fecerunt, aut pro reconciliatione plebis post secessionem in Aventinum. *Idem*.

6) *Quem ego hominem*) M. Metellum) scilicet: in cujus locum subsortiendumJudicem,ex persona Verris sup. a dixerat: qui Praetor futurus sit ex Kal. Jan. qui nunc in Judicium numero est. *Idem*.

7) *Et jurato suam*) Cum Judex sit Metellus, tabellam judiciariam juratus accipiet: cum Praetor fuerit, et non jurabit, quia non est moris, et in Potestate habebit tabellas omnium judicum. *Idem*.

Et jurato suam) Neque enim, qui Judex Quaestionis erat, jurabat, quippe qui sententiam ipse non ferret, sed eorum qui ipsi in concilio assidebant, tantummodo pronuntiaret. Jurabat autem urbis Praetor, qui Judices legebat de Quaestione sententiam laturos, ut apparet ex orat. pro Cluent. *Hotoman*.

ANALYSIS.

a) *Nunc ego*) In hac tertia parte duo facit; primum se, ommissa perpetua oratione, solis testibus, ac tabulis accusaturum profitetur, quod ut probetur Judicibus, sic arguit *a Congruo*.

fecto taciti dabitis 1), quod egomet mihi necessario capiendum intelligo. Si utar ad dicendum meo legitimo tempore 2), mei laboris, industriae, diligentiaeque capiam fructum: et ex accusatione perficiam, ut nemo 3) umquam post hominum memoriam paratior, vigilantior, compositior ad Judicium venisse videatur. Sed in hac laude industriae meae, reus ne elabatur, summum periculum est. Quid est igitur, quod fieri possit? non obscurum, opinor, neque absconditum. Fructum istum laudis, qui ex perpetua oratione percipi potuit, in alia tempora reservemus 4), nunc hominem tabulis, testibus, privatis publicisque literis, auctoritatibusque 5) accusemus. Res omnis a) mihi tecum erit, Hortensi. Dicam aperte. Si te me,

1) *Id enim consilii mihi profecto taciti dabitis)* Sermocinatio ista non decet Judicum gravitatem: ideo, *taciti*; dixit: sic agit autem, ut ostendat se non debere horis legitimis abuti ad his accusandum Verrem, cum possit pro una actione testimoniis uti tantum. *Ascon.*

2) *Meo legitimo tempore)* Viginti diebus, hi enim dabantur ad accusandum legitimi, totidemque defensori ad respondendum. Ascon. Verr. 3. *Hotoman.*

3) *Perficiam, ut nemo)* Nunc illud est quod postea dicet: *Et ne aliter quam ego velim meum laudet ingenium.* Ascon.

4) *In alia tempora reservemus)* In secundam actionem. *Idem.*

5) *Auctoritatibus)* Confirmationibus eloquentiae scilicet. *Idem.*

„ Accusator magis cavere debet, ne reus dabatur, quam „ laudis suae consulere;
„ Sed, si perpetua utar oratione, reus elabetur.
„ Ergo mihi omittenda est perpetua oratio, ex qua lau„ dem sperare possum.

ANALYSIS.

a) *Res omnis)* Hac alia ratione pariter *ab Adjunctis* -
„ Contra astutum et malitiosum adversarium pruden„ tia, et consilio opus est;
„ Sed astute, et malitiose mecum agit Hortensius;
„ Ergo etiam mihi nova agendae causae ratio quaeren„ da est.

cum dicendo, ac diluendis criminibus in hac caussa contendere putarem: ego quoque in accusando, atque in explicandis criminibus, operam consumerem. Nunc, quoniam pugnare contra me instituisti, non tam ex tua natura, quam ex istius tempore, et caussa 1), malitiose; necesse est istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere. Tua ratio est, ut secundum binos ludos 2) mihi respondere incipias: mea, ut ante primos ludos comperendinem 3). Ita fiet, ut tua ista ratio existimetur astuta 4) meum hoc consilium, necessarium.

XII. Verum illud a), quod institueram dicere, mihi rem tecum esse, hujusmodi est. Ego, cum hanc caussam Siculorum rogatu recepissem, idque mihi amplum, et praeclarum existimassem, eos velle meae fidei, diligentiaeque periculum facere, qui innocentiae, abstinentiaeque fecissent: tum, suscepto negotio, majus mihi quiddam proposui, in quo meam in Rempublicam voluntatem Populus Romanus

1) *Ex istius tempore, et caussa)* Sensus est: non ingenii tui est, quod contra me malitiose exis: sed hoc ita expetit tempus hujus, hoc est periculum Verris, et mala caussa, quam suscepisti. *Idem.*

2) *Secundum binos ludos)* Post binos ludos, votivos, ac Romanos. *Idem.*

3) *Ante primos ludos Comperendinem)* Id est, me et te dixisse profitens, comperendinationis Judicibus faciam potestatem. *Idem.*

4) *Astuta)* Urbana: etenim urbs ἄστυ dicitur. Terent. *An in astu venit?* Idem.

ANALYSIS.

a) *Verum illud)* Deinde, ut Hortensium a corrumpendo Judicio deterreat, minatur, se Potestate Aedilitia praeditum diem dicturum omnibus, qui huic rei operam dederint; quod hoc argumento declarat *ab Adjunctis.*

„ Id probari facile potest, quod maxime est invidiosum,
„ et certi indiciis convincitur;
„ Sed Jdiciorum curruptio res est maxime invidiosa,
„ et ipsius Verris confessio evincit velle Hortensium
„ huic Judicio corrumpendo operam dare,
„ Ergo hoc facile Populo probari poterit.

perspicere posset. Nam illud mihi nequaquam dignum industria, conatuque meo videbatur, istum a me in Judicium jam omnium judicio condemnatum vocari, nisi ista tua intolerabilis potentia, et ea cupiditas 1), qua per hosce annos in quibusdam Judiciis 2) usus es, etiam in istius hominis desperati caussa interponeretur. Nunc vero, quoniam haec te omnis dominatio, regnumque Judiciorum tantopere delectat: et sunt homines, quos libidinis, infamiaeque suae neque pudeat, neque taedeat, qui, quasi de industria, in odium, offensionemque Populi Romani irruere videantur: hoc me profiteor suscepisse, magnum fortasse onus, et mihi periculosum; verumtamen dignum, in quo omnes nervos aetatis, industriaeque meae contenderem.

Quoniam totus ordo, paucorum improbitate, et audacia premitur, et urgetur infamia judiciorum: profiteor huic generi hominum me inimicum, accusatorem odiosum, assiduum 3), acerbum adversarium. Hoc mihi sumo, hoc mihi deposco, quod agam in magistratu, quod agam ex eo loco 4), ex quo me Populus Romanus ex Kal. Januar. secum agere de Republica, ac de hominibus improbis voluit. Hoc munus aedilitatis 5) meae Populo Romano amplissimum, pulcherrimumque polliceor. Moneo, praedico, ante denuntio: qui aut deponere 6), aut recipere, aut accipere, polliceri, aut sequestres, aut interpre-

1) *Cupiditas)* Corruptionem Judicum significat. *Idem*

2) *In quibusdam Judiciis)* Terentii Varroni: ubi di scoloribus ceris usus est, et ubi, ut supra diximus, elusi nobiles pueros. *Idem.*

3) *Assiduum)* Molestus, addictum. *Idem.*

4) *Exeo loco)* De rostris scilicet. *Idem.*

5) *Hoc munus edilitatis)* Allusit ad ambiguitatem muneris et Verris nomen bestiae praeferentis. *Idem.*

6) *Qui aut deponere, etc.)* *Deponitur* in sequestri, *accipitur* ab eo, qui corrumpitur: *recipitur*, id est, promittitur ab eo, qui pro judicaturo spondet: *pollicetur*, qui apud se dicit aut praemium, aut sententiae potestatem esse: *sequestres* sunt, apud quos pecunia deponitur: *interpretes*, per quos inducitur pactio. *Idem.*

tes corrumpendi Judicii solent esse, quique ad hanc rem aut potentiam, aut impudentiam suam professi sunt, abstineat in hoc Judicio manus, animosque ab hoc scelere nefario.

XIII. Erit tum a) Consul Hortensius cum summo imperio, et potestate: ego autem aediliis, hoc est, paullo amplius, quam privatus 1). Tamen haec hujusmodi res est, quam me acturum esse polliceor, ita Populo Romano grata, atque jucunda, ut ipse Consul in hac caussa prae me minus etiam, si fieri possit, quam privatus esse videatur. Omnia non modo commemorabuntur, sed etiam, exspositis certis rebus, agentur, quae inter decem annos 2), posteaquam Judicia ad senatum translata sunt, in rebus judicandis nefarie, flagitioseque facta sunt. Cognoscet ex me Populus Romanus, quid sit, quamobrem, cum equester ordo judicaret, annos prope quinquaginta 3), continuos, nullo Judice equite Romano 4) judicante,

1) *Paullo amplius, quam privatus*. Nam aedilitas primus est magistratus curulis, isque ad honoris amplioris gradum primus ascensus erat, et ex minoribus erat magistratibus, id est, ex iis qui minoribus auspiciis creabantur: sellam tamen curulem, et judicia, et antiquiorem in senatu sententiae dicendae locum habebant. *Privatus* autem a Latinis et qui cum imperio est, opponitur: quasi in publico, et jam in re publica, non privata versanti. *Hotom.*

2) *Inter decem annos*) Recte dixit: hoc enim tempus, quo senatus judicat, victore Sylla ab ordine equitum transferente Judicia *Asco*.

4) *Annos prope quinquaginta*) Tanto enim fere tempore equester ordo judicavit lege Sempronia. *Idem.*

4) *Nullo Judice equite Romano etc.*) Hotomanus invitis libris legit de contectura Joannis Lucanii, casu recto, *nulla etc.* sensu egregio. *Gruter* Vellem explicarent haec verba, qui ea retinenda censent. Explicavit quidem Paulus Manutius, *nunquam, ullo equite Romano*. Sed

ANALYSIS.

a) *Erit tum*) *Assumptionis* prima pars, in qua refert omnes judiciorum corruptelas, quae contigerant per decem annos, Senatoribus judicantibus.

ne tenuissima quidem suspicio acceptae pecuniae ob rem judicandam constituta sit: quid sit, quod Judiciis ad senatorium ordinem translatis, sublataque Populi Romani in unumquemque nostrum potestate 1) Q. Calidius damnatus dixerit, minoris H-S tricies 2) Praetorium hominem honeste non posse damnari: quid sit, quod, P. Septimio senatore damnato, Q. Hor-

non dura tantum haec locutio est, sed coelo Latino in hac natione inaudita. Attentius hunc locum inspiciendi plane haec verba videntur supposititia, et nescio unde irrepsisse. Indigna enim et Cicerone τυντολογια. Cum *equester ordo judicaret* annos prope quinquaginta. *nullo Judice equite Romano judicante, ne tenuissima*. Quid est *Judice Equite Romano judicante*, quam quod praecedentibus verbis dixit; *cum equester ordo judicaret?* Nam *Judice Equite Romano judicante* est, cum judicarit equester ordo. Ista repetitio hic inanis est plane, et inepta. Ne dicam et hoc durum esse *Judice judicante*. Mihi igitur haec verba *Judice Equite Romano judicante*, videntur esse interpretatio illorum, *cum equester ordo judicaret*, et ex margine infulta esse male a mala manu. Si illa deleveris, nihil scabri supeterit. Sin quis pertendat, esse illa retinenda, quia in vetustis libri habentur, scribendum est sane cum Lucanio, probante Hotomano et Gruteros *nulla* sed pro *Equite Romano judicante* legendum potius *Equite res judicante*, Nam littera R. saepe significat res, aeque ut *Romanus*, ut docuit Valerius Probus de noris Romanorum cap. 17. Hac locutione *res judicare* saepius ista oratione usus est Cicero. Sed propter caussa, quas paullo ante attuli, nullus dubito haec verba tamquam spuria esse indueenda. Ciceronis autem manum esse *Quamobrem, cum equester orde judicaret, annos prope quinquaginta continuos, nulla, ne tenuissima quidem suspicio acceptae pecuniae ob rem judicandam constituta sit.* Gr.

1) *Sublata Populi Romani potestate* Scilicet sublata provocatione ad Populum, hoc est, ad Tibunos Plebis. *Asconius.*

2) *Q. Calidius damnatus dixerit, minoris sestertium tricies honeste, etc.)* Q. Galidius, M. Galidii oratoris pater, ex Praetura Hispaniensi accusatus a Gallio, pro quo postea Cicero dixit, atque damnatus, cum sensisset Judicibus pecuniam contra se datam, in eos Judices, qui parvo pretio corrupti se damnaverant, exclamavit: Vel idoneam, inquit, mercedem pro meo capite pacisci debuistis: hoc saltem honestatis esset in vobis, ut hominem Praetorium non vili pretio venderetis: et, *honeste* ironice dictum est. *Idem.*

tensio Praetore de pecuniis repetundis 1), lis aestimata sit 2) eo nomine, quod ille ob rem judicandam pecuniam accepisset: quod in C. Herennio, quod in C. Popilio, senatoribus qui ambo peculatus damnati sunt: quod in M. Attilio, qui de majestate damnatus est, hoc planum factum est, eos pecuniam ob rem judicandam accepisse: quod inventi sunt senatores, qui C. Verre Praetore urbano sortiente 4), exirent in eum reum 5), quem incognita caussa con-

Q. Hortensio Praetore, de pecuniis repetundis) Ordo est, P. Septimio damnato de Pecuniis repetundis Praetore Q. Hortensio. Haec enim Q.Hortensio Practori sors obtigit, ut de repetundis Pecuniis quaereret; sicuti constat ex libro de clar. Orat. Sed cur nominatim Q. Hortensio Praetore? An criminose hoc dictum est Hortensium; ut Asconius interpretatur? Mihi quidem minime videtur, praesertim cum damnatum dicat Sulpitium. An igitur ut rem nemini dubiam, sed manifestam, et vel ipsius adversarii oculis testatam prolaturum se ostendit? opinor, haec potius caussa est. *Hotom.*

2) *Lis aestimata sit*) Hoc est pecunia, de qua iis fuit, at propter quam condemnatus est, in summam redacta, quae de ejus rebus exigeretur. Duae res enim consequebantur damnationem: altera, redditio pecuniae iis, ad quos pertinebat, in quo vel simpli, vel dupli, vel quadrupli ratio ducebatur: altera, exilium. *Ascon.*

3) *Qui ambo peculatus damnati sunt)* Quid hoc, inquiet quispiam, ad Judicium corruptum pertinet? Respondebimus, litis aestimationem fieri non solum ex titulo propositi criminis, sed etiam ex aliis probationibus, quae ex ante actis rebus apud Judices constiterint. Hi, peculatus crimini proposito, etiam quas judicando pecunias ceperant, reddiderunt. Similiter absolvitur etiam illud quod supra de pecuniis repetundis positum est. *Idem.*

4) *Qui C. Verre Praetore urbano sortiente)* Sic hoc criminose dicit, quemadmodum supra, Hortensio Praetore; et totum hoc magis invidiose, quam vere, dicitur: nam ipse Verres pro testimonio dixit, in Juniano Judicio adulteratas fuisse tabellas suas, in quibus suppositi Judices essent ad sententiam corruptam ferendam. *Idem.*

5) *Exirent in eum reum.* Non ex urna, ut fit *Eorum nomina ex urna ducerentur*: sicuti nonnulli existimant. Non enim ex urna, nomen Falculae exierat: sed *irnent* simpliciter accipio, quasi dictum sit, Adirent ad illud Judicium, et Praetori assiderent. *Hotom.*

demnarent 1): quod inventus est senator 2), qui cum Judex esset, in eodem judicio, et ab reo pecuniam acciperet, quam Judicibus divideret, et ab accusatore, ut reum damnaret.

Jam vero quomodo illam labem, ignominiam, calamitatemque totius ordinis conquerar? hoc factum esse in hac Civitate, cum senatorius ordo judicaret, ut discoloribus signis 3) juratorum hominum 4) sententiae notarentur? Haec omnia me diligentèr, severeque acturum esse polliceor.

XIV. Quo me tandem animo fore putetis, si quid in hoc Judicio intellexero simili aliqua ratione esse violatum, atque commissum? cum praesertim a) planum facere multis testibus possim, C. Verrem in Sicilia, multis audientibus, saepe dixisse. *Se habere hominem potentem* 5), *cujus fiducia Provinciam spoliaret: neque sibi soli pecuniam quaerere, sed ita triennium illum Praeturae Siciliensis distributum habere, ut secum praeclare agi diceret, si unius anni Quaestum in rem suam converteret; alterum patronis, et defensori-*

1) *Quem incognita caussa condemnarent)* Cum caussam ante non audissent. Significat autem C. Fidiculanium Falcunam, qui ad complendam Oppianici damnationem dicebatur esse suppositus. *Ascon.*

2) *Quod inventus est senatos)* Stalenum dicit ab utraque parte fuisse corruptum, quod adversus eam recitatum postea, in Cluentiana oratione vix purgat; ubi dicit a solo Oppianico sestertium DCXL. Cajo Aelio Staleno Judici data pro numero Judicium, qui corrumpendi essent. *Idem.*

3) *Ut discoloribus signis)* Jam supra dictum est: Signa autem alii ceratas diverso colore tabulas, alii ab Judicibus appositas tabulis ceras diversi coloris; ajunt, in hoc signum esset ad voluntatem rei sententiae scriptae *Idem.* *Juratorum hominum)* Judicium scilicet, qui leges ante, quam judicarent, jurare consueverant. *Idem.*

4) *Se habere hominem potentem)* Hortensium vult intelligi, scit enim hoc nimis valere * minuendam ejus auctoritatem. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Cum praesertim)* Altera pars de confessione Verris, quam amplificat *a Consequentibus*, a maximo scilicet incommodo inde consequuturo.

bus suis traderet; tertium illum uberrimum, quaestuosissimumque annum totum Judicibus reservaret. Ex quo mihi venit in mentem illud dicere, quod apud M'. Glabrionem 1) nuper cum in rejiciendis Judicibus commemorassem, intellexi vehementer Populum Romanum commoveri: me arbitrari, fore, uti nationes exterae legatos ad Populum Romanum mitterent, ut lex de pecuniis repetundis Judiciumque tolleretur. Si enim Judicia nulla sint, tantum unumquemque ablaturum putant, quantum sibi, ac liberis suis esse arbitrarentur. Nunc, quod ejusmodi Judicia sunt, tantum unumquemque auferre, quantum sibi, patronis, advocatis, Praetoribus, Judicibus satis futurum sit: hoc profecto infinitum esse: se avarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimae victoriae non posse.

QUARTA PARS.

O commemoranda a) Judicia, praeclaramque existimationem nostri ordinis! cum socii Populi Romani Judicia de pecuniis repetundis fieri nolunt, quae a majoribus nostris sociorum caussa comparata sunt. An iste b) umquam de se bonam spem habuisset, nisi de vobis malam opinionem animo imbibisset? Quo majore etiam, si fieri potest, apud vos odio esse debet, quam est apud Populum Romanum, cum in avaritia, scelere, perjuro vos sui similes esse arbitraretur.

1) *Apud M'. Glabrionem*) Praetorem praesentis anni, quique praeesset huic Judicio. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *O commemoranda)* Accendit ad movendos *Affectus;* et primo quidem loco *Misericordia* est in Socios, quod iis illud s.s detrimento, unde praesidium speraverant, ex Arist. lib. 2. c. tex. 89.

b) *An iste*) Secundo *Odium* in C. Verrem, qui de Judicibus pessime sentiat, lib. 2. c. 4. tex. 29.

XV. Cui loco a), per Deos immortales, Judices, consulite, ac providete. Moneo, praedicoque id, quod intelligo, tempus opportunissimum vobis hoc divinitus datum esse, ut odio, invidia, infamia, turpitudine totum ordinem liberetis. Nulla in Judiciis b) severitas, nulla religio, nulla denique jam existimantur esse Judicia. Itaque a Populo Romano contemnimur, despicimur: gravi, diuturnaque jam flagramus infamia. Neque enim ullam aliam ob caussam Populus Romanus 1). Tribunitiam potestatem tanto studio requisivit: quam cum poscebat, verbo illam poscere videbatur, re vera judicia poscebat. Neque hoc Q. Catulum, hominem sapientissimum, atque amplissimum fugit, qui, Cn. Pompejo 2), viro fortissimo, et clarissimo, de Tribunitia potestate referente, cum esset sententiam rogatus, hoc initio est summa cum auctoritate usus: *Patres conscriptos Judicia male, et flagitiose tueri: quod si in rebus Judicandis Populi Romani existimationi satisfacere voluissent, non tantopere homines fuisse Tribunitiam potestatem desideratu-*

1) *Neque enim ullam aliam ob caussam Populus Romanus*) Per annos continuos tres Populus Romanus illo tempore Tribunitiam potestatem flagitabat: hoc Cicero utitur ad invidiam Judiciorum et infamiam, senatu judicante *Idem.*

2) *Qui, Cn. Pompejo*) In invidia tunc Pompejus fuit. quod Consul redderet Populo Tribunitiam potestatem: sed totum Tullius ad sui temporis commodum refert, ut etiam Catuli sententiam in senatu demonstret. *Idem*

ANALYSIS.

a) *Cui loco*) Tertio repetitur argumentum *ab Adjunctis*. quod et in principio habetur, ad Judices inflammandos, est aut hujusmodi;

„ Debetis infamiam nostri ordinis tollere, si potestis;
„ Sed omnis infamia ordinis Senatorii est propter cor-
„ rupta Judicia, eamque tollere potestis in conde-
„ mnando Verre,
„ Ergo condemnare Verrem debetis.

Complexio cum adhortatione praecedit.

b) *Nulla in Judiciis*) *Assumptionis* prima pars, quod nihil aegrius Populus ferret, quam hanc Judiciorum corruptelam.

tus. Ipse denique Cn. Pompejus, cum primum concionem ad urbem Consul designatus 1) habuit; ubi (id quod maxime exspectari videbatur) ostendit, se Tribunitiam potestatem restituturum,factus est in eo strepitus et grata concionis admurmuratio. Idem in eadem concione cum dixisset, *Populatas, vexatasque esse Provincias: Judicia autem turpia, et flagitiosa fieri et rei se providere, ac consulere velle:* tum vero non strepitu, sed maximo clamore suam Populus Romanus significavit voluntatem.

XVI. Nunc autem a) homines in speculis sunt 2) observant 3), quemadmodum sese unusquisque vestrum gerat in retinenda religione, conservandisque legibus. Vident adhuc post legem Tribunitiam 4)

1) *Cum primum concionem ad urbem Consul designatus*) *Ad urbem*, in urbe: et sic dici solet de iis, qui cum potestate Provinciali, aut nuper e Provincia revertissent, aut nondum in Provinciam profecti essent. Pompejus autem pro Consule de Hispania, Sertorio victo, nuper venerat, et statim habuerat concionem de restituenda Tribunitia potestate, Pallicano Tribuno Plebis. *Idem*.

Ad urbem, in urbe, inquit Ascon. Quod quemadmodum intelligi debeat, conjectura assequi non possum. Nemini autem qui cum imperio Provinciali esset, nisi aut triumpharet, out imperium deponeret, urbem introire licebat. Ut mihi obscurior Asconii sententia videatur, nisi forte *urbis*, verbum late accepit etiam pro continentibus aedificiis, ut Romae esse dicerentur etiam qui ad urbem erant, quamvis in urbe non essent. *Hot.*

2) *Homines in speculis sunt*) Scilicet equester ordo, et urbana plebs, et omnes, qui favent Tribunitiae potestati. *Ascon.*

3) *Observant*)Modo speculantur, alias venerantur, Virgilius:

„ Praeterea regem non sic Aegyptus, et ingens
„ Lydia, nec Populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
„ Observant. *Idem.*

4) *Post legem Tribunitiam*) Ex quo lex fertur de Tribunitia potestate retituenda. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Nunc autem*) Secunda pars, quod C. Verres homo sit pecuniosus, ut potuisse corrumpere videatur, et nocentissimus, ut constet nulla alia ratione eum evadere potuisse.

unum senatorem vel tenuissimum 1) esse damnatum. Quod tametsi non reprehenderunt 2), tamen magnopere quod laudent, non habent. Nulla est enim laus, ibi esse integrum, ubi nemo est, qui aut possit, aut conetur corrumpere. Hoc est judicium, in quo vos de reo, Populus Romanus de vobis judicabit. In hoc homine statuetur, possitne, senatoribus judicantibus, homo nocentissimus, pecuniosissimum damnari. Deinde hujusmodi reus, in quo homine nihil sit, praeter summa peccata, maximamque pecuniam: ut, si liberatus sit, nulla alia suspicio, nisi ea, quae turpissima est, resistere possit. Non gratia 3), non cognitione 4), non aliis recte factis, non denique aliquo mediocri vitio 5) tot, tantaque ejus vitia sublevata esse existimabuntur.

Postremo ego caussam sic agam, Judices: ejusmodi res, ita notas, ita testatas, ita magnas, ita manifestas proferam, ut nemo a vobis, ut istum absolvatis per gratiam conetur contendere. Habeo autem certam viam atque rationem, qua omnes illorum conatus investigare 6), et consequi 7) possim. Ita res a me agetur, ut in eorum consiliis omnibus non modo aures hominum, sed etiam oculi Populi Romani interesse videantur.

1) *Unum senatorem vel tenuissimum)* Pauperem, qui, unde Judices corrumperet, non haberet: Dolabellam autem significat. *Idem.*

2) *Quod tametsi non reprehendunt)* Potuit enim dici, Quid ergo? noxius si pauper sit, non est damnandus. *Ascon.*

3) *Non gratia)* Non vult amicum videri Hortensi Verrem, sed tantummodo praedae participatione sociatum. *Idem.*

4) *Non cognatione)* Hoc ad Metellum collegam Hortensii pertinet, qui illum, tamquam si sit cognatus, defendit. *Idem.*

5) *Mediocri vitio)* Mediocria vitia sustinebit, si quis nimia servitute patrocinium meruerit, aut assentatione aliqua defendi meruerit. *Idem.*

6) *Investigare)* Ratione. *Idem.*

7) *Consequi)* Via. Hoc totum ad terrendos a corruptione Judices dicitur. *Idem.*

Vos aliquot jam per annos conceptam huic ordini turpitudinem, atque infamiam delere, ac tollere potestis. Constat inter omnes, post haec constituta Judicia 1), quibus nunc utimur, nullum hoc splendore, atque hac dignitate consilium fuisse. Hic si quid erit offensum, omnes non jam ex eodem ordine alios magis idoneos, (quod fieri non potest) sed alium omnino ordinem ad res judicandas quaerendum arbitrabuntur.

XVII. Quapropter a) primum ab Diis immortalibus, quod sperare mihi, hoc idem, Judices, peto, ut in hoc Judicio nemo improbus praeter eum, qui jampridem inventus est 2), reperiatur, deinde, si plures improbi fuerint, hoc vobis, hoc Populo Romano, Judices, confirmo, vitam mehercule mihi prius, quam vim, perseverantiamque ad illorum improbitatem persequendam defuturam.

Verum b) quod ego laboribus, periculis, inimicitiisque meis tum, cum admissum erit, dedecus severe me persequuturum esse polliceor id ne accidat, ut tua sapientia, auctoritate, diligentia, M'. Glabrio potes providere. Suscipe caussam Judiciorum: suscipe caussam severitatis, integritatis fidei, religionis: suscipe caussam Senatus, ut is hoc Judicio probatus, cum Populo Romano, et in laude, et in gratia esse possit. Cogita, qui sis, quo loco sis 3), quid dare Populo Romano, quid reddere majoribus tuis debeas: fac tibi paternae legis Aciliae 4) veniat in mentem,

1) *Post haec constituta Judicia*) Senatoria Judicia, dicit, per hos 10. annos Syllae legibus constituta. *Idem*:

2) *Qui jampridem inventus est*) Verrem dicit. *Idem*.

3) *Quo loco sis*.) In tribunali. *Idem*.

4) *Fac tibi paterna legis Aciliae*) M. Acilius Glabrio legem Aciliam tulit de pecuniis repetundis, severissimam, ut qua ne comperendinari quidem liceret reum. *Idem*.

ANALYSIS.

a) *Quapropter*) Quarto *Timorem* incutit Judicibus ab impendenti ipsis malo, hoc est accusatione. Asist. l. 2. c. 5. t. 41.

b) *Verum*) Quinto admonet M. Acilium Praetorem, ut sua fide, ac diligentia hoc Judicium recte exercere velit, memor suorum.

qua lege Populus Romanus de pecuniis repetundis, optimis Judiciis, severissimisque Judicibus usus est. Circumstant te summae auctoritates, quae te oblivisci laudis domesticae non sinant: quae te dies, noctesque commoneant fortissimum tibi patrem 1) sapientissimum avum 2) gravissimum socerum fuisse 3). Quare si Glabrionis patris vim, et acrimoniam coeperim ad resistendum hominibus audacissimis: si avi Scaevolae prudentiam ad prospiciendas insidias, quae tuae, atque horum famae comparantur: si soceri Scauri constantiam 4), ut ne quis te de vera, et certa possit sententia demovere: intelliget Populus Romanus, integerrimo, atque honestissimo Praetore, delectoque consilio, nocenti reo magnitudinem pecuniae plus habuisse momenti ad suspicionem criminis 5), quam ad rationem salutis 6).

XVIII. Mihi a) certum est non committere, ut in hac caussa Praetor nobis, consiliumque mutetur. Non patiar rem in id tempus adduci, ut Siculi, quos adhuc servi designatorum Consulum 7) non moverunt, cum eos novo exemplo universos arcesserent,

1) *Fortissimum patrem)* M. Acilium Glabrionem. *Idem.*

2) *Sapientissimum avum)* Scaevolam dicit, juris peritissimum, qui cum Cn. Pisone Consul fuit, quo anno Tib. Gracchus occisus est. *Idem.*

3) *Gravissimum socerum fuisse)* Scaurum significat. *Idem.*

4) *Scauri constantia)* Inde subjecit quid sit constantia. Et animadvertendum, hanc esse artificiosam laudatione Judicum ad benevolentiam, quae ab assentationis suspicione semota est. *Idem.*

5) *Ad suspicionem criminis)* Quod multum rapuit. *Idem.*

6) *Ad rationem salutis)* Ut corruptis Judicibus reus reservetur. *Idem.*

7) *Servi designatorum Consulum)* Mentionem facit illius rei, quam de Metello supra monstraverat, quod Siculos domum arcessitos jam ante conterruit. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Mihi)* Sexto iterum exponit, qua nova ratione accusare Verrem cogitaverit, et quam sibi hoc consilium utile futurum sit.

eos tum lictores Consulum vocent: ut homines miseri, antea socii, atque amici Populi Romani, nunc servi, ac supplices, non modo jus suum, fortunasque omnes eorum imperio amittant, verum etiam deplorandi juris sui potestatem non habeant. Non sinam profecto, caussa a me perorata, quadraginta diebus interpositis 1), tum nobis denique respondeant, cum accusatio nostra in oblivionem diuturnitate adducta sit: non committam, ut tum res judicetur, cum haec frequentia totius Italiae Roma discesserit 2): quae convenit uno tempore undique, comitiorum, judiciorum, censendique caussa. Hujus Judicii, et laudis fructum, et offensionis periculum vestrum 3), laborem, sollicitudinemque nostram scientiam quid agatur, memoriamque quid a quoque dictum sit, omnium puto esse oportere.

Faciam hoc non novum, sed ab iis; qui nunc principes nostrae Civitatis sunt, ante factum 4), ut testibus utar statim. Illud a me novum, Judices, cognoscetis 5), quod ita testes constituam, ut crimen

1) *Quadraginta diebus interpositis*) Iis, qui sunt per binos ludos, votivos atque Romanos, quos alii bini consequuti erant, Victoriae, atque plebeji. *Idem.*

2) *Cum haec frequentia totius Italiae Roma discesserit*) Frequentiam dicit plebis rusticae, cui voluit Judicii exitu notam esse integritatem suam. Convenerat autem ex municipiis cujuscumque modi multitudo, aut propter comitia suffragiorum caussa, aut ludorum votivorum, Romanorum, Victoriae plebejorum, aut, ut censeretur apud censores Gellium et Lentulum, qui tunc erant. *Idem.*

3) *Hujus Judicii, et laudis fructum, et offensionis periculum vestrum*) Figura Zeugma: ad singula enim subaudiendum est; puto esse oportere. *Idem.*

4) *Faciam hoc non novum, sed ab iis, qui nunc principes nostrae civitatis sunt, ante factum*) Verum dicit. Etenim M. Licinius, et item M. Licinius, ambo consulares: Marcus vero etiam triumphalis fuit. Hi cum accusarent L. Cottam, non usi sunt oratione perpetua, sed interrogatione testium caussam peregerunt. *Idem.*

5) *Illud a me novum cognoscetis*) In eo se dicit novi aliquid allaturum, in quo diligentibus crimen expositum est, quam qui ante ipsum breviter accusaverunt. *Idem.*

totum explicem: ubi id interrogando 1), argumentis, atque oratione firmavero, tum testes ad crimen accommodem, ut nihil inter illam usitatam accusationem, atque hanc novam intersit, nisi quod in illa tunc, cum omnia dicta sunt, testes dantur: hic in singulas res dabuntur: ut illis quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi, dicendique sit 2). Si quis erit, qui perpetuam orationem 3) accusationemque 4) desideret, altera actione audiet. Nunc id, quod facimus, (ea ratione facimus 5), ut malitiae

Interrogando) Apparet ex hoc dicto, testes suos etiam ipsum accusatore interrogares consuesse. *Idem*. Suspectus mihi locus est. Nam si interrogando firmavit crimen, quid est quod continuo sequitur, *Tum testes ad crimen accommodem*? Quo modo enim interrogando confirmavit, nisi adhibitis, accomodatisque testibus? Aperiam igitur quod mihi in mentem venit, de quo eruditiores existimare poterunt. Quoniam in primo accusationis libro dicit se in testibus interrogandis crimina explicasse, veni in suspicionem, praetermissum in scribendo verbum *interrogando*, postea in conferendo, ad marginem adscriptum: deinde vero ab alio scriptore non suo loco restitutum esse. Itaque potius legendum sum arbitratus. *Quod ita testes constituam, ut interrogando crimen totum explicem: ubi id argumentis; atque oratione firmavero, tum testes ad crimen accomodem, interrogando*, non ipsam testium compellationem declaret, sed (ut in libro sequenti) actum illum legitimum et judicialem qui *testium interrogatio* dictus est: praesertim cum hoc ipsum aperte iisdem verbis in eo libro explicarit, *Ut in testibus interrogandis omnia crimina preponerem et explicarem*. Ex quibus ipsis verbis perspicue falsitas eorum opinionis intelligitur, qui locum hunc de reo interrogando interpretabantur: cum aperte de testium interrogatione Cicero loquatur. *Hotoman*

2) *Argumentandi dicendique sit*) Argumentari, est argumentis uti ad rem probandam: dicere amplificatione uti ad rem dilatandam, et delectandum commovendumque auditorem oratione perpetua. *Ascon.*

3) *Si quis erit, qui perpetuam orationem*) Vides quod argumentis se usurum non negat jam modo, quamquam perpetuam orationem se neget habiturum in hac actione, quae prima est. *Idem*.

4) *Si quis erit, qui perpetuam orationem accusationemque*) Bene haec speravit, ut ostenderet, etiam sine perpetua oratione accusationem tamen esse: et intelligi posset, ut res non una, sed ut duae sunt. *Idem*.

5) *Nunc id, quod facimus, ea ratione facimus*) In-

diebus prima actio celebrata est, dum testes Verris producuntur criminum diversorum, dum recitantur publicae privataeque literae: quibus rebus adeo stupefactus Hortensius dicitur, ut rationem defensionis omitteret: adeo perculsus Verres ut abiret in exilium sua sponte. Nec quid amplius in judicio gestum est, nisi quod Tullius metuens ne tantum negotium pene tacitum praeteriret, finxit Verrem comperendinationi praesto fuisse, ut bis defensus accusaretur iterum. Et quemadmodum victoriae consuluerat brevitate dicendi, ita laudem eloquentiae tamquam repetita accusatione est consequutus reliquorum conscriptione librorum, qui ceteros consequuntur. *Idem.*

PRO LEGE MANILIA

AD POPULUM

ORATIO

ARGUMENTUM.

M. Aemilio, L. Volcatio Consulibus, cum L. Lucullus, qui proconsulari imperio administrarat prope septem annos Mithridaticum bellum, a Senatu revocatus Romam rediisset, tulit ad Populum L. Manilius, Tribunus Plebis, ut ejus belli administratio Pompejo committeretur, qui tum bellum marittimum gerebat. Eam rogationem Cicero Praetor creatus persuadendam Populo suscepit, quod in Pompejo omnia essent, quae ad perfectum Imperatorem pertinerent, scientia rei militaris, fortitudo, temperantia, et felicitas: rejectis objectionibus Hortensii, et Catuli: quorum alter, non esse uni omnia committenda dicebat: alter vero, in uno homine saepe esse periclitandam fortunam negabat, eumque aliis Reipublicae temporibus servari volebat. *Ernestus*.

ORATIONIS SYNOPSIS.

ORatio est in *Genere Deliberativo*, an sit mittendus Pompejus contra Mithridatem, necne; quatuor habet partes, *Exordium, Narrationem, Contentionem, et Perorationem*.

Sumit *Exordium a Caussis*, cur ex Rostris verba nunc ad Populum faciat, quod numquam antea fecerat: *Quamquam mihi.*

In *Narratione* exponit, a quibus Regibus bellum geratur, et quem Imperatorem omnes deposcant: *Atque ut inde.*

In *Contentionis* prima parte agit de Genere belli *a Caussis finalibus*, quod agatur Populi Romani gloria: *Et quoniam semper*; Sociorum salus: *Quid quod salus sociorum*, Vectigalia, et bona civium: *Praesertim cum de vestris maximis*.

In secunda parte de magnitudine belli pertractat, et celebratis rebus prospere a Lucullo gestis: *Atque*

et omnes; magnum esse bellum ostendit tum *a Simili*, usus exemplo Medeae: *Primum ex suo Regno*; tum *ab Adjunctis*, quia multi Reges, et Populi contra novum Imperatorem insurgunt: *Hunc in illo timore*.

In tertia parte probat summum esse Imperatorem Pompejum *a Caussis*, quod in eo sit scientia rei militaris: *Quis igitur hoc homine*; Virtus: *Jam vero virtuti Cn. Pompeji*; Auctoritas. *Et quoniam auctoritas*; et Felicitas: *Reliquum est.*

In *Confutatione* diluit *a Pari* objectum Hortensii: non esse uni omnia deferenda: *Quid igitur ait Hortensius?* Et Gabinio factam injuriam queritur, cui non concesserant Legationem: *Quo mihi etiam indignus*. Catulo etiam respondet de periculo, ne periret tot ad bella missus Pompejus: *Reliquum est, ut de Q. Catuli*; deque majorum institutis violatis: *At enim nihil novi*.

In *Peroratione* Manilium ad constantiam hortatur, suamque egregiam in Populum Romanum voluntatem attestatur: *Quae cum ita sint*.

EXORDIUM.

I. Quamquam a) mihi semper frequens conspectus vester 1), multo jucundissimus; hic autem locus 2), ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus 3) est visus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, sed meae vitae rationes ab ineunte aetate susceptae, prohibuerunt. Nam, cum b)

1) *Frequens conspectus Vester*) Magistratus, quibus solis cum Populo agendi jus erat, legem trinundino per praeconem promulgari in foro jubebant, ut tertia die comitia haberentur, et Populus suffragia ferret: id est, legem latam aut juberet, aut antiquaret. Eam, ut scribit Quintilianus, libro II. pro concione suadere, aut dissuadere, moris fuit. L. ergo Manilius. Tribunus Plebis, comitia in foro habebat convocatis tribubus, legemque ferebat, quam Cicero Praetor frequenti Populo hac oratione suadet. *Hotomanus.*

2) *Hic autem locus*) Templum in foro, rostris, ut Livius scribit navium Antiatium exornatum. *Idem.*

3) *Ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus*) Gellius, Noct. Att. XIII. 15. docet aliud esse, ,, Agere cum Populo, *aliud* concionem habere. Nam,cum ,, Populo agere, *inquit*, est rogare quid Populum,quod ,, suffragiis suis aut jubeat, aut vetet. Concionem autem ,, habere, est verba facere ad Populum, sine ulla roga- ,, tione. ,, Ergo *ad agendum amplissimum* appellat, quod nullis nisi amplitudine praeditis viris, magistratum scilicet gerentibus, agere cum Populo liceret: *ad concionandum* autem, sive *ad dicendum ornatissimum*, quod ornamento esset iis, qui concionabantur, ut adolescentibus, qui de laude alicujus pro Rostris orationes ad Populum habebant. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Quamquam*) *Exordium* sumit *a Caussis*, cur numquam antea ex Rostris verba ad Populum fecerit, idque se per modestiam fecisse ait ad conciliandam *Benevolentiam*; sic igitur arguit:

,, Antea non debui huc ascendere, cum neque auctoritatis, neque facultatis satis haberem;
,, Sed nunc et auctoritatis, et facultatis satis jam habeo,
,, Ergo ex hoc loco ad vos verba facere debeo.

Propositio praecedit, probatque suos in privatorum periculis insumptos labores aeque placuisse Populo, ab honoribus sibi eam ob caussam delatis.

b) *Nam cum*) Assumptio.

antea per aetatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem; statueremque, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus 1) transmittendum putavi. Ita neque hic locus vacuus umquam fuit ab iis, qui vestram caussam defenderent, et meus labor in privatorum periculis caste, integreque versatus, ex vestro Judicio fructum est amplissimum consequutus. Nam cum propter dilationem comitiorum 2) ter Praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, facile intellexi, Quirites, et quid de me judicaretis, et quid aliis praescriberetis. Nunc cum et auctoritatis in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandis esse voluistis 3): et ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forensi usu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre: certe, et si quid auctoritatis in me est, ea apud eos utar, qui eam mihi dederunt: et si quid etiam dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo judicio tribuendum esse censuerunt. Atque illud a)

1) *Omne meum tempus amicorum temporibus) Tempora*, negotia, pericula, necessitates, ut vulgus loquitur, significant. Ut libr. de Offic. II. cap. 1. *Tantum erat Philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum, et Reipublicae temporibus*: id est, negotiis, necessitatibus. *Idem.*

2) *Propter dilationem comitiorum)* Differebantur plerumque propter obnuntiationes. Nam si, dum comitia haberentur, augur aliquis de caelo servasset, magistratus obnuntiare poterat, et comitia in alium diem differre. Differebantur praeterea per Tribunorum intercessionem. Has autem obnuntiationes, dilationesque comitiorum, candidatorum scilicet gratia faciebant: eum aliqui sibi paratam repulsam videbant. *Idem.*

3) *Quantum vos honoribus mandandis esse voluistis)* Hoc est, quantum mihi (*auctoritatis* scilicet) esse voluistis, in eo, quod honores mihi mandavistis, vel, dum honores mihi mandatis. *Fabritius.*

ANALYSIS.

a) *Atque illud) Attentos* fecit a rei magnitudine, cum de Pompeji virtutibus sermo esset, Arist. l. 3. c. 14. 1. 104

in primis mihi laetandum jure esse video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, caussa talis oblata est, in qua oratio deesse nemini potest. Dicendum est enim de Cn. Pompeji singulari, eximiaque virtute: hujus autem orationis difficilius est exitum, quam principium invenire. Ita mihi non tam copia, quam modus in dicendo quaerendus est.

NARRATIO.

II. Atque ut a) inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis caussa ducitur: bellum grave, et periculosum vestris vectigalibus, atque sociis, a duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate, et Tigrane 1): quorum alter relictus 2), alter lacessitus, occasionem sibi ad occupandam Asiam 3) oblatam esse arbitratur. Equitibus Romanis, honestissimis viris, afferuntur ex Asia quotidie literae, quorum magnae res aguntur, in vestris vectigalibus exercendis 4) occupatae: qui ad me pro necessitudine, quae mihi

1) *Mithridate, et Tigrane*) Altero Ponti, altero Armeniae rege, et superioris socero, ut Appianus: genero, ut Plutarchus scribit. *Hotom.*

2) *Quorum alter relictus*) Lucullus Mithridatem persequutus, a militibus desertus est: qui, cum nihil propius esset, quam ut Rex caperetur, effusis de ipsius Regis sententia thesauris, et pecuniis omnibus, in eas sese, relicto Rege, projecerunt. Ita Rex in Armeniam ad socerum Tigranem profugit. *Idem.*

3) *Ad occupandam Asiam*) Asia, anno Urbis 620. Attali testamento, Populum Romanum instituentis haeredem sui regni, Provincia est Romanorum facta. *Graev.*

4) *In vestris vestigalibus exercendis*) Quid est *exerceri vectigalia*? decumas ab aratoribus exigere, scripturam a pecuasiis, portorium a mercatoribus. Haec enim Populi Romani vectigalia. *Hotom.*

ANALYSIS.

a) *Atque ut*) *Narratio* brevis est, qua exponit a duobus potentissimis Regibus bellum inferri Populo R. et ad illud unum Pompejum deposci.

est cum illo ordine 1), caussam Reipublicae, periculaque rerum suarum detulerunt: Bithyniae, quae nunc vestra Provincia est 2) vicos exustos esse complures: regnum Ariobarzanis 3), quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate: Lucullum, magnis rebus gestis, ab eo bello discedere: huic qui succurrerit 4), non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum: unum ab omnibus sociis, et civibus ad id bellum imperatorem deposci, atque exspeti: eumdem hunc unum ab hostibus metui, praeterea neminem.

Caussa quae sit, videtis: nunc, quid agendum sit, considerate. Primum mihi a) videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum.

CONTENTIONIS I. PARS.

Genus est b) enim ejusmodi, quod maxime vestros

1) *Pro necessitudine, quae mihi est cum illo ordine*) Plinius XXXIII. 8. M. *Cicero demum stabilivit equestre nomen in Consulatu suo, ei senatum concilians, ex ea se ordine profectum esse celebrans, et ejus vires peculiari popularitate quaerens*. Idem. Vide pro Rabirio Post.

2) *Bithyniae quae nunc vestra Provincia est)* Nicomedes cognomento Philopator, Nicomedis filius, qui patre Prusia necato, Bithyniae regnum occuparat, regno a Mithridate pulsus, a Sylla restitutus est. Hac de caussa paucis post annis: hoc est, Octavio, et Cotta Conss. moriens, Populum Romanum regni sui haeredem fecit, regnumque ejus in Provinciae formam redactum est. Eutrop. App. Fior. *Idem.*

3) *Regnum Ariobarzanis*) Cappadociam, ex qua ipsum bis antea pulsum, et his a Romanis restitutum Mithridates, Lucullo Senatu revocato, tertio dejecit: et tamdiu eo regno potitus est, dum Pompejus ipso, et Tigrane devictis. Ariobarzanem tertio loco restituit. *Idem.*

4) *Huic qui succurrerit)* Modius, *epist.* XCVII. *Narant.* testatur in Colonicusi se reperisse *qui successerit*: id et ego reperio in Erfurt., nec non in anonymo; quod procul dubio praeferendum *succurrerit. Succurrere bello* a Latinorum consuetudine remotum est. *Graevius.*

ANALYSIS.

a) *Primum mihi*) *Contentionis* partitio in tria membra. *Genus est)* Genus belli pertractat *a Caussis finalibus*, hoc modo:

animos excitare, atque inflammare debet: in quo agitur Populi Romani gloria, quae vobis a majoribus, cum magna in rebus omnibus, tum summa in re militari tradita est: agitur salus sociorum, atque amicorum, pro qua multa majores vestri magna, et gravia bella gesserunt: aguntur certissima Populi Romani vectigalia, et maxima, quibus amissis, et pacis ornamenta, et subsidia belli requiretis: aguntur bona multorum civium, quibus est a vobis, et ipsorum, et Reipublicae caussa consulendum.

III. Et quoniam a) semper appetentes gloriae praeter ceteras gentes, atque avidi laudis fuistis, delenda vobis est b) illa macula, Mithridatico bello superiore 1) suscepta: quae penitus jam insedit, at-

1) *Mithridatico bello superiore*) Quod instauratum est Q. Pompejo, L. Sylla Coss. Nam initio ejus belli Mithridates Q. Oppium, ut Florus appellat, *Proconsulem*; ut Appianus, cui potius assentior, *Propraetorem*, coepit et in vincula conjecit; Manium Attilium asino insidente Pergamum usque deduci jussit, praeeunt praecone, et proclamante adesse Manium Attilium, eique ut Pergamum venit, aurum liquefactum in os infundi jussit: Praefectis deinde Asiae universis mandavit, ut intra diem trigesimum Romanos, et Italos omnes ad unum, viros, muliere, pueros, qui in Asia essent, trucidarent, et necatos ne sepelirent, sed eorum corpora feris objicerent: ut auctor est Appianus. Occisa autem civium Romanorum centum quinquaginta millia Plutarchus, in vita Sillae scribit: Val. Max. octoginta millia. *Hotomanus*.

ANALYSIS.

„ Bellum illud suscipiendum est, in quo agitur gloria,
„ salus, vectigalia, et civium bona.
„ Sed in hoc bello Mithridatico quatuor illa aguntur;
„ Ergo suscipiendum a Vobis est.

a) ***Et quoniam Assumptionis)*** primum membrum de gloria est hujusmodi.

„ Turpe est Romanis non ulcisci maximas injurias ab
„ hoste acceptas;
„ Sed maximas a Mithridate injurias accepistis,
„ Ergo vobis turpe est eas non ulcisci, adeoque agitur
„ vestra gloria.

b) *Delenda vobis est) Assumptionis* hujus approbatio ***Ab Adjunctis***, ab injuriae magnitudine.

que inveteravit in Populi Romani nomine: quod is, qui in uno die tota Asia, tot in Civitatibus, uno nuntio, atque una literarum significatione cives Romanos necandos, trucidandosque denotavit, non modo adhuc poenam nullam, suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum jam tertium, et vicesimum regnat: et ita regnat, ut se non Ponto, neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere e patrio regno, atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiae luce versari. Etenim a) adhuc ita vestri cum illo Rege contenderunt Imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam reportarint. Triumphavit L. Sylla, triumphavit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri, et summi imperatores: sed ita triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret. Verumtamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt: venia danda quod reliquerunt: propterea quod ab eo bello Syllam 1) in Italiam Respublica, Murenam Sylla revocavit 2).

IV. Mithridates autem omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit: qui posteaquam maximas aedificasset, ornassetque classes; exercitusque permagnos, quibuscumque ex gentibus potuisset, comparasset, et se Bosphoranis, finitimis suis, bellum inferre simulasset: usque in Hispaniam legatos Ecbatanis misit ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus: ut, cum

1) *Syllam... Resp.*) Oppressa a Mario, et Cinna, et Carbone. *Idem.*

2) *Murenam Sylla revocavit*) Propter pacem, quam ipse cum Mithridate fecerat: nam ille in Asia legatus a Sylla relictus cum duabus legionibus, ut Asiae negotia constitueret, triumphi cupiditate incensus Regi bellum facere non desistebat, usquedum revocatus est. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Etenim*) Respondet cuidam tacitae *Prolepsi* de toties victo Mithridate a Sylla, Murena, et Lucullo; ostenditque imperfectam fuisse semper victoriam, hoste bellum serius renovante.

duobus in locis disjunctissimis, maximeque diversis, uno consilio, a binis hostium copiis 1) bellum terra, marique gereretur, vos ancipiti contentione distracti, de imperio 2) dimicaretis.

Sed tamen alterius partis periculum, Sertorianae, atque Hispaniensis, quae multo plus firmamenti, ac roboris habebat, Cn. Pompeji divino consilio, ac singulari virtute depulsunt est: in altera parte ita res a L. Lucullo, summo viro, est administrata, ut initia illa gestarum rerum 3) magna, atque praeclara, non felicitati ejus, sed virtuti: haec autem extrema 4), quae nuper acciderunt, non culpae, sed fortunae tribuenda esse videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco, et ita dicam, Quirites, ut neque vera laus, ei detracta oratione nostra, neque falsa, afficta esse videatur. De vestri a) imperii dignitate, atque gloria, quoniam is est exorsus orationis meae, videte, quem vobis animum suscipiendum putetis.

1) *Uno consilio, a binis hostium copiis)* Sertorii enim copias cum suis conjuncturum se putabat, ut scribit hic ipse in Mureniana, cap. 15. *Idem.*

2) *De imperio)* Id est, non de aliqua imperii parte, sed in totius imperii certamen, et discrimen deveniretis; et *ancipiti*; quoniam utrinque bellum inferebatur, ab Asia scilicet, et Hispania. *Idem.*

3) *Ut initia illa gestarum rerum)* Mithridatem enim praelio fudit in Ponto; ut ille in extremam Armeniam profugerit ad Tigranem; quorum utrumque postea uno consilio, unius copiis in se invadentem repulit, ac profligavit. *Idem.*

4) *Haec autem extrema)* Clades accepta primum a Fabio, deinde a L. Triario; Mithridatis reditus in Pontum, et magnam sui regni partem: multarum nationum contracta belli societas cum Tigrane, et Mithridate adversus Populum Rom. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *De vestri) Propositionis* approbatio *a Conparatione minorum.*

V. Majores vestri saepe, mercatoribus, ac naviculatoribus injuriosius tractatis 1), bella gesserunt: vos tot civium Romanorum millibus, uno nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati superbius 2), Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen, extinctum esse voluerunt: vos eum Regem inultum esse patiemini, qui legatum Populi Romani, consularem, vinculis, ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium Romanorum imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi persequuti sunt: vos Legatum Populi Romani, omni supplicio interfectum, inultum relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere; sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri, et conservare non posse.

Quid, quod a) salus sociorum summum in periculum, ac discrimen vocatur? Regno exspulsus est Ariobarzanes Rex, socius Populi Romani, atque amicus: imminent duo Reges toti Asiae non solum vobis inimicissimi, sed etiam vestris sociis, atque amicis: civitates autem omnes, cuncta Asia, atque Graecia vestrum auxilium exprecare, propter periculi

1) *Injuriosius tractatis)* Leviter offensis. Nam, *injuriosius*, minus est, quam *injuriose*. Manutius.

2) *Appellati superbius)* Sordes in eos de tectis injectas, ait Strabo pulsatos, Livius, et Asconius. Cicero neutrum dicit, sed *appellati superbius*, ut oratorie rem minuat: quo magis Populus Romanus in Mithridatem incendatur, qui Legatum consularem, vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necaverat. Legatorum autem, item ut tribunorum Plebis sacrosancta corpora putabantur. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Quid, quod)* Alterum *Assumptionis* membrum de salute sociorum ita probat a sufficienti *Distributione:*

„ Ariobarzanes a Mithridate pulsus est regno, et reli-
„ qui omnes idem timent;

„ Ergo de salute Sociorum in hoc bello agitur;

„ Ergo pro salute Sociorum bellum hoc suscipere de-
„ betis.

quanto vos studio convenit, injuriis provocatos, sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere, praesertim a) cum de vestris maximis vectigalibus agatur? Nam ceterarum b) Provinciarum vectigalia, Quirites, tanta sunt, ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus: Asia vero tam opima est, et fertilis, ut et ubertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis, et multitudine earum rerum, quae exsportantur, facile omnibus terris antecellat. Itaque c) haec vobis Provincia, Quirites, si et belli utilitatem, et pacis dignitatem sustinere vultis, non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis est defendenda.

Nam ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur. At in vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem. Nam cum hostium copiae non longe absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest 1). Quare saepe totius anni fructus uno rumore periculi, atque uno belli terrore amittitur.

1) *Neque ex scriptura vectigal conservari potest*) *Ex scriptura*, id est, ex publicis pascuis. *Scripturarius ager*, ut scribit Festus, *in quo ut pecora pascantur, certum aes est, quod publicanus scribendo conficit rationem cum pastore*. Hotoman.

ANALYSIS.

a) *Praesertim*) Tertium membrum de Vectigalibus sic pertractat *a Comparatione:*

„ Si qua vectigalia tueri debetis, maxime quae habentur „ ex Asia.

„ Sed haec amiseritis, nisi bellum cum Mithridate susci„ piatis,

„ Ergo bellum illud est suscipiendum.

b) *Nam ceterarum*) *Propositionis* approbatio.

c) *Itaque Assumptio*; confirmatur autem ex eo, quod magnus erat in Asia timor belli Mithridatici.

Quo tandem animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia nobis pensitant, aut eos, qui exercent, atque exigunt. cum duo Reges cum maximis copiis prope adsint? cum una excursio equitatus perbrevi tempore totius anni vectigal auferre possit? cum publicani familias maximas, quas in salinis habent, quas in agris, quas in portubus, atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur? Putatisne vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructuosi sunt 1) conservaveritis, non solum (ut antea dixi) calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos?

VII. Ac ne illud a) quidem vobis negligendum est, quod mihi ego extremum proposueram, cum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona civium Romanorum pertinet: quorum vobis pro vestra sapientia, Quirites, habenda est ratio diligenter. Nam et publicani, homines et honestissimi, et ornatissimi, suas rationes, et copias in illam Provinciam contulerunt: quorum ipsorum per se res, et fortunae curae vobis esse debent. Etenim si vectigalia, nervos esse Reipublicae semper duximus: eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum recte esse dicemus.

Deinde ceteris ex ordinibus homines gnavi, et industrii partim in Asia negotiantur, quibus vos absentibus consulere debetis: partim suas, et suorum in ea Provincia pecunias magnas collocatas habent. Erit igitur humanitatis vestrae, magnum eorum ci-

1) *Qui vobis fructuosi sunt)* Fabricius *fructus*. At enim nostri omnes stant a vulgato. Grut. *Fructui esse* Latinis dicuntur, quae fructum nobis praestant. Qui interpolarunt hunc locum, priscae elegantiae istius ignorantia pro *fructui* tritius, et sibi notius *fructuosi* supposuerunt. *Graev.*

ANALYSIS.

a) *Ac ne illud)* Quartum membrum ultimo attingit de bonis Civium, probatque *per Distributionem* Publicanorum et reliquorum Ordinum, adeoque Reip.

vium numerum calamitate prohibere: sapientiae, videre, multorum civium calamitatem a Republica sejunctam esse non posse. Etenim illud a) primum parvi refert 1), vos publicanis amissa vectigalia postea victoria recuperare. Neque idem iisdem redimendi facultas erit, propter calamitatem, neque aliis voluntas, propter timorem.

Deinde b) quod nos c) eadem Asia, atque idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit, id quidem certe calamitate docti memoria retinere debemus. Nam tum, cum in Asia res magnas permulti amiserunt, scimus Romae, solutione impedita, fidem concidisse 2). Non enim possunt una in Civitate multi rem, atque fortunas amittere, ut non plures secum in eamdem calamitatem trahant. A quo periculo prohibete Rempublicam et mihi credite, id quod ipsi videtis. Haec fides, atque haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro versatur, implicita est cum illis pecuniis Asiaticis, et cohaeret. Ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefactata motu concidant. Quare videte d), num dubitandum vobis

1) *Etenim illud primum parve refert)* Occurrit tacitae cogitationi; posset enim aliquis dicere: Si vectigalia nunc amittentur, victoria tamen postea recuperabuntur. Parvi, inquit, hoc refert; et cur parvi referat, statim caussam subjungit. *Manut.*

2) *Fidem concidisse)* *Fidei* anceps est, ambiguumque vocabulum, tam enim ad eum qui fidem habet refertur, nimirum argentarium, quam ad eum qui fidem servat, pecuniamque dissolvit. *Hotomanus.*

ANALYSIS.

a) *Etenim illud) Prolepsi* respondent *a Caussis*, negatque posse recuperari per victoriam ea bona, quae calamitas ademerit

b) *Deinde)* Tandem sic arguit *a Consequentibus.*

„ Cavendum est, ne fides Romae concidat;

„ Sed concidet, nisi bona Civium, quae sunt in A-
„ sia, serventur;

„ Ergo tueri ea debemus, adeoque bellum suscipien-
„ dum.

c) *Quos nos) Assumptio* approbata *a Simili exemplo.*

d) *Quare videte) Complexio* universalis Syllogismi.

sit, omni studio ad id bellum incumbere, in quo nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima fortunae plurimorum civium cum Republica defenduntur.

CONTENTIONIS II. PARS.

VIII. Quoniam a) de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Potest enim hoc dici; belli genus esse ita necessarium, ut sit gerendum: non esse ita magnum, ut sit pertimescendum. In quo maxime laborandum est, ne forte a vobis quae diligentissime providenda sunt, contemnenda esse videantur.

Atque, ut omnes intelligant, me L. Lucullo tantum impertiri laudis, quantum forti viro, et sapientissimo homini, et magno imperatori debeatur: dico, ejus adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas atque, instructas fuisse: Urbemque Asiae clarissimam, nobisque amicissimam, Cyzicenorum, obsessam esse ab ipso Rege maxima multitudine, et oppugnatam vehementissime, quam L. Lucullus virtute, assiduitate, consilio, summis obsidionis periculis liberavit: ab eodem imperatore classem magnam et ornatam, quae ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur, superatam esse, atque depressam: magnas hostium praeterea copias multis proeliis esse deletas: patefactumque nostris legionibus esse Pontum, qui ante Populo Romano ex omni aditu clausus esset: Sinopen, atque Amisum, quibus in oppidis erant domicilia Regis, omnibus rebus ornata, atque referta, ceterasque Urbes Ponti, et Cappa-

ANALYSIS.

a) *Quoniam)* Transit a necessitate belli gerendi ad ejusdem magnitudinem; praemittit autem *Prolepsin*, quasi non sit ille hostis timendus, de quo tam multi triumphaverant.

dociae permultas, uno aditu, adventu esse captas: Regem spoliatum regno patrio, atque avito: ad alios se Reges, atque alias gentes supplicem contulisse: atque haec omnia, salvis Populi Romani sociis, atque integris vectigalibus, esse gesta, satis opinor hoc esse; atque ita, Quirites, ut hoc intelligatis, a nullo istorum, qui huic obtrectant legi, atque caussae, L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatum.

IV. Requiretur a) fortasse nunc, quemadmodum, cum haec ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. Cognoscite, Quirites: non enim hoc sine caussa quaeri videtur. Primum b) ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur: quam praedicant in fuga, fratris sui membra in iis locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa, moerorque patrius, celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri, atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium, quas et a majoribus acceperat, et ipse bello superiore ex tota Asia direptas, in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Haec dum nostri colligunt omnia diligentius, Rex ipse manibus effugit. Ita illum in persequendi studio moeror, hos laetitia retardavit.

Hunc in illo c) timore, et fuga Tigranes, Rex Ar-

a) *Requiretur*) Respondet igitur sic primum *a Simili*;
„ Sic Mithridates ex Ponto profugit, ut quondam Me-
„ dea;
„ Sed haec quasi victrix profugit;
„ Ergo et ille quasi victor:

b) *Primum*) *Propositio*, quam confirmat *per comparationem Similium*; et satis manifesta est ex fabulis Medeae immanitas in fratrem Absyrtum, et Patrem Aectam.

c) *Hunc illo*) Deinde respondet *ab Adjunctis*:
„ Illud est bellum periculosum, quod contra Reges,
„ et nationes multas novus imperator suscipit cum
„ paucis Copiis;
„ Sed tale est bellum Mithridaticum;
„ Ergo periculosum.

in enius, recepit: diffidentemque rebus suis confirmavit, et afflictum erexit, perditumque recreavit. Cujus in regnum a) posteaquam L. Lucullus cum exercitu venit: plures etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatae sunt. Erat enim metus injectus iis nationibus, quas numquam Populus Romanus, neque lacessendas bello, neque tentandas putavit. Erat enim alia gravis, atque vehemens opinio, quae per animos gentium barbararum pervaserat, fani 1) locupletissimi, et religiosissimi diripiendi caussa in eas oras nostrum exercitum esse adductum. Ita nationes multae, atque magnae novo quodam terrore, ac metu concitabantur. Noster autem exercitus, etsi urbem ex Tigranis regno coeperat 2), et proeliis usus erat secundis, tamen nimia longinquitate locorum, ac desiderio suorum commovebatur.

Hic jam plura non dicam. Fuit enim illud extremum, ut ex iis locis a militibus nostris reditus magis maturus, quam processio longior quaereretur. Mithridates b) autem et suam manum jam confirmarat, et eorum, qui se ex ejus regno collegerant, et magnis adventitiis multorum Regum, et nationum

1) *Fani)* Comana, Bellonae templum significat, cujus Sacerdos majestate, imperio, potentia secundus a Rege, consensu illius gentis habebatur, ut ait Hirtius de bello Alexandrino, Appianus in fine Mithridatici: quod Cicero etiam ostendit epist. ad Catonem. *Manutius.*

2) *Etsi urbem ex Tigranis regno ceperat)* Tigranes ex suo nomine *Tigranocertam* appellarat; in quam copiosissimos quoque, et locupletissimos totius imperii sui cives quasi in coloniam deduxerat: quam omnes, ut regi gratificarentur, certatim donis, ac muneribus, pretiosissimisque quibusque rebus ornarant, atque instruxerant: in qua (inquit Plutarchus) praeter alias opes immensas, talentorum octo millia Lucullum reperiisse constat. *Hotomanus.*

ANALYSIS.

a) *Cujus in regnum)* De gentibus pro Mithridate pugnaturis; probatque *a Caussa Efficiente,* nempe ex metu, quod confirmatur a nimium maturo reditu Romani exercitus in suas Provincias.

b) *Mithridates)* De Regibus Mithridate, ac Tigrane, juxta Arist. l. 2. c. 8. t. 91. et idem *ab Effectibus*, a victoria nimirum Mithridatis confirmat.

copiis juvabatur. Hoc jam fere sic fieri solere accepimus, ut Regum afflictae fortunae facile multorum opes alliciant ad misericordiam maximeque eorum, qui aut Reges sunt, aut vivunt in regno; quod regale iis nomen magnum, et sanctum esse videatur. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis numquam est ausus optare. Nam cum se in regnum recepisset suum, non fuit eo contentus, quod ei praeter spem acciderat, ut illam, posteaquam pulsus erat terram umquam attingeret: sed in exercitum vestrum 1), clarum, atque victorem, impetum fecit.

Sinite hoc loco, Quirites, (sicut Poetae solent, qui res Romanas scribunt) praeterire me nostram calamitatem: quae tanta fuit, ut eam ad aures L. Luculli non ex praelio nuntius, sed ex sermone rumor afferret. Hic in ipso a) bello, gravissimaque belli offensione, L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro jussu coactus, quod imperii diuturnitate modum statuendum veteri exemplo putavistis, partem militum, qui jam stipendiis confectis 2) erant, dimisit, partem Glabrioni tradidit. Multa praetereo consulto: sed ea vos conjectura perspicitis, quantum illud bellum futurum putetis, quod conjungant Reges potentissimi, renovent agitatae nationes, suscipiant integrae 3) gentes novus imperator vester accipiat, vetere pulsu exercitu.

1) *In exercitum vestrum*) Primum in L. Flaccum, quem in Ponto Lucullus reliquerat; deinde in C. Triarium Luculli legatum, qui in Flacci locum cum exercitu novo missus est. Nam hic Lucullum adventare sentiens, triumphi cupiditate impulsus praelium cum Mithridate commisit: quo in praelio caesi sunt Tribuni 24. centuriones 150. civium supra 7000. *Hotomanus.*

2) *Stipendiis confectis*) Cum annos jam decem militassent. *Manutius:*

3) *Integrae*) Neque lacessitae bello, neque tentatae. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Hic in ipso*) *Assumptionis* secunda pars de novo Imperatore, et diminuto exercitu.

CONTENTIONIS III. PARS.

X. Satis mihi a) multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset, genere ipso necessarium, magnitudine periculosum. Restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus praeficiendo, dicendum esse videatur.

Utinam b), Quirites, virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberetis, ut haec vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus, ac tanto bello praeficiendum putaretis! Nunc vero cum sit unus Cn. Pompejus, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superavit; quae res est, qui quae cujusquam animum in hac caussa dubium facere possit? Ego enim sic existimo, in summo imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.

Quis igitur c) hoc homine scientior umquam aut fuit, aut esse debuit? qui e ludo, atque pueritiae disciplina, bello maximo, atque acerrimis hostibus, ad Patris exercitum 1), atque in militiae disciplinam

1) *Ad patris exercitum*) Cn. Pompeji Strabonis, Catonis in Consulatu collegae. Is bello Italico Proconsul, cum satis feliciter Rempublicam gessisset, anno insequenti

ANALYSIS.

a) *Satis mihi*) Tertiam partem de summo imperatore Pompejo sic pertractat:
„ Summus Imperator huic bello praeficiendus est;
„ Sed unus Pompejus talis est;
„ Ergo Pompejus huic bello est praeficiendus.

b) *Utinam*) *Assumptio*, quam hac ratione probat *a Caussis*:
„ Ille est summus Imperator, in quo est scientia rei
„ militaris, virtus, auctoritas, et felicitas;
„ In uno Pompejo haec omnia sunt;
„ Ergo unus Pompejus summus est Imperator.

c) *Quis igitur*) *Assumptionis* prima pars de sententia rei militaris, quae confirmatur tum ab experientia Pompeji in rebus bellicis, tum a rebus praeclare gestis. Q. Pompejum Syllae in Consulatu collegam, qui ad capien-

profectus est? qui extrema pueritia miles fuit summi Imperatoris 1) ineunte adolescentia maximi ipse exercitus Imperator 2)? qui saepius cum hoste conflixit 3), quam quisquam cum inimico concertavit? plura bella gessit, quam ceteri legerunt? plures Provincias confecit, quam alii concupiverunt? cujus adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis praeceptis, sed suis imperiis: non offensionibus belli, sed victoriis: non stipendiis; sed triumphis est erudita? Quod denique genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna Reipublicae? Civile 4), Africanum 5), Transalpinum 6), Hispaniense, mixtum ex Civitatis 7), atque ex bellicosissimis nationibus, ser-

dum jussu Populi Cn. Pompejo exercitum profectus erat, in Tribunali interficiendum curavit. Itaque in Italia Cinnano bello exercitum habuit, in quo exercitu hunc quoque Cn. Pompejum ipsius filium adolescentem fuisse Plutarchus auctor est. *Hotomanus.*

1) *Miles fuit summi Imperatoris)* Patris ejus, non Syllae. Dux enim, non miles, ad Syllam profectus est. *Manut.*

2) *Maximi ipse exercitus Imperator)* Plutarchus, et Florus, eum in agro Piceno privatum hominem, annos tres et viginti natum, voluntarium exercitum conscripsisse tradunt, et cum tribus legionibus ad L. Syllam venisse, ad eumque se nobilitatem omnem contulisse: ut deserta urbe ad castra veniretur, complures in itinere Italiae Civitates sollicitasse: Scipionem, et Carbonem adversae partis duces praelio lacessisse: mox ad Sillam cum exercitu instructissimo, et paratissimo profectum, *Imperatorem* ab ipso Sylla salutatum: statimque in Celtiberiam missum esse. *Hotomanus.*

3) *Saepius cum hoste conflixit) Hostes* publicae tantum dicuntur, scilicet quibus bellum Populi Romani jussu a collegio Fecialium indictum est: *Inimici* privatim; a quibus animo alienati, et disjuncti sumus. *Idem.*

4) *Civile)* Marianum. *Manutius.*

5) *Africanum)* Quo Cn. Domitium, et Hiarbam devicit. *Idem.*

6) *Transalpinum)* Gallicum: quod quale fuerit, paullo post ostenditur. *Idem.*

7) *Mistum ex Civitatibus) Civitatibus* hic ferri non posse videtur. Nam si per *Civitates* intelligit Hispanicas, et Lusitanicas Civitates, cur dicit illud bellum mistum fuisse ex Civitatibus, bellicosissimis gentibus, cum hae

vile 1), navale bellum. Varia, et diversa genera et bellorum, hostium, non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta, nullam rem esse declarant, in usu militari positam, quae hujus viri scientiam fugere possit.

XI. Jam vero a) virtuti Cn. Pompeji, quae potest par oratio inveniri? Quid est quod quisquam aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum possit afferre? Neque enim b) illae sunt solae virtutes imperatoriae, quae vulgo existimantur, labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: quae tanta c) sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis Imperatoribus, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt.

Testis est Italia 2), quam ille ipse victor, L. Sylla, hujus virtute, et [illegible] liberatam.

sive cum hae Civitates, et hae gentes essent unius ejusdemque regionis, et populi? Credo Ciceronem scripsisse *mistum ex civibus*, *atque ex bellicosissimis gentibus*. Sertorianus enim exercitus conflatus erat ex multis civibus Romanis, et ex Hispanis, et Lusitanis. *Graevius.*

1) *Servile*) A Spartaco gladiatore excitatum: cujus tamen confecti laus ad M. Crassum proprie pertinet. Et hic Pompejo gratificatur, Crassi laudem cum eo communicans. *Manutius.*

2) *Testis est Italia*) Italico bello extremo, civile exortum est, quo tempore divisa Italia diversas partes secuta est. In eo bello jam supra dictum est Cn. Pompejum voluntarium exercitum conscripsisse, et prospere rem gessisse. *Hot*

ANALYSIS.

a *Jam vero*) Virtutes, quae erat *Assumptionis* secunda pars, dividit in eas, quae ad bella, et in eas, quae ad mores pertinent. Quoad primas hoc modo:

„ In eo est Virtus militaris, in quo est labor, fortitu-
„ do, industria, celeritas, consilium,
„ Haec omnia summa sunt in Pompejo,
„ Ergo summa in eo est Virtus militaris.

b) *Neque enim*) *Propositio.*

c) *Quae tanta*) *Assumptionis* approbatio *ab Effectibus*; praecipue vero amplificat bellum Piraticum, quod et maxime periculosum erat, et summa cum celeritate absolutum est.

Testis est Sicilia 1), quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii, explicavit. Testis est Africa 2), quae magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit. Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter 3) Gallorum internecione patefactum est. Testis est Hispania 4), quae saepissime plurimos hostes ab hoc superatos, prostratosque conspexit. Testis est iterum et saepius Italia, quae cum servili bello tetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente exspetivit: quod bellum exspectatione Pompeji attenuatum, atque imminutum est; adventu sublatum, ac sepultum. Testes vero jam omnes orae, atque omnes exterae gentes, ac nationes: denique maria omnia, tum universa, tum in singulis oris omnes sinus, atque portus. Quis enim toto mari locus per hos annos, aut tam firmum habuit praesidium, ut tutus esset? aut tam fuit abditus, ut lateret? Quis navigavit, qui non se aut mortis, aut servitutis periculo committeret, cum aut hieme, aut referto praedonum mari navigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus 5) tam late divisum, at-

1) ***Testis est Sicilia)*** **Quam Perpenna, et Carbo, ex Italia pulsi, vi occuparant, ea spe, ut hoc propugnaculo adversus Syllam uterentur. Ergo Senatus consultum factum est: ut Pompejus eo cum imperio proficiseeretur. Cujus audito adventu Perpenna profugit, at Carbo captus: et a Pompejo damnatus, interfectus est. *Idem.***

2) ***Testis est Africa)*** **In quam postea missus est adversus Cn. Domitium proscriptum, et Hiarbam Numidiae Regem, bellum adversus Syllam molientes, quos praelio victos interemit. Quo bello intra dies XL. confecto, Romam rediit, et quatuor ac viginti annos natus, adhuc eques Romanus, quod quidem nemini antea contigerat, ex Africa triumphavit, Magnusque a L. Sylla appellatus est. *Hotomanus.***

3) ***Per quam legionibus nostris in Hispaniam iter)*** **Inter Padi et Rhodani fontes, Romanis opportunus, quam quod Annibal aperuerat. *Manut.***

4) ***Testis est Hispania)*** **In qua Sertorium octavum jam annum cum Populo Romano bellum gerentem devicit. *Hotom.***

5) ***Tam turpe, tam vetus)*** **Nam Octavio, et Cinna Coss. coeptum est, ut ex Appiano intelligitur, qui Pro-**

que dispersum, quis umquam arbitraretur aut ab omnibus Imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno Imperatore confici posse? Quam Provinciam tenuistis a praedonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui praesidio, classibus vestris fuistis? quam multas existimatis insulas esse desertas? quam multas aut metu relictas, a praedonibus captas urbes esse sociorum?

XII. Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium Populi Romani longe a domo bellare, et propugnaculis imperiis sociorum fortunas, non sua tecta defendere. Sociis ego vestris mare clausum per hosce annos dicam fuisse cum exercitus nostri Brundusio 1) numquam, nisi summa hieme, transmiserint? Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar, cum legati Populi Romani redempti sint? Mercatoribus tutum mare non fuisse dicam, cum duodecim secures 2) in praedonum potestatem pervenerint? Cnidum, aut Colophonem, aut Samum, nobilissimas Urbes, innumerabilesque alias captas esse commemorem, cum vestros portus, atque eos portus, quibus vitam, et spiritum ducitis in praedonum fuisse potestatem sciatis? An vero ignoratis, portum Cajetae celeberrimum, atque plenissimum navium, inspectante Praetore, a praedonibus esse direptum? Ex Miseno autem, ejus ipsius

consule Sylla in Asiam misso, hoc bellum initium habuisse scribit. Confectum est autem hoc ipso anno, Lepido, et Tullo Coss. Vetus ergo, ab hinc annis videlicet tribus et viginti, exortis e Cilicia praedonibus. *Idem.*

1) *Brundusio)* Quare nominatim *Brundusio*? quia per hosce annos, quibus adversus piratas, et Mithridatem bellum gestum est, exercitus Populi Romani Brundusio transmittebant: Quae civitas est in Calabria, portu nobili, unde in Graeciam iter est. *Idem.*

2) *Duodecim secures)* Duos Praetores in Provinciam euntes. Nam senis fascibus in Provinciis Praetores utebantur, binis in urbe. *Manutius.*

3) *Vitam)* Propter ea, quae victus gratia in urbem assidue invehuntur. *Idem*

liberos, qui cum praedonibus antea ibi bellum gesserat, a praedonibus esse sublatos? Nam quid ego Ostiense incommodum, atque illam labem, atque ignominiam Reipublicae querar, cum, prope inspectantibus vobis, classis ea, cui Consul Populi Romani praepositus esset, a praedonibus capta, atque oppressa est? Proh Dii immortales! tantamne unius hominis incredibilis, ac divina virtus tam brevi tempore lucem afferre Reipublicae potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani ostium 1) praedonum navem esse audiatis? Atque haec qua celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen a me in dicendo praetereunda non sunt. Quis enim umquam aut obeundi negotii, aut consequendi quaestus studio tam brevi tempore tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter, Cn. Pompejo duce, belli impetus navigavit 2)? Qui nondum tempestivo ad navigandum mari Siciliam adiit, Africam exsploravit: inde Sardiniam cum classe venit: atque haec tria frumentaria subsidia Reipublicae firmissimis praesidiis, classibusque munivit. Inde, se cum in Italiam recepisset, duabus Hispaniis, et Gallia Cisalpina 3), praesidiis ac navibus confirmata, missis item in oram Illyrici maris, et in Achajam, omnemque Graeciam

1) *Intra Oceani ostium*) A freto Herculeo, unde, Oceanus in mediam terram influit. *Hotomanus.*

2) *Belli impetus navigavit*) Poetice, ut illud infra: *Venti tempestatesque obsecundarit*. Quibus in locis cum sensus tribuatur inanimis rebus, existit quidam orationis decor, et quaedam poetarum propria venustas. Oratori nonnumquam, praesertim in laudando, concessa. *Manutius.*

3) *Gallia Gisalpina)* Italiae parte, ab Alpibus ad Rubiconem flumen, quae Gallia dicta est ab iis Gallis, qui Tarquinio Prisco (ut Livius, V. 33. demonstrat) regnante, ducentis ante urbem captam annis, Alpes transgressi, mediam prope Italiam occuparunt. Hanc igitur Romani *Cisalpinam*, alteram vero, unde venerant, *Transalpinam* vocarunt. Caesar hanc *Ulteriorem*, illam *Citeriorem* perpetuo appellat. *Hotoman.*

navibus, Italiae duo maria 1) maximis classibus, firmissimisque praesidiis adornavit: ipse autem, ut a Brundusio profectus est, unde quinquagesimo die totam ad imperium Populi Romani Ciliciam adjunxit: omnes, qui ubique praedones fuerunt partim capti, interfecti sunt; partim unius hujus imperio, ac potestati se dediderunt. Idem Cretensibus, cum ad eum usque in Pamphyliam legatos, deprecatoresque misissent, spem deditionis non ademit, obsidesque imperavit. Ita tantum bellum; tam diuturnum, tam longe, lateque dispersum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.

XIII. Est haec a) divina, atque incredibilis virtus Imperatoris. Quid ceterae, quas paullo ante commemorare coeperam, quantae, atque quam multae sunt? Non enim solum bellandi virtus in summo, atque perfecto imperatore quaerenda est: sed multae sunt artes eximiae, hujus administrae, comitesque virtutis. Ac primum quanto innocentia debent esse Imperatores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia? quanta fide? quanta felicitate? quanto ingenio? quanta humanitate? Quae breviter, qualia sint in Cn. Pompejo, consideremus. Summa enim omnia sunt, Quirites, sed ea magis ex aliorum contentione 2), quam ipsa per sese cognosci, atque intelligi possunt.

Quem enim a) possumus Imperatorem aliquo in

1) *Duo maria*) Adriaticum, et Tyrrhenum. *Idem.*

2) *Contentione)* Comparatione. Nam *contendere*, interdum est comparare. *Manutius*. Vide Obs. i. 17.

ANALYSIS.

a) *Est haec)* Quoad morales Virtutes ita arguit.

„ In eo Imperatore est virtus moralis, in quo est Innocentia, Temperantia, Fides, Eloquentia, Humanitas;

„ Haec omnia summa sunt in Pompejo:

„ Ergo in Pompejo summa est Virtus moralis.

b) *Quem enim)* innocentiam amplificat *ab Exemplis Dissimilibus*; probat autem *effectibus*, quia exercitus Pompeji nullum damnum Sociis inferebat.

numero putare, cujus in exercitu veniant centuriatus 1), atque venierint? Quid hunc hominem magnum, aut amplum de Republica cogitare, qui pecuniam ex aerario depromptam ad bellum administrandum, aut propter cupiditatem Provinciae magistratibus diviserit 2), aut propter avaritiam Romae in quaestu reliquerit 3). Vestra admurmuratio facit. Quirites, ut agnoscere videamini, qui haec fecerint. Ego autem neminem nomino: quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri. Itaque propter hanc avaritiam Imperatorum, quantas calamitates, quocumque ventum sit, nostris exercitus ferant, quis ignorat? Itinera, quae per hosce annos in Italia per agros, atque oppida civium Romanorum nostri Imperatores fecerunt, recordamini. Tum facilius statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. Utrum plures arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis, hostium urbes, an hibernis, sociorum Civitates esse deletas. Neque enim potest exercitum is continere Imperator, qui se ipsum non continet: neque severus esse in judicando, qui alios in se severos esse Judices non vult.

Hic miramur, hunc hominem tantum excellere ceteris, cujus legiones sic in Asiam pervenerunt, ut non modo manus 4) tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam peccato nocuisse dicatur? Jam vero quemadmodum milites hibernent, quotidie sermones, ac literae perferuntur. Non modo, ut sumptum faciat in militem, nemini vis affertur: sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. Hiemis enim, non avaritiae, perfugium majores nostri in sociorum, atque amicorum tectis esse voluerunt.

1) *Centuriatus* Ordo militae fuit, quo centuriones meritis insignes ornabantur. *Idem.* Vide in Pison. 36.

2) *Magistratibus diviserit*) Quo diutius, ipsis concedentibus, administrare Provinciam posset. *Idem.*

3) *Romae in quaestu reliquerit*) Apud argentarios. *Hotomanus.*

4) *Non modo manus*) Non modo nihil rapuisse, sed ne pedem quidem ubi non licebat, posuisse dicatur. *Idem.*

XIV. Age vero a) ceteris in rebus qualis sit temperantia, considerate. Unde illam tantam celeritatem, et tam incredibilem cursum inventus 1) putatis? Non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quaedam gubernandi, aut venti aliqui novi, tam celeriter in ultimas terras pertulerunt. Sed hae res, quae ceteros remorari solent, non retardarunt: non avaritia ab instituto cursu ad predam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem. Postremo signa, et tabulas, ceteraque ornamenta Graecorum oppidorum, quae ceteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimavit. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompejum, sicut aliquem non ex hac Urbe missum, sed de caelo delapsum, intuentur: nunc denique incipiunt credere, fuisse homines Romanos hac quondam abstinentia: quod jam nationibus exteris incredibile, ac falso memoriae proditum videbatur. Nunc imperii nostri splendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt non sine caussa majores suos tum, cum hac temperantia magistratus habebamus, servire Populo Romano, quam imperare aliis, maluisse.

Jam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberae querimoniae de aliorum injuriis esse dicuntur; ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. Jam quantum con-

1) *Inventum)* Sensus: quanam arte tanta celeritas reperta est: quae res tantae celeritati caussam praebuit? Alii legunt, *initum*, non ita bene, nam *unde initus sit cursus*, quaerimus pro, ex quo loco coepit; quis currere: quae sententia huic loco non convenit. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Age vero)* Temperantiam summam esse in Pompejo ostendit pariter *ab Effectibus*, et omnium gentium testimonio, deinde reliquas etiam Virtutes persequitur.

silio, quantum dicendi gravitate, et copia valeat, in quo ipso inest quaedam dignitas imperatoria, vos, Quirites, hoc ipso in loco saepe cognostis. Fidem vero ejus inter socios quantum existimari putatis, quam hostes omnium gentium 1) sanctissimam judicarint? Humanitate jam tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem ejus pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. Et quisquam a) dubitabit, qui huic tantum bellum hoc transmittendum sit, qui ad omnia nostrae memoriae bella conficienda, divino quodam consilio, natus esse videatur?

XV. Et quoniam b) auctoritas multum in bellis quoque administrandis, atque imperio militari valet; certe nemini dubium est, quin ea re idem ille imperator plurimus possit. Vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socii de Imperatoribus vestris existiment, quis ignorat, dum sciamus, homines in tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famae, quam aliqua certa ratione commoveri? Quod igitur c) nomen umquam in Orbe terrarum clarius fuit? Cujus res gestae pares? De quo homine vos (id quod maxime facit auctoritatem) tanta, et tam praeclara Judicia fecistis?

1) *Hostes omnium gentium*) Piratae, qui cum omnibus gentibus bellum gerunt, praedam undecumque capientes. Itaque paullo post, *commune omnium gentium* bellum appellat. *Manutius.*

ANALYSIS.

a) *Et quisquam*) *Complexio* secundae partis *Assumptionis* universalis de summa Pompeji virtute.

b) *Et quoniam*) Tertia pars de Auctoritate sic tractatur:

,, Ille summus est Imperator: qui auctoritate maxi-
,, me valet,
,, Summa est in Pompejo auctoritas:
,, Ergo summus imperator, adeoque huic bello prefi-
,, ciendus.

c) *Quod igitur Assumptionis* approbatio *a Caussis* nam duae res Romano Imperatori auctoritatem conciliabant, praeclara gesta, ac de illo Populi judicia.

Anne vero ullam usquam esse oram tam desertam putatis, quo non illius diei fama pervaserit, cum universus Populus Romanus referto foro repletisque omnibus templis, ex quibus hic locus conspici potest, unum sibi ad commune omnium gentium bellum, Cn. Pompejum Imperatorem depoposcit? Itaque a), ut plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum hujus auctoritas valeat in bello, ab eodem Cn. Pompejo omnium rerum egregiarum exempla sumantur; qui quo die a vobis maritimo bello praepositus est Imperator, tanta repente vilitas annonae 1) ex summa inopia, et caritate rei frumentariae consequuta est, unius hominis spe, et nomine, quantam vix ex summa ubertate agrorum diuturna pax efficere potuisset.

Jam, accepta in Ponto calamitate, ex eo praelio, de quo vos paullo ante invitus admonui: cum socii pertimuissent; hostium opes animique crevissent; cum satis firmum praesidium Provincia non haberet; amisissetis Asiam, Quirites, nisi ad id ipsum temporis 2) divinitus Cn. Pompejum ad eas regiones fortuna Populi Romani attulisset. Hujus adventus et Mithridatem insolita inflammatum victoria continuit, et Tigranem magnis copiis minitantem Asiae retardavit. Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecerit? aut quam facile imperio, atque exercitu socios, et vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine, ac rumore defenderit?

1) *Tanta repente vilitas annonae*) Quippe mercatores simul ut Pompejum maritimo bello praepositum audierunt, confisi fore ut praedones ex maritimis loci profugerunt, et libera esset navigatio, magnum frumenti numerum Romam adduxerunt. Appian. Plutarch. *Hotomanus.*

2) *Nisi ad id ipsum temporis*) Hic veteris codicis Coloniensis; quem consuluit Modius, ut et Erfurtensis, quem ipse inspexi, scriptura elegantissima utraque manu est amplectenda.

ANALYSIS.

a) *Itaque*) Eadem *Assumptio* fuse confirmata *ab Effectibus.*

XVI. Age vero, illa res quantam declarat ejusdem hominis apud hostes Populi Romani auctoritatem, quod ex locis tam longinquis, tamque diversis, tam brevi tempore omnes una huic se dediderunt? Quod Cretensium legati, cum in eorum insula noster Imperator, exercitusque esset, ad Cn. Pompejum in ultimas prope terras venerunt, eique se omnes Cretensium Civitates dedere velle dixerunt? Quid? idem iste Mithridates, nonne ad eundem Cn. Pompejum, legatum usque in Hispaniam misit? eumque Pompejus legatum semper judicavit: ii, quibus semper erat molestum 1), ad eum potissimum esse missum 2), speculatorem, quam legatum judicari maluerunt. Potestis a) igitur jam constituere, Quirites, hanc auctoritatem, multis postea rebus gestis, magnisque vestris judiciis amplificatam, quantum apud illos Reges, quantum apud exteras nationes valituram esse existimetis.

Reliquum est b), ut de felicitate (quam praestare de se ipso nemo potest, meminisse, et commemorare de altero possumus) sicut aequum est homini de

Ad ipsum ejus temporis discrimen, hoc est illo ipso tempore, cum summa illius Provinciae res ageretur, cum amittenda Asia esset, aut servanda, *Graev.*

1). *Ii quibus semper erat molestum)* Illud *semper* aberat Basilicano Colon. quod tamen caeteri libri agnoscunt. Itaque emendandum putabat Gulielmius, *ii quibus per erat molestum*. Et amat hanc [illegible] hic noster ad Atticum, lib. 1. Epist. postrema. *Per mihi per inquam, gratum feceris, etc.* iterum lib. v. Epist. 10. et lib. x. Epist. 1. *Gruterus*, in Francii primo *semper* non legitur. Sed legitur in Erfurt. Non insuavis est hujus vocis repetitio. *Graevius.*

2) *Ad eum potissimum esse missum)* Cum ipse Quaestor tantum, alii qui idem bellum administrabant. Q. Metellus, M. Perpenna, Consulares essent. *Hotom.*

ANALYSIS.

a) *Potestis) Complexio* hujus approbationis.

b) *Reliquum est)* Quarta pars de felicitate, quae sic se habet:

potestate Deorum, timide, et pauca dicamus. Ego enim a) sic existimo: Maximo, Marcello, Scipioni 1), Mario, et ceteris magnis Imperatoribus, non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam, saepius imperia mandata, atque exercitus esse commissos. Fuit enim b) profecto quibusdam summis viris quaedam ad amplitudinem, et gloriam, et ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna. De hujus autem hominis felicitate, de quo nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut praeterita meminisse, reliqua sperare videamur, ne aut invisa Diis immortalibus oratio nostra, aut ingrata esse videatur.

Itaque non sum praedicaturus, Quirites, quantas ille res domi, militiaeque, terra, marique, quantaque felicitate gesserit: ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint: sed etiam venti, tempestatesque obsecundarint. Hoc brevissime dicam, neminem umquam tam impudentem fuisse, qui a Diis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas Dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt. Quod

1) *Maximo, Marcello, Scipioni)* Q. Fabio Maximo Cunctatori: M. Claudio Marcello, qui primus docuit Hannibalem posse vinci: P. Cornelio Scipioni, Pauli filio: hunc enim potius, quam superiorem, significari puto. *Manutius.*

ANALYSIS.

„ Is Imperator eligendus est, qui sit omnium felicis-„ simus;

„ Talis est Pompejus:

„ Ergo ille eligendus est Imperator contra Mitri-„ datem.

a) *Ego enim)* *Propositionis* approbatio *ab Exemplis* Fabii Maximi, Claudii Marcelli, Scipionis Aemiliani, et Marii, quibus ob felicitatem saepe extra ordinem Provinciae demandatae sunt.

b) *Fuit enim)* *Assumptio* illustrata *Comparatione*, et *Effectibus*.

ut illi a) proprium, ac perpetuum sit, Quirites, cum communis salutis, atque imperii, tum ipsius hominis caussa (sicuti facitis) velle, et optare debetis.

Quare b) cum et bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit: ita magnum, et accuratissime sit administrandum: et cum ei Imperatorem praeficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis a Diis immortalibus oblatum, et datum est, in Rempublicam conservandam, atque amplificandam conferatis?

XVII. Quod si c) Romae Cn. Pompejus privatus esset hoc tempore: tamen ad tantum bellum is erat deligendus, atque mittendus. Nunc, cum ad ceteras summas utilitates haec quoque opportunitas adjungatur, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent accipere statim possit: quid exspectamus? aut cur non, ducibus Diis immortalibus, eidem, qui cetera summa cum salute Reipublicae commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus?

ANALYSIS.

a) *Quod ut illi*) *Complexio* hujus *Assumptionis*, modeste tamen probata.

b) *Quare*) *Epilogus* totius *contentionis.*

c) *Quod si*) Ultimo utitur argumento *a Comparatione*, hoc pacto:

„ Multo aequius est, hoc bellum mandare obtinenti
„ Imperium, quam privato:

„ Sed mandandum hoc bellum esset Pompejo, licet
„ privatus esset:

„ Ergo multo magis, quod in Asia jam est cum im-
„ perio.

CONFUTATIO.

At enim a) vir clarissimus, amantissimus Reipublicae, vestris beneficiis amplissimis affectus, Q. Catulus; itemque summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus, Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt: quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse, et valere oportere confiteor; sed in hac caussa; tametsi cognoscitis auctoritates contrarias virorum fortissimorum, et clarissimorum, tamen omissis auctoritatibus, ipsa re, et ratione exquirere possumus veritatem: atque hoc facilius, quod ea omnia, quae adhuc a me dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt, et necessarium bellum esse, et magnum, et in uno Cn. Pompejo summa esse omnia.

Quid igitur b) ait Hortensius? Si uni omnia tribuenda sunt, unum dignissimum esse Pompejum: sed ad unum tamen omnia deferri non oportere. Obsolevit jam ista oratio, re multo magis, quam verbis refutata. Nam tu idem, Q. Hortensi, multa pro tua summa copia, ac singulari facultate dicendi, et in Senatu contra virum fortem A. Gabinium 1), graviter, ornateque dixisti, cum is de uno Imperatore

1) *Contra virum fortem A. Gabinium*) Tribunum Pleb. qui legem tulit de administratione belli maritimi Pompejo mandanda. Extant apud Dionem Gabini, et Catuli

ANALYSIS.

a) *At enim*) Ad Catulum, et Hortensium legi adversantes orationem convertit : simul Populum admonet, ut omissa tantorum virorum auctoritate, ipsius rei veritatem exquirat.

b) *Quid igitur*) Hortensii argumentum, quod sic primum refutat *a Pari*.

„ Hortensii ratio non magis valere debet Contra Ma-
„ niliam legem contra Gabiniam valuit:
„ Sed nullam vim habuit contra legem Gabiniam:
„ Ergó atque nihil debet contra Maniliam.

contra praedones constituendo legem promulgasset: et ex hoc ipso loco permulta item contra legem eam verba fecisti. Quid? tum a), per Deos immortales! si plus apud Populum Romanum auctoritas tua, quam ipsius Populi Romani salus, et vera caussa valuisset, hodie hanc gloriam, atque hoc Orbis terrae imperium teneremus? An tibi b) imperium esse hoc videbatur, cum Populi Romani legati, Praetores, Quaestoresque capiebantur? cum ex omnibus Provinciis commeatu et privato, et publico prohibebamur? cum ita clausa erant nobis omnia maria, ut neque privatam rem transmarinam, neque publicam jam obire possemus?

XVIII. Quae Civitas c) antea umquam fuit, non dico Atheniensium, quae satis late quodam mare tenuisse dicitur; non Carthaginensium, qui permultum classe, maritimisque rebus valuerunt: non Rhodiorum, quorum usque ad nostram memoriam disciplina navalis, et gloria remansit: quae Civitas umquam antea tam tenuis, quae tam parva insula fuit, quae non portus suos, et agros, et aliquam partem regionis, atque orae maritimae per se ipsa defenderet? At hercule aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille Populus Romanus, cujus, usque ad nostram memoriam, nomen indictum in navalibus pu-

orationes contrariae: ideoque Dion, et praeterea Plutarchus, auctores sunt, legem magna Senatus dissensione latam esset: et alterum Consulem, cum vehementius legi refragaretur, prope a plebe discerptum fuisse. Catulum quidem summa contentione primum repugnasse: sed postea cognito tanto Populi studio atque voluntate destitisse. Vide Asconium in Orat. pro Cornelio, ubi de L. Trebellio. *Hotom.*

ANALYSIS.

a) *Quid? tum*) Deinde sic arguit *a Pari* itidem, et *a Consequentibus*

,, Si haec ratio contra Gabinium valuisset, adhuc ma-
,, neret periculum Reip., et ignominia.

,, Ergo si contra Manilium valebit, eadem sunt timen-
,, da.

b) *An tibi*) Periculum amplificat *ab Effectibus*.

c) *Quae civitas*) Ignominiam amplificat *a Comparatione minorum*, et paullo post *ab Antecedenti* navali gloria Romanorum.

gnis permanserat, magna, ac multo maxima parte non modo utilitatis, sed dignitatis, atque imperii caruit.

Nos, quorum majores Antiochum Regem classe, Persenque superarunt, omnibusque navalibus pugnis Carthaginenses, homines in maritimis rebus exercitatissimos, paratissimosque vicerunt: ii nullo in loco jam praedonibus pares esse poteramus. Nos quoque, qui antea non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri imperii salvos praestare poteramus, tum, cum insula Delos tam procul a nobis in Aegeo mari posita, quo omnes undique cum mercibus, atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, sine muro nihil timebat 1): iidem non modo Provinciis, atque oris Italiae maritimis, ac portubus nostris, sed etiam Appia jam via 2) carebamus; et his temporibus non pudebat magistratus Populi Romani, in hunc ipsum locum ascendere 3), cum eum vobis majores vestri exuviis nauticis, et classium spoliis ornatum reliquissent.

XIX. Bono te animo tum, Q. Hortensi, Populus Romanus, et ceteros, qui erant in eadem sententia, dicere existimavit ea, quae sentiebatis: sed tamen in salute communi idem Populus Romanus dolori suo maluit, quam auctoritati vestrae obtemperare. Itaque *a*) una lex, unus vir, unus annus, non modo nos illa miseria,ac turpitudine liberavit:

1) *Nihil timebat)* Propter populi Rom. societatem, *Idem.*

2) *Appia jam via)* Quae cum sit propinqua mari,per eam (ab Urbe ad Capuam) iter habere, piratis mare tenentibus, sine periculo non licebat. *Manutius.*

3) *In hunc ipsum locum*)Rostra) *ascendere*. Ut vos revocarent a jubenda lege illa, quae maritimi vobis imperii decus asseruit. Hos dumtaxat ferit haec indignatio, non alios, qui pro lege Gabinia, et Pompejo dicebant. *Anonymus.*

ANALYSIS.

a) *Itaque)* *Complexio* respondens approbationi *Antecedentis.*

sed etiam effecit, ut aliquando vere videremur omnibus gentibus, ac nationibus terra, marique imperare. Quo mihi *a*) etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinio dicam, anne Pompejo, an utrique? (id quod est verius) ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompejo expetenti, ac postulanti. Utrum ille, qui postulat legatum ad tantum bellum, quem velit, idoneus non est, qui impetret, cum ceteri ad expilandos socios, diripiendasque Provincias, quos voluerunt, legatos eduxerint: an ipse, cujus lege salus, ac dignitas Populo Romano, atque omnibus constituta est, exspers esse debet gloriae ejus Imperatoris, atque ejus exercitus, qui consilio ipsius, atque periculo est constitutus? An C. Falcidius b), Q. Metellus, Q. Caelius Latiniensis, Cn. Lentulus, quos omnes honoris caussa nomino, cum Tribuni plebis fuissent, anno proximo legati esse potuerunt: in hoc uno Gabinio sunt diligentes 1), qui in hoc c) bello, quod lege Gabinia geritur, in hoc Imperatore, atque exercitu, quem per se ipse constituit, etiam praecipuo jure esse deberet? De quo legando d) spero Consules ad Senatum relaturos. Qui

1) *Tam diligentes)* Respicit, ut puto, ad leges Liciniam, atque Aebutiam. *Grut.*

ANALYSIS.

a) *Quo mihi)* Ut legaretur sibi A. Gabinius ad bellum Piraticum Pompejus postulaverat, quod cum in Senatus potestate esset, impetrare nondum potuerat sub praetextu cujusdam legis, quae vetabat esse Legatum illum, qui anno superiore Tribunus pl. fuisset. Hanc injuriam obiter Cicero queritur *ab Adjunctis* personarum.

b) *An C. Falcidius)* Legi contrariae respondet *a Comparatione minorum.*

„ Ea Lex minus servari debebat in Gabinio, quam in
„ ceteris;
„ Sed in quibusdam aliis Tribunis servata non est;
„ Ergo multo minus servari debuit in Gabinio.

c) *Qui in hoc)* *Propositionis* approbatio.

d) *De quo legando)* Ad conciliandam sibi Populi benevolentiam, non defuturum se quoquomodo Gabinio profitetur.

si dubitabunt, aut gravabuntur; ego me profiteor relaturum neque me impedient cujusquam, Quirites, inimicum edictum 1), quo minus, fretus vobis, vestrum jus 2), beneficiumque defendam: neque, praeter intercessionem, quidquam audiam; de qua (ut arbitror) isti ipsi, qui minantur, etiam atque etiam, qui quid liceat, considerabunt. Mea quidem sententia, Quirites, unus A. Gabinius, belli maritimi, rerumque gestarum auctor, comes Cn. Pompejo adscribitur: propterea quod alter uni id bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit; alter delatum, susceptumque confecit.

XX. Reliquum est a), ut de Q. Catuli auctoritate, et sententia dicendum esse videatur. Qui cum ex vobis quaereret, si uno Cn. Pompejo omnia poneretis, si quid de eo factum esset 3), in quo spem essetis habituri: b) magnum suae virtutis fructum, ac dignitatis, cum omnes prope una voce, *in ipso vos spem habituros* 4) *esse* dixistis. Etenim talis est vir, ut nulla res tanta sit, ac tam difficilis, quam ille

1) *Inimicum edictum)* Indicat edicturos Consules Gabinio inimicos, ne quis referre ad Senatum posset, presentibus Consulibus: cui se, cum Praetor esset, non cessurum profitetur, nisi Tribuni intercedant. *Ferratius.*

2) *Vestrum jus)* Non jus Praeturae hic intelligit: Praepi enim secundum leges non poterat referre ad Senator, Consulibus invitis: sed innuit scriptum fuisse in lege Gabinia, ut Pompejus, quos ipse vellet, legatos eligeret. *Idem.*

3) *Si quid de eo factum esset)* Si obiisset. Ominis caussa mentio mortis omittitur. Vide Schotti Nod. Cic. lib. 2.

4) *In ipso vos spem habituros)* Sic legendum, non ut vulgo, *in eo ipso.* Nam praeterquamquod pronomen, *eo*, non est in quibusdam libris manuscriptis, ratio, et consuetudo Latini sermonis postulant, ut ita legatur, quemadmodum edendum curavi. Si enim *in eo ipso* legeremus, significaretur, Pompejus. At ex Plutarcho notum est, Populum respondisse, se spem habiturum in ipso Catulo. *Lambinus.*

ANALYSIS.

a) *Reliquum est)* Catulus objecerat, si Pompejo omnia mandarentur, ut, eo casu aliquo extincto, nemo superesset, qui Reip. succurreret ob inexperientiam.

b) *Cepit)* Cui primo respondet a Populi testimonio in laudem ipsius Catuli.

non et consilio regere, et integritate tueri, et virtute conficere possit. Sed in hoc a) ipso ab eo vehementissime dissentio, quod, quo minus certa est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis Respublica, dum per Deos immortales licet, frui debet summi hominis vita, atque virtute.

At enim b) nihil novi fiet contra exempla, atque instituta majorum. Non dico c) hoc loco, majores nostros semper in pace, consuetudini, in bello, utilitati paruisse: semper ad novos casus temporum, novorum consiliorum rationes accommodasse: non dicam, duo bella maxima, Punicum, et Hispaniense, ab uno Imperatore 1) esse confecta: duas Urbes potentissimas, quae huic imperio maxime minabantur, Carthaginem, atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas: non commemorabo, nuper ita vobis, patribusque vestris esse visum, ut in uno C. Mario spes imperii poneretur: ut idem cum Jugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Teutonis bellum administraret. In ipso d) Cn. Pompejo, in quo novi con-

1) *Ab uno Imperatore)* P. Scipione Aemiliano. Vide Somm. Scip.

ANALYSIS.

a) *Sed in hoc)* Deinde contraria utitur ratione *a Caussa formali*:

,, Eo bono, dum licet; uti debemus, quod caducum
,, est;

,, Vita summi Viri Pompeji caduca est;

,, Ergo ea uti debet Resp. dum licet.

b) *At enim)* Altera Catuli obiectio; nihil esse agendum contra instituta Majorum, cui tali modo satisfacit.

,, In bellis maximis utilitati magis, quam consuetudi-
,, ni parendum est.

,, Nunc bellum maximum Mithridaticum imminet;

,, Ergo parendum est utilitati, non consuetudini.

c) *Non dico) Propositio*, et ejus approbatio per figuram *Praeteritionem ab Exemplis Similibus*:

d) *In ipso)* Prosequitur idem argumentum ab iis, quae in ipso Pompejo innovata fuerant, eaque mire amplificat *ab Adjunctis*.

stitui nihil vult Q. Catulus, quam multa sint nova, summa Catuli voluntate constituta, recordamini.

XXI. Quid enim tam novum, quam adolescentulum privatum 1), exercitum difficili Reipublicae tempore conficere? confecit. Huic praeesse? praefuit. Rem optime ductu suo gerere? gessit. Qui tam praeter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cujus a senatorio gradu 2) aetas longe abesset, imperium, atque exercitum dari? Siciliam permitti, atque Africam, bellum in ea administrandum? Fuit in his Provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit. Quid vero tam inauditum, quam Equitem Romanum triumphare? at eam quoque rem Populus Romanus non modo vidit, sed etiam studio omni visendam putavit 3). Quid tam inusitatum, quam, ut cum duo Consules clarissimi, fortissimique essent, Eques Romanus ad bellum maximum formidolosissimumque pro Consule mitteretur? missus est. Quo quidem tempore cum esset non nemo in Senatu, qui

1) *Adolescentulum privatum)* Annos tres et viginti natus. Vide supra, cap. 10. et mox infra.

2) *A senatorio gradu)* Senatores tunc erant cum Quaesturam gesserant, quam obtinere non poterant, nisi post decem annua stipendia: adeoque post 27. annum: a quo aberat Pompeji aetas, qui 25. anno suae aetatis triumphavit. *Ferratius.*

3) *At eam quoque rem Populus Romanus non modo vidit, sed etiam studio omni visendam putavit)* In hujus triumphi commemoratione, nulla fit Senatus mentio, et Populo ad unum datur, ut accurrat visendi studio, et Pompam acclamationibus honestet. Quippe Sylla, cum Dictator publicas res, privatisque haberet in sua potestate, Pompejum, quem in Siciliam miserat, ipse, inconsulto Senatu, et absque ulla rogatione Populi triumphare jussit. Alterum triumphum ait Orator ductum esse *ex senatus consulto*, nulla Populi mentio, propterea quod, sublata per Syllam tribunitia potestate, universa Reipublicae administratio ad Senatum fuerat translata; ita ut Populus, neque in ferendis legibus, neque in decernendis triumphis ullam partem haberet. Pompejus Consul tribunitiam potestatem restituit: Cornelius, Tribunus plebis, legem tulit, ne quis legibus solveretur, sine Populi rogatione. *Idem.*

diceret, *Non oportere mitti hominem privatum pro Consule:* L. Philippus dixisse dicitur. *Non se illum sua sententia pro Consule, sed pro Consulibus mittere.* Tanta in eo Reipublicae bene gerendae spes constituebatur, ut duorum Consulum munus unius adolescentis virtuti committeretur. Quid tam singulare, quam ut ex Senatus-Consulto legibus solutus, Consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset 1)? Quid tam incredibile, quam ut iterum Eques Romanus 2) ex Senatus-Consulto triumpharet? Quae in omnibus hominibus nova post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt, quam haec, quae in hoc homine vidimus. Atque haec tot exempla, tanta, ac tam nova, profecta sunt in eumdem hominem a Q. Catulo, atque a ceterorum ejusdem dignitatis amplissimorum hominum auctoritate.

XXII. Quare a) videant, ne sit periniquum, et non ferendum, illorum auctoritatem de Cn. Pompeji digni-

1) *Quid tam singulare, quam ut ex Senatus Consulto legibus solutus, Consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset?*) Cum post Syllae dictaturam, et usque ad tribunatum C. Cornelii, Senatus legibus solveret, sine Populi rogatione, bene de Pompejo dicitur: *Ex Senatus Consulto legibus solutus.* At quibusnam legibus? Lege Villia, qua prohibebatur petitio consulatus ante annum XLII. aliisque duabus Corneliis legibus, quae ad consularem dignitatem eos non admittebant: qui Quaestores, Praetoresque non fuissent. Pompejus autem annum xxxv. agebat, et neque Quaestor fuerat, neque Praetor. Cur autem Pompejo annos nato triginta non libebat illum magistratum capere, nedum Consulatum? Quoniam lex erat, aut vetus restituta a L. Sylla, aut ab ipso primum lata, ne quisquam, omissa quaestura, ullum alium petere magistratum posset. At Pompejus Quaestor non fuerat: et quoniam Quaestor non fuerat, non erat in ordine senatorio sed Equestri dumtaxat. Aditum in curiam dabat Quaestura, ex lege per L. Syllam Dictatorem lata. *Idem.*

2) *Eques Romanus*) Non enim fuerat Pompejus Quaestor, proinde nondum erat Senator. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Quare*) *Complexio.*

tate a vobis comprobatam semper esse vestrum ab illis de eodem homine judicium, Populique Romani auctoritatem improbari: praesertim a) cum jam suo jure Populus Romanus in hoc homine suam auctoritatem vel contra omnes, qui dissentiunt, possit defendere: propterea quod, istis reclamantibus, vos unum illum ex omnibus delegistis, quem bello praedonum praeponeretis. Hoc si vos temere fecistis, et Reipublicae parum consuluistis, recte isti studia vestra suis consiliis regere conantur. Sin autem vos plus tum in Republica vidistis: vos, his repugnantibus, per vosmetipsos dignitatem huic imperio, salutem Orbi terrarum attulistis: aliquando isti principes, et sibi, et ceteris, Populi Romani universi auctoritati parendum esse fateantur.

Atque in hoc bello Asiatico, et Regio, non solum militaris illa virtus, quae est in Cn. Pompejo singularis, sed aliae quoque virtutes animi multae, et magnae requiruntur. Difficile est in Asia, Cilicia, Syria, Regnisque interiorum nationum ita versari vestrum Imperatorum, ut nihil aliud, quam de hoste, ac de laude cogitet. Deinde etiam si qui sunt pudore, ac temperantia moderatiores, tamen eos esse tales, propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur. Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas per hos annos cum Imperio misimus, injurias, ac libidines. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris Magistratibus religiosum, quam Civitatem sanctam, quam domum satis clausam, ac munitam fuisse? Urbes jam locupletes, ac copiosae requirentur, quibus caussa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. Libenter haec coram cum Q. Catu-

ANALYSIS.

a) *Praesertim)* Eodem modo, quo supra, ostendit a *Pari* extraordinarium Imperium non esset reprehendendum in lege Manilia: quod non recte fuerat reprehensum in lege Gabinia.

lo, et Q. Hortensio disputarem, summis, et clarissimis viris. Noverunt enim sociorum vulnera: vident calamitates: querimonias audiunt. Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione, contra socios, atque amicos. Quae Civitas est in Asia, quae non modo Imperatoris, aut legati, sed unius Tribuni militum animos, ac spiritus capere possit?

XXIII. Quare, etiam si quem habetis, qui collatis signis, exercitus Regios superare posse videtur: tamen, nisi erit idem, qui se a pecuniis sociorum: qui ab eorum conjugibus, ac liberis, qui ab ornamentis fanorum, atque oppidorum, qui ab auro, gazaque regia, manus, oculos, animum cohibere possit; non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum, Regiumque mittatur. Ecquam putatis Civitatem pacatam fuisse, quae locuples sit? ecquam esse locupletem, quae istis pacata esse videatur? Ora maritima, Quirites, Cn. Pompejum non solum propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continentiam requisivit. Videbat enim Populus Romanus non locupletari quotannis pecunia publica, praeter paucos; neque nos quidquam aliud assequi classium nomine, nisi ut, detrimentis accipiendis, majore affici turpitudine videremur. Nunc, qua cupiditate homines in Provincias, quibus jacturis 1), quibus conditionibus proficiscantur, ignorant videlicet isti, qui ad unum deferenda esse omnia non arbitrantur; quasi vero Cn. Pompejum non cum suis virtutibus, tum etiam alienis vitiis magnum esse videamus.

1) *Jacturis*) *Jacturae* Latinis sunt largitiones, pecuniae datae corrumpendi caussa, pronunciati per tribus nummi, aut, ut ipse supra dixit, divisi magistribus, et hominibus gratiosis, quorum suffragatione potestates, et Provincias acceperat. Cicero pro Cluentio. „ Primum „ quidem illud Judicem pecunia corrupit, deinde ipsum „ Aurium, non magna jactura facta, tollendum cura- „ vit. „ Pro Flacco: *quae jacturae? quanta largitio?* Gronov. lib. IV. de Pec. vet. cap. 4. ubi vide plura.

Quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, qui inter tot annos unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant. Quod si a) auctoritatibus hanc caussam, Quirites, confirmandam putatis; est vobis auctor, vir bellorum omnium, maximarumque rerum peritissimus, P. Servilius 1): cujus tantae res gestae terra, marique extiterunt, ut, cum de bello deliberetis, auctor vobis gravior esse nemo debeat. Est C. Curio, summis vestris beneficiis, maximisque rebus gestis, summo ingenio, et prudentia praeditus. Est Cn. Lentulus, in quo omnes, pro amplissimis vestris honoribus, summum consilium, summam gravitatem esse cognoscitis. Est C. Cassius, integritate, virtute, constantia singulari. Quare videte, ut horum auctoritatibus, illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur.

PERORATIO.

XXIV. Quae cum ita b) sint, C. Manili, primum istam tuam et legem, et voluntatem, et sententiam laudo, vehementissimeque comprobo: deinde te hortor, ut auctore Populo Romano, maneas in sententia, neve cujusquam vim, aut minas pertimescas. Primum in te satis esse animi, perseverantiaeque arbitror: deinde cum tantam multitudinem cum tan-

1) *P. Servilius*) Isauricus ab Isauris in Cilicia devictis, Consul fuit cum App. Claudio. *C. Curio*, qui de Macedonia triumphavit, cum Cn. Octavio. *Cn. Lentulus* Clodianus, cum L. Gellio *C. Cassius*, fortasse ille est, qui Consul fuit cum Marco Lucullo. *Ferratius*.

ANALYSIS.

a) *Quod si*) Postremo Catulo, et Hortensio clarissimos Viros opponit, qui legi Maniliae favebant.

b) *Quae cum ita*) Prima pars *Perorationis*, qua Manilium hortatur, ut in sententia maneat, ducto argumento *ab Adjunctis*.

to studio adesse videamus, quantam non iterum 1) in eodem homine praeficiendo vidimus; quid est, quod aut de re, aut de perficiendi facultate dubitemus? Ego autem a), quicquid in me est studii, consilii, laboris, ingenii, quicquid hoc beneficio Populi Romani atque hac potestate Praetoria, quicquid auctoritate, fide, constantia possum; id omne ad hanc rem conficiendam, tibi, et Populo Romano polliceor, ac defero. Testorque omnes Deos, et eos maxime, qui huic loco, temploque praesident, qui omnium mentes eorum, qui ad Rempublicam adeunt, maxime perspiciunt, me hoc neque rogatu facere cujusquam, neque quo Cn. Pompeji gratiam mihi per hanc caussam conciliari putem, neque quo mihi ex cujusquam amplitudine, aut praesidia periculis, aut adjumenta honoribus quaeram: propterea quod pericula facile, ut hominem praestare oportet, innocentia tecti pellemus: honorem autem neque ab uno, neque ex hoc loco, sed eadem nostra illa laboriosissima ratione vitae, si vestra voluntas feret, consequemur.

Quamobrem, quicquid in hac caussa mihi susceptum est, Quirites, id omne me Reipublicae caussa suscepisse confirmo: tantumque abest, ut aliquam bonam gratiam mihi quaesisse videar, ut multas etiam simultates partim obscuras, partim apertas in-

1) *Quantum non iterum*) Vellet Grevius deleri *non*, et mutari *vidimus* in *videmus*. Itaque legeret: *quantam iterum in eodem homine praeficiendo videmus*. Quod etsi dicat a suis quibusdam mss. confirmari, tamen in contextu non recepit.

ANALYSIS.

a) *Ego autem*) Secunda pars, qua suam illi, et Populo R. operam pollicetur; jurat deinde, se hoc fecisse Reip. caussa, non rogatu, aut gratia cujusquam, idque probat *a remotione Caussarum. Benevolentia* ex Arist. l. 2. c. 4. r. 29.

telligam, mihi non necessarias, vobis non inutiles 1), suscepisse. Sed ego me hoc honore praeditum, tantis vestris beneficiis affectum statui, Quirites, vestram voluntatem, et Reipublicae dignitatem, et salutem Provinciarum, atque sociorum, meis omnibus commodis, et rationibus praeferre oportere.

1) *Non inutiles)* Simultates enim inter principis viros utiles erant tum legibus, tum libertati. *Ferratius*

IN L. CATILINAM

IN SENATU

ORATIO

ARGUMENTUM.

Saepe jam M. Tullius, antequam hanc orationem haberet, verba in Senatu de Catilinae conjuratione fecerat: ut vel ex eo perspicuum est, quod duodeviginti diebus ante, consulibus Resp: Senatus consulto permissa erat. Quod ego ipsum admonere supervacaneum putassem, (est enim sane quam apertum) nisi animadvertissem, multos magnosque viros, non e recentioribus modo, sed etiam ex antiquis, quod, quid quoque tempore actum fuisset, non satis attente considerassent, in errores quosdam minime, ut arbitror, negligendos, in harum rerum exsplicatione incidisse. Mihi quidem ita videtur: Ciceroni imprimis ipsi maximam esse hisce in rebus habendam fidem: ut, sicubi ab eo ceteri dissesserint, homines eos fuisse, idcircoque labi potuisse, arbitremur: secundum Ciceronem autem Sallustio, qui iisdem temporibus fuit: tum Asconio, qui ab eorum aetate non ita multum abfuit; Graecos autem, Plutarchum, Appianum, Dionem, magno esse adhibito judicio legendos. Nam, ut hinc ordiamur, cum conjurati, Catilinae denunciatione, in M. Porcii Leccae domum convenissent, repertique essent duo, qui se Ciceronem in lectulo suo interfecturos pollicerentur; tum demum, ait Sallustius, rem ad Senatum a Cicerone relatam; *Senatumque decrevisse, ut derent operam Consules, ne quid Respublica detrimenti caperet*. At id manifesto falsum est: si quidem, quae nox consequuta est posterum diem Nonar. Novembr. ea nocte coitionem illam in M. Porcii domum factam esse, constat ex oratione pro Sylla. Jam autem sexdecim, minimum, dies erant, cum illa Senatus auctoritas intercesserat: ut ex hac ipsa oratione liquido cognosci potest. Illud quoque non minus falsum est, quod idem Sallustius prodidit, cum aut hanc orationem Cicero, aut aliam quampiam habuisset, certe quidem aliquot diebus post commissam

Consulibus Remp. Catilinam in eam vocem denique erupisse, ut diceret, si quod incendium in fortunas suas excitatum esset, id se non aqua, sed ruina restincturum. Id enim jampridem, idest, aliquot diebus ante comitia consularia, Catoni Judicium minitanti de denuncianti Catilina responderat. Quod ipse Cicero in oratione pro Murena testatum reliquit. Quod si Sallustium ipsum, et accuratum cum primis hominem, et illorum temporum aequalem, tamen alicubi lapsum videmus: exacuenda profecto nobis ingenii acies est: neque ut quicque a quoque veterum proditum fuerit, ita protinus recipiendum est: sed conferenda alia cum aliis, et ad Ciceronis praecipue auctoritatem, tamquam ad Lydium lapidem, singula diligenter examinanda. Nunc ad rem. Dicta est haec oratio a Cicerone Consule, Senatum habente in templo Jovis Statoris. VI. id. Novemb. ut infra probabitur. Qua quidem oratione ostendit, patefacta jam esse omnibus scelerata Catilinae adversus Remp. consilia: ipsique suadet, vel potius imperat, ut ex urbe exeat, quo et Civitatem liberet metu, et ipse se liberius hostem P. R. profiteri queat. Genus igitur caussae judiciale non est, ut falso Caelius Curio putat. Non enim in Senatu Judicia exercebantur. Sed ne deliberativum quidem est. Quid ita? quia enim non deliberat Cicero, neque sententiam dicit, neque aut suadet quicquam Senatui, aut dissuadet: sed Catilinam increpat, objurgat, jubet denique, ut cum Reip. salute, sua vero peste, ac pernicie ex Urbe proficiscatur. Quid igitur? fatendum profecto est, non omnes Ciceronis orationes, nedum omnia quae ab Oratore tractantur, ad tria illa pervulgata caussarum genera posse revocari. Ipse autem orationi χαρακτηρ plenus est δεινοτητος, γοργοτητος, μεγαλοπρεπειας, σφοδροτητος. Itaque quaecumque de illo genere a veteribus prodita sunt, ea hic mirabiliter observata reperiemus, *Muretus.* Vide Laelii Bisciolae Horas subces. Tom. II. lib. IV. cap. 8.

ORATIONIS SYNOPSIS.

ORatio prima in tres dividitur partes, nullo praemisso *Exordio*, cujus nulla erat necessitas.

In prima parte duo facit; accusat enim seipsum inertiae *ab Adjunctis*, quod hostium ducem non modo non interficeret, sed etiam venire in Senatum pateretur: *Ad mortem te, Catilina*; Deinde in ipsum invehitur, quod non cessaret Reip. exitium cogitare, licet intelligeret, omnia sua consilia nota esse Consuli, et Patribus: *Etenim quid est, Catilina, quod jam.*

In secunda, praemisso argumento *a Comparatione minorum*, non esse secundum Catilinam, quamvis Ciceroni tantum insidias struat, nedum Reip.: *Quae cum ita sint*; Eumdem hortatur, ut proficiscatur vel ad suos, vel in exilium, *ab Adjunctis*. quod Romae nihil esset, quo delectari posset: *Quid est, Catilina?* Hoc autem confirmat triplici *Comparatione*, Servorum, sui ipsius, et Parentum, denique etiam Catilinae testimonio: *Servi mehercule mei.*

Catilinae potenti, ut referretur ad Senatum de suo exilio, respondet Cicero, Patres satis aperte decernere exilium, cum taceant: *Refer, inquis ad Senatum.*

Tertia pars habet *Prolepsin* in Ciceronem, quod non interficiat hostem Patriae, sed incolumem dimittat, eaque *a remotione caussarum* confirmatur: *Nunc ut a me.*

Respondet argumento *ab Effectibus*, quod sit Reip. utilius ejici Catilinam, quam interfici: *His ego sanctissimis Reip. vocibus.*

PRIMA PARS.

I. QUousque a) tandem 1) abutere, Catilina, patientia nostra? quamdiu etiam furor ille tuus nos eludet 2)? quem ad finem sese effraenata jactabit audacia? Nihil ne te nocturnum praesidium Palatii 3), nihil Urbis vigiliae 4), nihil timor Populi 5), nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus 6) habendi Senatus locus, nihil horum ora, vultusque moverunt? Patere tua consilia non sentis? constrictam 7) jam omnium horum conscientia teneri conjurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii coeperis, quem nostrum ignorare arbitraris?

1) *Quousque tandem*) Non putarat, ut videtur, Cicero, Catilinam eo die in Senatu affuturum. Sed cum eum, praeter spem, adesse vidisset, subita indignatione, commotus, in haec verba prorupit. *Muret*.

2) *Eludet*) Quasi afflictis, prostratisque nobis insultabit. Verbum gladiatorium, Illud quoque adnotandum, quod de furore, et audacia, quasi de re quapiam animata, loquutus est. Recte enim admonet Fabius, miram ex eo sublimitatem oriri, cum rebus sensu carentibus actum, quemdam, et animos damus. *Idem*.

3) *Nocturnum praesidium Palatii*) Periculosis temporibus praesidium palatio imponi solebat, quod illud qui occupasset, urbem facile in potestate habiturus videbatur. *Idem*.

4) *Nihil Urbis vigiliae*) Decreverat enim Senatus, ut per totam Urbem vigiliae haberentur, iisque minores Magistratus praeessent. Sallustius. *Idem*.

5) *Nihil timor Populi*) Nam et tumultum Senatus decreverat, ut est apud Dionem, et Cicero ipse, ad indicandam periculi magnitudinem; comitiorum die loricatus in campum descenderat. *Idem*.

6) *Nihil hic munitissimus*) Templum Jovis Statoris dicit. *Idem*.

7 *Constrictam*) Quasi de immani quadam, et rabiosa fera loquutus est. *Idem*.

ANALYSIS.

a) *Quousque*) Invehitur in Catilinam, quod non desinat perniciem Reip. machinari, licet omnibus nota esse sua consilia sentiat, et parata videat praesidia.

O tempora a), o mores! Senatus haec intelligit; Consul videt; hic tamen vivit. Vivit? Immo vero etiam in Senatum venit: fit publici consilii particeps: notat, et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum. Nos autem, viri fortes 1), satisfacere Reipublicae videmur, si istius furorem, ac tela vitemus.

Ad mortem te, Catilina, duci, jussu consulis 2), jampridem oportebat: in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jamdiu machinaris. An vero b) vir amplissimus 3), P. Scipio 4), Pontifex Ma-

1) *Nos autem. viri fortes)* Εἰρωνεία. Non enim in cautione, sed in animi magnitudine, ac praesentia posita est fortitudo. *Idem.*

2) *Jussu Consulis)* Sed poteratne Consul imperare, ut quisquam ad mortem duceretur? Poterat, ubi ei S·C. commissa erat Resp. *Idem.*

3) *An vero vir amplissimus)* Argumentum a minore: in quo, ut erudite adnotat Fabius non solum totum toti, sed etiam partes partibus comparantur. Nam Catilina Graccho, status Reip. Orbi terrarum, mediocris labefactatio caedi, et incendiis, privatus Consulibus comparatur. *Idem.*

4) *P. Scipio)* P. Cornelius Scipio Nasica Serapio, ejus, qui optimus vir a Senatu judicatus erat, nepos ejus, qui censor porticus in Capitolio fecerat, filius; pronepos autem Cn. Scipionis, celeberrimi viri, P. Africani patrui, ipsius autem Tiberii consobrinus. Patereulus. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *O tempora)* Deinde per vehementem *Exclamationem* se ipse accusat inertiae, et argumento utitur *ab Ajunctis*:

,, Turpe est Consuli, eum vivere, et in Senatum veni-
,, re, quem interficere potest, et debet;
,, Sed ego possum, et debeo Catilinam interficere;
,, Ergo mihi turpe est, eum non solum, vivere, sed etiam
,, in Senatum venire.

Propositio praecedit quoad utramque partem.

b) *An vero) Propositionis* approbatio *a Comparatione minorum;* nam si P. Scipio privatus T. Gracchum interfecit minora machinantem, quanto magis ego Consul Catilinam interficere possum? factum Servili per figuram tantum *Praeteritionis* attingit.

ximus, Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem statum Reipublicae, privatus interfecit 1): Catilinam vero, Orbem terrae caede, atque incendiis vastare cupientem, nos Consules perferemus? Nam illa 2) nimis antiqua praetereo, quod Q. Servilius Ahala Sp. Melium, novis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac Republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coercerent. Habemus a) enim Senatusconsultum in te, Catilina, vehemens, et grave: non deest Reipublicae consilium, neque auctoritas hujus ordinis, nos, nos, dico aperte, Consules desumus.

II. Decrevit quondam Senatus, ut L. Opimius Consul videret, ne quid Respublica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit; interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre, avo, majoribus: occisus est cum liberis M. Fulvius 3), consularis. Simili Senatus-Consulto, C. Mario, et L. Valerio consulibus, permissa est Respublica: num unum diem postea L. Saturninum, Tribunum Plebis,

1) *Privatus interfecit*) Video, Interpretes conturbari, quod idem et Pontifex Max. et privatus esse dicitur: in eo autem nulla repugnantia est. Pontificatus enim magistratus non est. Quare nihil prohibet eumdem Pontificem Maximum esse, et privatum. *Idem:*

2) *Nam illa*) Figuram hanc praeteritionem vocant Historia ex Livio petenda est.

3) *M. Fulvius*) M. Fulvius Flaccus, quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris III. virum nominaverat, sociumque regalis potentiae assumpserat. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Habemus*) Probat primam partem *Assumptionis ab* „ Exemplis similibus:

„ Armati S. C. fortissimi Consules seditiosos Cives interfecerunt

„ Sed et ego idem habeo S. C.

„ Ergo et nefarium Civem interficere jure possum.

et C. Servilium Praetorem mors, ac Reipublicae poena 1) remorata est? At nos a) vigesimum jam diem 2) patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujusmodi Senatusconsultum, verumtamen inclusum in tabulis, tamquam in vagina reconditum quo ex Senatusconsulto confestim interfectum te esse, Catilina, convenit 3)! Vivis: et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.

1) *Mors, ac Reip. poena*) De tribus antiquis libris, qui olim Dominici Grimani Cardinalis, fuere in eo, qui optimus est, locus hic ita legitur. *Num unum diem postea L. Saturninum Trib. pleb. et C. Servilium praet Reip. poena remorata est?* Quod ego ut vidi, qui Servilium illis temporibus Praetorem fuisse meminissem, viderémque etiam ad nomen Saturnini additum esse nomen magistratus, in quo ille tum fuisset: dubium non habui, quin illud, *Praetorem* omnino recipiendum foret. Recordabar loci ex octava Philippica, qui me magis etiam in sententia confirmabat. Ita enim ibi scribitur: *C. Mario, L. Valerio Consulibus Senatus Rempublicam defendendam dedit. Saturninus Trib. pl. Glaucia Praetor est occisus.* Quoniam autem scio, saepe commissum esse a librariis veteribus, ut has notas *R. P.* et *P. R.* quarum altera. *Rempublicam*, altera, *Populum Romanum* indicabant, inter se confunderent, earumque alteram pro altera ponerent: plane statui, totum hunc locum ita legi debere: *Num unum diem postea L. Saturninum Trib. Pl. et C. Servilium Praetorem Populi Romani, poena remorata est?* Vocem, *mors* additam puto ab aliquo, qui declarare vellet, quod poenae genus illos consequutum fuisset. *Idem.*

2) *Vicesimum jam diem*) Rotundare numerum voluit. Erat enim hic tantum duodevicesimus dies post factum. S.C. ut notat Asconius. Sic in Pisonem pro triginta sex annis quadraginta dixit. Sic centumviri dicebantur, cum essent centum et quinque. Sic Euripides, et Virgilius Graecos mille navibus ad oppugnandam Trojam venisse dicunt quas Homerus CIↃ CLXXXVI. Dio CIↃ CC Scholiastes Euripidis, mille centum et septuaginta fuisse affirmat. *Idem.*

3) *Interfectum esse te, Catilina, convenit)* Vereor ne aliquid in his verbis insit vitii. Primum, quod, seu verbum, *convenit*, media correpta legas, non convenient tempora: seu producta, quaeram, ecquis umquam, qui aliquem modo Latinae linguae sensum haberet, ita loquutus fuerit, ut diceret convenit statim id fecisse, pro eo quod est, statim id fecisse oportuit. Ego vero, ἀτρεκείαν εἰπεῖν, utro-

Cupio a), Patres conscripti 1), me esse clementem: cupio in tantis Republicae periculis non dissolutum videri: sed jam me ipsum inertiae, nequitiaeque condemno.

Castra sunt in Italia contra Rempublicam, Etruriae faucibus collocata, crescit in dies singulos hostium numerus: eorum autem Imperatorem castrorum, ducemque hostium, intra moenia, atque adeo in Senatu videmus, intestinam aliquam quotidie perniciem Reipublicae molientem. Si te jam b), Catilina, comprehendi, si interfici jussero: credo, erit verendum mi-

vis modo, nedum indignum Cicerone, sed etiam plane barbarum esse loquendi genus censeo. Ut si quis dicat, *Multum laborem capere convenit eos, qui de gloria comparanda cogitant;* quidvis eum facere potius, quam Latine loqui putem. Meus quidem hic sensus est. Si qui aliter opinabuntur, ii si, prolatis exemplis, erroris me coarguerit; non committam, ut etiam pertinaciae coarguere possint. Est omnino quidam locus apud Terentium in Heautontimorumeno, qui fallere homines minus perspicaces queat. Ibi enim senex ille seipsum puniens ita loquitur: *Non convenit, qui illum ad laborem impulerim, nunc me ipsum fugere*. Sed ibi alia ratio est. Comparantur enim duo ibi inter se, haec, impulisse filium ad laborem, et ipsum laborem fugere: quorum alterum alteri convenire, atque consentaneum negat. Moveor etiam, quod in uno libro vetere, pro *convenit*, scriptum, video, *cum venit:* Qua de scriptura quam conjecturam fecissem, idicam: non quod ea mihi plane probetur: sed ut alius quspiam ea reprehensa, meliorem aliquam proferat. Venit igitur mihi in mentem cogitare si forte ita legendum sit: „ Quod quidem Senatus consultum confestim interfectum te esse, „ Catilina, cum velit; vivis: et vivis: non ad deponendam, sed ad confirmandum audaciam. *Idem.*

1) *Cupio, P. C.)* Nunc demum ad patres orationem convertit, ideoque multo leniore, ac remissiore dicendi genere utitur. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *At nos*) concludit, se per inertiam non uti eo S. C.

b) *Cupio*) Praemissa suae clementiae attestatione, confirmat secundam *Assumptionis* partem *ab Adjunctis:*

„ Debet Consul, si possit, ducem hostium interficere,
„ Tu sine controversia es Imperator exercitus contra
„ Patriam:
„ Ergo te debeo, cum possim, interficere.

Sola habetur *Assumptio* Cum Complexione conjuncta.

hi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. Verum ego hoc, quod jampridem factum esse oportuit, certa de caussa nondum adducor ut faciam. Tum denique interficiam te 1), cum jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non jure factum esse fateatur. Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives: et vives ita, ut nunc vivis, multis meis, et firmis praesidiis obsessus, ne commovere te contra Rempublicam possis. Multorum te etiam oculi, et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur, atque custodient.

III. Etenim quid est a), Catilina, quod jam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios, nec privata domum parietibus continere vocem conjurationis tuae potest? si illustrantur, si erumpunt 2) omnia? Muta jam istam mentem 3): mihi crede, obliviscere caedis, atque incendiorum. Teneris undique: luce sunt clariora nobis tua consilia

1) *Interficiam te)* Nihil ab hac dissentiunt Pall. sed Lipsius lib. III. Var. Lect. Cap. 22. Modius epist v. prodidere, restare in scriptis suis, *interficiere*; reperitque in Cod. Guilelmus, videturque modestius, ac gravitate consulari dignius. *Grut.*

2) *Si illustrantur, si erumpunt) Illustrantur,* ad noctis tenebras retulit: *erumpunt*, ad privatae domus parietes. *Muretus.*

3) *Muta jam istam mentem)* Non cohortatur eum ad sanitatem, quod se frustra facturum sentiebat: sed ait, nihil esse, quod in Urbe manens de caede, atque incendiis cogitet: quale aliud ei consilium esse capiendum, et in Maliiana castra exeundum. *Muret.*

ANALYSIS.

a) *Etenim quid est)* Invectivam in Catilinam nunc repetit, quae in Principio habetur hoc modo

,, Ille frustra perdere Remp. cogitat, cujus omnia consilia ,, nota sunt;

,, Sed tua omnia consilia nobis clariora luce sunt;

,, Ergo frustra adhuc cogitas Remp. perdere.

Assumptio manifesta est. et admonenda subjicit *Complexionem.*

omnia: quae etiam mecum licet recognoscas. Meministine a), me ante diem XII. Kalendas Novembris 1) dicere in Senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VIII. Kalendas Novembris, C. Mallium 2) audaciae satellitem, atque administrum tuae? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in Senatu, caedem te optimatum contulis-

1) *Ante diem* XII. *Kalendas Novembris*) Magnam vobis lucem hic locus afferet ad hanc historiam subtiliter intelligendam; quam profecto et Sallustius, et ceteri mirabiliter confunderunt. Ac primum sciendum est, in hunc diem primo edicta fuisse comitia consularia. Sed cum pridie ejus diei Cicero Catilinae consilia ad Senatum detulisset, factum est S. C. ne postero die comitia haberentur: ut de iis rebus in senatus agi posset. Nam aliter comitiali die Senatu haberi non poterat. Postridie igitur, id est, ut ait Plutarchus, ipso comitiorum die, Cicero frequenti Senatu Catilinam exscitavit, atque eum de iis rebus jussit, si quid vellet, quae ad se allatae esset, dicere. Tum ille dixit, duo corpora esse Reipubl. unum debile infirmo capite, alterum firmum sine capite: huic, cum ita meritum esset, caput se vivo non defuturum. His auditis, decrevit Senatus, ut viderent Consules, ne quid Resp. detrimenti caperet. Haec sumpta sunt a Mureniana. Jam igitur, cum Asconius dicat; diem, quo haec habita oratio est, a commissa Consulibus Rep. duodevicesimum fuisse: profecto si quis rationem dierum ineat, videbit, eam ut nos diximus, habitam VI. Id. Novemb. Hac autem in parte aliorum errata persequi piget. *Idem.*

2) *Mallium*) Scripsi hic *C. Mallium*, non quomodo vulgati *C. Manlium*. Putavi me tuto hac in re, et sine reprehensione librorum veterum consecutientem auctoritatem sequi posse, in quibus constanter hoc nomen et apud Sallustium, et in ipsis orationibus apud Ciceronem ita perscriptum extat. Ego quidem usus aliquando sum antiquissimo libro, qui asservatur apud Gemblacenses, quem certa opinio est, et res ipsa docet, scriptum esse Sigisberti docti viri manu, qui in eo loco ante sexcentos plus minus annos claruit, in quo non aliter hoc nomen scriptum deprehendi. *L. Lipsius.*

ANALYSIS.

a) *Meministine*) Ut confirmetur eadem *Assumptio*, memorat, quae a se multo ante praedicta fuerant de exercitu Mallii, de caede Optimatum, de occupatione Praenestinae Urbis, deque iis omnibus, quae statuta fuerant M. Laeccae domo.

se in ante diem v. Kalendas Novembris, tum cum multi Principes Civitatis Roma non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum caussa profugerunt? Num inficiari potes, te illo ipso die meis praesidiis mea diligentia circumclusum, commovere te contra Rempublicam non potuisse cum tu discessu ceterorum, nostra tamen, qui remansissemus, caede contentum te esse dicebas?

Quid? cum te Praeneste Kalendis ipsis Novembris occupaturum nocturno impetu esse confideres: sensistine. illam Coloniam meo jussu, meis praesidiis, custodiis, vigiliisque esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo non audiam, sed etiam non videam, planeque sentiam.

IV. Recognosce tandem mecum illam superiorem noctem 1). Jam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem Reipublicae. Dico te priori nocte venisse inter falcarios 2) (non agam

1) *Illam superiorem noctem)* Non ita, ut opinor, loquutus esset, si proximam noctem indicare voluisset. *Muret.*

2) *Venisse inter falcarios)* Priscianus *lib.* XVIII. *col.* 1181. *Venisse inter falcarios)* interpretatur, *venisse in locum ubi sunt falcarii*. Veteribus glossis *falcarius* est falcifer, et falcifex. *Falx*, praeter usitatam significationem, est etiam *sica* Juvenalis, sat. VIII. 201.

Nec clypeo Gracchum pugnantem, et falce supina,

Vetus Scholiastes, *Thracum armatura intelligenda est, quibus proprium telum sica*. Glossae veteres: *Sica; Thracius ensis incurvus*. Glossae Isidori; *Falcarius, Gladiator falcem ferens.* Cicero, pro Sylla, cap. 5. *Emisso jam ex urbe Catilina, ille* (Antonius) *arma misit. cornua, tu has falces.* Ubi male nonnulli scripserunt *fasces:* Jam, fidem facere si quam potest vetus in Catilinam declamatio, cui nomen est adscriptum Porcii Latronis(M. Leccae domum ad nocturnos coetus delegerat Catilina, ut *remotam ab omni celebritate, constipatam multitudine arbusculárum, et ab omni suspicione prodendi facinoris non mediocriter abborrentem* ... quo *telorum innumerabilem copiam constipandam, atque occultandam* curaverat. Si habitabat fabros *inter falcarios* Lecca, ejus erat domus ad hanc, quam Declamator commemorat, telorum comparationem valde opportuna. *Baherius.*

obscure) in M. Leccae domum 1): convenisse eodem complures ejusdem amentiae scelerisque socios. Num negare audes? quid taces? convincam, si negas. Video enim esse hic in Senatu quosdam, qui tecum una fuere.

O Dii immortales? ubinam gentium sumus? in qua Urbe vivimus? quam Rempublicam habemus? Hic, hic sunt, in nostro numero, Patres Conscripti, in hoc Orbis terrae sanctissimo, gravissimoque consilio, qui de meo nostrumque omnium interitu, qui de hujus urbis, atque adeo Orbis terrarum exitio cogitet. Hosce ego video Consul, et de Republica sententiam rogo: et, quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuisti igitur apud Leccam illa nocte, Catilina: distribuisti partes Italiae: statuisti quo quemque proficisci placeret: delegisti quos Romae relinqueres, quos tecum educeres: descripsisti Urbis partes ad incendia, confirmasti, te ipsum jam esse exiturum: dixisti paullum tibi esse etiam tum morae, quod ego viverem. Reperti sunt duo Equites Romani 2), qui te ista cura liberarent, et sese illa

1) *In M. Leccae domum)* Scribendum *M. Laecae ex* auctoritate argentei denarii, in quo M. hic *Porcius Laeca* descriptus est. *F. Ursinus*.

2) *Reperti sunt duo Equites Romani)* Magna in his duobus nominandis scriptorum dissentio. Sallustius C. Cornelium, equitem Rom.. et L. Vargunteium senatorem nominat: in quo dissentit a Cicerone, qui utrumque equitem fuisse ait. Nam de C. quidem Cornelio omnis dubitatio tollitur ex oratione pro Sylla. Dio duos dicit, sed neutrum nomine appellat. Plutarchus Marcium, et Cethegum vocat: de quorum priore nihil alibi reperio: sed Plutarchum falli constat: cum aperte Cicero C. Cornelium unum ex iis fuisse affirmet. Quamquam enim Cethego quoque idem et praenomen et nomen fuit tamen hunc C. Cornelium de quo hic agitur facile probari potest, non esse C. Cornelium Cethegum. Quid? ita quod Cethegus quidem in carcere strangulatus est. At hic adhuc vivebat quo tempore Cicero P. Syllam, ipsius filio accusante, defendit. Omnium autem foedissime labitur Appianus; tribus enim manifestis erroribus, in hac re tradenda, seipsum involvit, Primum in tempore; ait enim hoc consilium initum esse, cum jam Catilina ex Urbe discessisset. Deinde in his duobus nominandis: ait enim fuisse P. Lentulum, et Cethegum.

ipsa nocte paullo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur. Haec ego omnia, vix dum etiam coetu vestro dimisso 1), comperi: domum meam majoribus praesidiis munivi, atque firmavi: exclusi eos, quos tu mane ad me salutatum miseras, cum illi ipsi venissent, quos ego jam multis, ac summis viris ad me id temporibus venturos esse praedixeram.

SECUNDA PARS.

V. Quae cum ita a) sint 2), Catilina, per-

Non dixisset autem Cicero duos Equites: si ex iis unus P. Lentulus Praetor fuisset. Illud vero palmarium, quod Cethegum quoque Praetorem fuisse tradit. Ut, si hunc sequare, neuter eorum Eques Rom. fuerit: nedum uterque ut Cicero dicit. Non fuisse autem Cethegum Praetorem, ex eo intelligitur, quod quae religio servata est in Lentulo, ut magistratu cogeretur abdicare se, antequam ei cervices frangerentur, eamdem profecto Senatus in Cethego retinuisset. Quod ubi lectum, aut cui umquam vel fando auditum est? Ac vereor interdum, ne mea in ejusmodi scriptoribus reprehendendis ab aliquo culpetur audacia. Quod si id obtrectandi studio facerem, egomet ipse me temeritatis, impudentiaeque damnarem. Nunc cum investigandae atque eruendae veritatis desiderio incensus faciam, pro qua summus Philosophorum non aliena tantum, sed sua etiam cuique, si res ferat, evertenda esse placita pronuntiavit: neminem puto aequum rerum aestimatorem fore, qui mihi non id laudi potius, quam vitio, adscribat. Etenim sive eos merito accuso: quis me propterea vituperandum duxerit? sive injuria: prodeat aliquis, qui eadem opera, et culpa illos, et errore me liberet, Nam, quemadmodum ait Æschines privatorum inimicitiis multa in Repub corrigi: ita in literis quoque plurima literatorum hominum, non inimicitiis quidem, sed molestis, et ab omni contumelia remotis dissensionibus corriguntur. *Muret*.

1) *Vix dum etiam coetu vestro dimisso)* Fulvia enim media nocte ipsamet ad Ciceronem profecto hoc ei indicavit. Plutarchus, Sallustius. *Idem.*

2) *Quae cum ita sint)* Argumentationis summa est, Si omnia tua consilia nota sunt, exire debes. Sunt autem nota. Tibi igitur est exeundum. Adnota autem, ut haec tota pars tum brevibus membris, tum incisis, tum etiam iis, quae incisis breviora sunt, contineatur: quod dicendi genus ad imperandum, et ad perterrefaciendum aptum esse, tradit Demetrius. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Quae cum ita)* Sequitur secunda pars, qua Catili-

ge a) quo coepisti, egredere aliquando ex Urbe; patent portae: proficiscere. Nimium diu te Imperatorem illa tua Malliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos: si minus, quam plurimos. Purga Urbem. Magno me metu liberabis, dummodo inter me, atque te murus intersit. Nobiscum versari jam diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam. Magna Diis b) immortalibus habenda est gratia, atque huic ipsi Jovi Statori, antiquissimo custodi hujus Urbis, quod hanc tam tetram, tam horribilem, tamque infestam Reipublicae pestem toties jam effugimus. Non est saepius in uno homine salus summa periclitanda Reipublicae. Quamdiu mihi, Consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi. Cum proximis comitiis 1) consularibus me Consulem in campo, et competitores interficere voluisti, compressi tuos nefarios conatus amicorum praesidio, et copiis, nullo tumulto publice concitato. Denique quotiescumque me petisti 2), per me tibi obstiti: quamquam videbam, perniciem meam cum magna calamitate Reipublicae esse conjunctam. Nunc jam c) aperte Rempublicam universam petis.

1) *Proximis comitiis)* Habitis a me quibus designati sunt Silanus, et Murena. *Idem.*

2) *Petisti)* Verbum gladiatorium. *Idem.*

ANALYSIS

nam hortatur, ut exeat vel ad suos, vel in exilium: praemittit autem hoc argumentum *a Dissimili per Comparationem minorum:*

„ Si mihi tantum insidias parares, non deberem diutius
„ pati te esse in Urbe

„ Sed Italiae, Reip. exitium machinaris.

„ Ergo multo minus pati debeo, te nobiscum in Urbe
„ versari.

a) *Perge)* Admonitio est loco *Complexionis*.

b) *Magna Diis) Propositionis* approbatio: quamvis enim hactenus se ipse Cicero privata diligentia servaverit, et ope Deorum omnia prospera evenerint? non tamen saepe Reip. salus periclitanda est in uno homine.

c) *Nunc jam) Assumptio*.

Templa Deorum immortalium, tecta Urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam ad exitium, et vastitatem vocas. Quare a), quoniam id, quod primum, atque hujus imperii, disciplinaeque majorum proprium est, facere nondum audeo: faciam id, quod est ad severitatem lenius, ad communem salutem utilius. Nam, si te interfici jussero residebit in Republica reliqua conjuratorum manus. Sin tu (quod te jamdudum hortor) exieris, exhaurietur ex Urbe tuorum comitum magna, et perniciosa sentina Reipublicae. Quid est b), Catilina? num dubitas id, me imperante, facere, quod jam tua sponte faciebas? Exire ex Urbe Consul hostem jubet. Interrogas me, num in exilium? non jubeo 1): sed si me consulis, suadeo.

XI. Quid enim c), Catilina 2), est, quod te jam

1) *Non jubeo*) Ne poterat quidem. Nulla enim lex erat apud veteres Romanos, quae ullum maleficium exilio multaret, sed in exilium ibant, qui legis multam sufferre in Civitate nolebant. Cicero pro Caecina. *Idem.*

2) *Quid enim, Catilina)* Quasi deposita Consulis persona; suasoris personam suscipit: ut, quod postea dicet, videatur, non odio, sed misericordia Catilinae commoveri. Saudet igitur, ut ex Urbe exeat: quod vita ei suavis esse non possit, ubi oderit omnes, odio sit omnibus, ubi invidia flagret, ubi aere alieno sit obrutus, ubi nefaria ipsius de disperditione Reip. consilia omnibus nota sint. At haec simulata suasio longe amarissimam Catilinae infestationem continet. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Quare*) *Complexio* repetitur, additque rationem, cur utilius futurum Reip. sit, si Catilina exeat, quam si jussu Consulis interficiatur.

b) *Quid est*) Non solum exire ex Urbe, sed etiam pergere in exilium suadet hoc argumento *ab Adiunctis*:

,, Ire potius in exilium debes, quam manere in ea Ur-
,, be, in qua nihil te delectare potest;
,, Sed ea sunt tua scelera, et aes alienum: tantus me-
,, tus: et odium bonorum, ut Romae nihil te delecta-
,, re possit;
,, Ergo in exilium potius ire debes, quam Romae ma-
,, nere.

c) *Quid enim*) *Assumptio* generaliter primum prola-

in hac Urbe delectare possit? in qua nemo est, extra istam conjurationem perditorum hominum, qui te non metuat: nemo, qui non oderint. Quae nota a) domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? quod privatarum rerum dedecus non haeret infamiae 1)? quae libido ab oculis, quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit, cui tu b) adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem, facem praetulisti? Quid vero? nuper cum morte superioris uxoris, novis nuptiis domum vacuam 2) fecisses, nonne etiam alio incredibili scelere 3) hoc scelus cumulasti? Quod ego praetermitto

1) *Quod privatarum rerum dedecus non haeret infamia?* Victorius, et Manutius non aliter. Forsan, inquit Gruterius, *non inhaeret tuae famae?* Lambinus, *non haeret in fama*, cui acquiescit Turnebus *Adv.* XXX. 15. Buherius denique: *Quod privatarum rerum decus non haeret infamiae?* Multa scilicet in Catilina erant bona, et decora naturae, quae omnia ille vitiis corruperat. Vide *pro Caelio*, cap. 5. et 6. Quod ediderunt Victorius, et Manutius, facile intelligi posse arbitror, si quis animadvertat; famam in homine improbo esse infamiam. Hoc ergo vult Cicero: Nullum est privatarum rerum dedecus, quod tuo nomini, tuae famae, et infamiae non haeret. *Oliv.*

2) *Vacuam*) Suspiciose significat, eam ab ipso necatam. *Muretus.*

3) *Alio incredibili scelere*) Vel quod filium occiderit; ut est apud Sallustium: vel quod filiam suam, ex adulterio susceptam, in matrimonium duxerit; quod ei objicit Cicero in oratione, quam habuit in toga candida. Plutarchus eum, praeter patricidium fratris, ait, filiae suae virgini vitium obtulisse. *Idem.*

ANALYSIS.

ta deinde quoad primam partem de sceleribus approbata *ab Enumeratione* hoc modo:

„ Illius summa sunt scelera, qui et in se, et in alios, et
„ in Remp. scelestissimus fuit;
„ Talis est Catilina;
„ Ergo ea sunt illius scelera, ut nihil Romae eum delectare possit.

a) *Quae nota*) Haec sunt, quae in se peccavit.

b) *Cui tu*) Secundo, quae in alios, et obiter addit magnitudinem aeris alieni.

et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut extitisse, aut non vindicata esse videatur. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus 1) senties. Ad illa a) venio, quae non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem, ac turpitudinem, sed ad summam Reipublicae 2), atque ad omnium nostrum vitam, salutemque pertinent.

Potestne tibi hujus vitae haec lux, Catilina, aut hujus coeli spiritus esse jucundus, cum scias, horum esse neminem, qui nesciat, te pridie Kalendas Januarias 3) Lepido, et Tullo Consulibus, stetisse in

1) *Proximis idibus*) Quo die usuram creditae pecuniae foeneratori solvere necesse erat. Horat, Epod. II. 69. *Manus.*

2) *Sed ad summam Reipublicae*) Meus primus optimus et Pithoei rectissime scribit, *ad summam remp. Summa resp.* est res quae pertinet ad salutem totius Reip. Plautus in Mercatore,

„ Nam si isthuc jus est senecta aetate scortari senes,
„ Ubi loci res summa est nostra publica?

Vid. Gronov. ad Liv. 26. 10. *Graevius.*

3) *Pridie Kalendas Januar.*) M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo Coss. cum P. Autronius, et P. Cornelius Sylla Coss. designati, ambitus poenas dedissent; inque illorum locum L. Aurelius Cotta, L. Mallius Torquatus suffecti essent: Catilina, qui repetundarum reus a P. Clodio Pulchro factus, consulatum petere prohibitus esset, indignatione, et odio in Remp. accensus, cum Autronio, et Sylla, (certe quidem cum Autronio) aliisque nobilibus viris, consilium iniit interficiendi ad Kal. Jan. novos consules, restituendique consulatus iis, qui abdicare coacti erant, occupatamque Rempublicam pro sua libidine moderandi. Id consilium initum est Nonas Decemb. Ejus rei caussa, pridie Kal. Jan. Catilinam Cicero ait in comitio stetisse cum telo, tum, ut opinor, cum abeuntes magistratu consules ad Populum e Rostris ex more verba facerent. Postridie, cum M. Crassus, qui et ipse conjuraverat, mutato, ut creditur, consilio, non affuisset, ideoque C. Julius Caesar, ipse quoque ejus conjuratione particeps, signum, quod convenerat, non dedisset, (erat autem signum, ut togam de humero deji-

ANALYSIS.

a) *Ad illa*) Ultimo, quae machinatus est in Remp.

comitio cum telo? manum, Consulum, et principum Civitatis interficiendorum caussa, paravisse? sceleri, ac furori tuo non mentem aliquam, aut timorem tuum, sed fortunam Populi Romani obstitisse. Ac jam illa omitto: neque enim sunt aut obscura, aut non multa postea commissa. Quoties tu me designatum, quoties me Consulem interficere conatus es? Quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione, et, ut ajunt, corpore effugi? Nihil agis, nihil assequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore: neque tamen conari, ac velle desistis. Quoties jam tibi extorta est sica ista de manibus? quoties vero excidit casu alio, et elapsa est? Tamen ea carere diutius non potes: quae quidem quibus abs te initiata sacris 1), ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas Consulis in corpore defigere.

VII. Nunc vero a), quae tua est ista vita? sic enim jam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti b) paullo ante in Senatum.

ceret) res ulterius progressa non est: sed dilata in Non. Feb. Tum quoque aliquod amicum P. R. nomen effecit, ut Catilina, priusquam armati convenissent, signum daret. Id P. R. saluti fuit. Haec e Sallustio, Asconio, Suetonioque collegi. *Muretus.*

1) *Quibus abs te initiata sacris)* Sententia est. Ita te geris, ut vovisse videaris alicui Deo, te sicam illam in Consulis corpore defixurum. Hac enim Cottam primo, et Torquatum, deinde me Consulem saepe jam e medio tollere conatus es. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Nunc vero) Assumptionis* alteram partem de communi odio, et metu probat *ab Effectibus* tali Syllogismo:

„ In eum summum est omnium odium, et metus, quem
„ nemo salutat, et omnes fugiunt;
„ Sed te venientem in Senatum nemo salutavit, aut esse tibi vicinus voluit;
„ Ergo ita omnes te oderunt, ut nihil te Romae delectare possit.

b) *Venisti) Assumptio.*

Quis te ex hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis, ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, cum sis gravissimo Judicio taciturnitatis oppressus? Quid, quod adventu tuo ista subsellia, vacua facta sunt? quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt simulatque assedisti, partem istam subselliorum nudam, atque inanem reliquerunt? Quod tandem a) animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercule mei si me isto pacto metuerunt, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquenda putarem: tu tibi Urbem non arbitraris? et, si me b) meis civibus injuria suspectum tam graviter, atque offensum viderem: carere me adspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem. Tu cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium justum, et jam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes, sensusque vulneras, eorum aspectum, praesentiamque vitare? Si te c) parentes timerent, atque odissent tui, neque eos ulla oratione placare posses: ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes. Nunc te patria, quae communis est omnium nostrum parens, odit, ac metuit, et jamdiu de te nihil judicat, nisi de parricidio suo cogitare. Huus tu neque auctoritatem verebere, neque Judicium

ANALYSIS.

a) *Quo tandem*) Eam vero amplificat triplici *Comparatione*; prima est hujusmodi:

„ Si me mei servi sic timerent, meam ipse domum relinquerem,

„ Ergo tu multo magis Urbe relinquere, quem Cives omnes metuunt.

b) *Et, si me*) Secunda *Comparatio* ita se habet:

„ Ego exirem ex Urbe, si me omnes metuerent, licet nullo meo merito;

„ Ergo tu multo magis cum justissimum sit omnium in te odium, et metus.

c) *Si te*) Tertia *Comparatio* ducta a Parentibus:

„ Si te parentes tui odissent, eorum adspectum vitares;

„ Ergo multo magis Civium, qui te omnes oderunt.

sequere, neque vim pertimesces? Quae tecum a), Catilina, sic agit 1), et quodammodo tacita loquitur: Nullum jam tot annos facinus extitit, nisi per te: nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio, direptioque sociorum, impunita fuit, ac libera: tu non solum ad negligendas leges 2), ac quaestiones, verum etiam ad evertendas, perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli. Nunc vero me totam esse in metu propter te unum: quidquid increpuerit, Catilinam timeri; nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat; non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.

VIII. Haec si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiam si vim adhibere non

1) *Quae tecum, Catilina, sic agit)* Longe pulcherrimum exemplum προσωποποιΐας quam vel conformationem, vel personae fictionem Latine vocare possumus. Porro et hoc, et alterum, quod in hac ipsa oratione reperiemus, et illud Appii Caeci in oratione pro Caelio, puto ad imitationem Platonis efficta esse, qui hoc modo Leges in Critone, veteres Athenienses pro patria mortuos in Menexeno loquentes introduxerat. *Idem.*

2) *Tun non solum ad negligendas leges*) Negligit leges, ac quaestiones qui earum metu a peccando non continetur, easdem perfringit, qui, cum in judicium adductus, manifesto teneatur, aliqua tamen vis elabitur. Catilina autem primum accusatus fuerat repetundarum, Lepido, et Tullo Coss. atque absolutus per praevaricationem accusatoris P. Clodii: deinde etiam caedis, Consulibus Caesare, et Figulo, ut est apud Dionem, et tunc quoque absolutus, Hoc quoque ipso tempore interrogatus erat lege Plautia ab L. Paulo. Sallustius. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Quae tecum*) Per *Prosopopoejam* Patriam inducit utramque *Assumptionis* partem repetentem, nimirum tum Catilinae scelera, tum communem de eo metum, et discessum ab Urbe suadentem.

possit? Quid? quod a), tu te ipse in custodiam dedisti? Quid? quod, vitandae suspicionis caussa, apud M. Lepidum 1) te habitare velle dixisti? a quo non receptus, etiam ad me venire ausus es: ut domi meae te asservarem, rogasti. Cum a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem moenibus contineremur, ad Q. Metellum Praetorem 2) venisti. A quo repudiatus, ad sodalem tuum, virum optimum 3), M. Marcellum 4) demigrasti: quem tu videlicet et ad custodiendum te, diligentissimum, et ad suspicandum, sagacissimum, et ad vindicandum, fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere, atque a vinculis abesse debere, qui se ipsum jam dignum custodia judicaverit?

Quae cum ita b) sint, Catilina, dubitas, si hic emori 5) aequo animo non potes, abire in aliquas

1) *M. Lepidum*) Qui consulatum cum Volcatio gesserat. *Idem*.

2) *Q. Metellum Praetorem*) Q. Caecilium Metellum Celerem dicit: qui, biennio de more interjecto, consulatum postea cum L. Afranio gessit. *Idem*.

3) *Virum optimum*) Ironiam esse, annotat Fabius I. 9. Et sane, quomodo idem Catilinae sodalis, et vir optimus esse potuisset? *Idem*.

4) *M. Marcellum*) Constat, non esse eumdem, quem paullo post, virum fortissimum vocat: id est, eum pro quo extat oratio ad Caesarem. Opinor, hunc M. Marcellum illius C. Marcelli, de quo in Sextiana defensione mentio est, patrem fuisse. *Idem*.

5) *Emori*) Ita Victorius. Sententia est: Si non potes a te impetrare, ut hic moriaris, sive manus tibi ipse inferens, sive aliena manu utens, fuge fuge hinc in solitudinem. *Graevius*. Alii numero plurimi cum Mureto: *morari*.

ANALYSIS.

a) *Quid? quod*) Eamdem *Assumptionem* sic a testimonio ipsius Catilinae confirmat:

„ Ille se et scelestum, et omnibus terribilem fatetur,
„ qui se custodia dignum judicat.
„ Sed ipse Catilina se ipse multis in custodiam dedit:
„ Ergo ipse se et scelestum, et omnibus terribilem judi-
„ cavit.

„ *Assumptio*„ praecedit, ac deinde sequitur Propositio.

b) *Quae cum ita*) *Complexio* Syllogismi universalis.

terras, et vitam istam multis suppliciis justis, debitisque ereptam, fuge solitudinique mandare? Refer a), inquis ad Senatum (id enim postulas) si hic ordo placere sibi decreverit, te ire in exilium obtemperaturum te esse dicis. Non referam id, quod abhorret a meis moribus: et tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te sentiant. Egredere ex Urbe, Catilina: libera Rempublicam metu: in exilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere. Quid est b), Catilina? ecquid attendis, ecquid animadvertis horum silentium? Patiuntur, tacent. Quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis?

At si hoc c) idem huic adolescenti optimo, P. Sextio 1), si fortissimo M. Marcello 2), dixissem: jam mihi Consuli hoc ipso in templo, jure optimo Senatus vim, et manus intulisset. De te autem, Catilina, cum quiescunt: probant: cum patiuntur, decernunt: cum tacent, clamant. Neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima: sed etiam illi Equites Romani honestissimi, atque optimi viri, ceterique fortissimi cives, qui circumstant Senatum: quorum tu et frequentiam videre, et studia perspicere, et voces paullo ante exaudire potuisti: quorum ego vix abs te jamdiu manus, ac tela con-

1) *P. Sextio)* P. Sextio Gallo, Quaestori C. Antonii Consulis, pro quo exstat Ciceronis oratio. *Idem.*

2) *M. Marcello)* Hic ille est, ut ante dixi, quem postea apud Caesarem defendit Cicero. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Refer)* Catilinae petenti Senatus decretum de suo exilio hoc modo respondet:

„ Qui tacent, probant, et decernunt:

„ Sed me jubente, te in exilium ire, Senatus tacet:

„ Ergo tuum exilium probat, et decernit.

b) *Quid est) Assumptio* cum *Complexione.*

c) *At si hoc Propositionis* approbatio *a Dissimili*; probant enim de Catilina tacendo; quia si aliis dicerem idem, nullo modo tacerent.

tineo: eosdem facile adducam, ut te haec, quae jampridem vastare studes, relinquentem, usque ad portas prosequantur 1).

IX. Quamquam a) quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut umquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? ut ullum tu exilium cogites? Utinam tibi istam mentem Dii immortales donarent? tametsi video, si mea voce perterritus ire in exilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed est mihi tanti, dummodo ista privata sit calamitas, et a Reipublicae periculis sejungatur. Sed tu ut vitiis tuis commoveare, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus Reipublicae concedas, non est postulandum. Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocarit.

Quamobrem b), ut saepe jam dixi, proficiscere: ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam; recta perge in exilium: vix feram sermones hominum, si id feceris; vix molem istius invidiae, si in exilium ieris jussu Consulis, sustinebo. Sin autem servire meae laudi, et gloriae mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu: confer te ad Mallium: concita perditos cives: secerne te a bonis,

1) *Usque ad portas prosequantur)* Mos antiquus erat prosequendi eos, qui in exilium abirent. Sic in oratione, quae proxime hanc sequitur. *Vel emisimus; vel ipsum egredientem Urbe prosequuti sumus*: Idem.

ANALYSIS.

a) *Quanquam) Correctio:* non eum esse Catilinam, qui admoneri possit, et exilium cogitet vel amore Patriae, vel metu suppliciorum. Simul suam Cicero in Remp. benevolentiam profitetur, qui subire invidiam non recuset, ut Resp. salva sit.

b) *Quamobrem)* Repetit summam adhortationis, et proficisci jubet vel in exilium, ut Consuli inimico invidiam patet: vel ad Mallium: hoc autem sic pertractat ab *Adiunctis*:

infer patriae bellum: exsulta impio latrocinio, ut a me non ejectus, ad alienos; sed invitatus ad tuos isse videaris.

Quamquam a) quid ego te invitem, a quo jam sciam esse praemissos, qui tibi ad forum Aurelium 1) praestolarentur armati? sciam pactam, et constitutam esse cum Mallio diem? a quo etiam aquilam illam argenteam 2), quam tibi, ac tuis omnibus perniciosam esse confido, et funestam futuram, cui domi tuae sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse praemissam? Tu ut illa b) diutius carere possit, quam venerari, ad caedem proficiscens, solebas? a cujus altaribus saepe istam dexteram impiam ad necem civium transtulisti?

1) *Ad forum Aurelium*) Est is locus prope laevam Arminiae, sive Floris amnis ripam, vulgari nunc vocabulo *Monte Alto*, oppidum satis celebre. Nomen, et originem habuit ab Aurelio quodam, qui Aureliam viam a Roma Pisas usque, sub initium haud dubie subactae a Romanis Etruriae, stravit. Quis autem fuerit ille Aurelius incertum est. *Gluver*. Ital. antiq. lib.11.cap.2.

2) *Aquilam illam Argenteam*) Romanorum legionum proprium signum fuisse aquilam, constat. Cum autem legio divideretur in decem cohortes: prima cujusque legionis cohors semper suscipiebat aquilam: ut est apud Vegetium. Erat autem aquila parvum facellum, sive, ut Cicero hic loquitur, sacrarium, in quo inerat aquilae effigies, vel argentea, ut hic videmus, vel aurea. Id facellum hastae impositum ex inferiore parte acutae, quo in terram defigi posset, portabat is, qui *Aquilifer* dicebatur. Narrat Dio lib. 40. Aquilas autem illas divino cultu affici solitas esse, et ea quae modo recitavit indicant, et Ciceronis hoc loco verba confirmant. *Muret*.

ANALYSIS.

„ Illuc quamprimum ire debes, quo te, et voluntas „ tua, et natura invitat:

„ Sed in castra Mallii te tum voluntas, tum natura tua, „ invitat:

„ Ergo illuc te quamprimum conferre debes.

a) *Quamquam*) Prima pars *Assumptionis*, et ea refert, ex quibus patebat, Catilinam decrevisse ire in Malliana castra.

b) *Tu ut illa*) Secunda pars, nam et sua carere Aquila Catilina diutius non poterat, et semper bellum concupierat, et inter sui similes futurus erat, et ad hoc se jam per tot annos comperaverat.

X. Ibis tandem aliquando, quo te jampridem tua ista cupiditas effraenata, ac furiosa rapiebat. Neque eum tibi haec res affert dolorem, sed quamdam incredibilem voluptatem. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Numquam tu non modo otium, sed ne bellum quidem, nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis, conflatam improborum manum.

Hic tu qua laetitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in voluptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam, neque videbis? Ad hujus vitae studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui jacere humi, non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum: vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis occisorum 1). Habes ubi ostentes illam praeclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium: quibus te brevi tempore confectum esse senties. Tantum profeci tum, cum te a consulatu repuli, ut exul potius tentare, quam Consul vexare Rempublicam posses: atque ut id, quod esset a te scelerate susceptum, latrocinium potius, quam bellum nominaretur.

TERTIA PARS.

XI. Nunc, ut a) a me, Patres Conscripti, quamdam prope justam patriae querimoniam detester, ac

1) *Verum etiam bonis occisorum)* Qui sunt occisi, et a quo sunt occisi? Forte quos jam pro occisis habebant. Sed omnes quatuor libri, quos evolvi, et Pith. exscerpta, *Bonis otiosorum*, hoc est, in pace, tranquille viventium. Sic quoque P. Manutii editio. *Otium* est pax Ciceroni, *otiosus* in pace vivens, pacisque cupidus. Dies noctesque cogitat ut bello civili moto illis, qui pacem malebant, bona eripiat, et sibi vindicet. *Graevius.*

ANALYSIS.

a) *Nunc, ut)* *Prolepsis* per *Prosopopoejam* in ipsum Ciceronem, quae talis est:

deprecer: percipite, quaeso diligenter, quae dicam et ea penitus animis vestris, mentibusque mandate. Etenim, si mecum patria, quae mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis Respublica loquatur: M. Tulli, quid agis a)? tu ne eum, quem esse hostem comperisti, quam ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis auctorem sceleris, principem conjurationis, evocatorem servorum, et civium perditorum, exire patieris, ut abs te non emissus ex Urbe: sed immissus in Urbem esse videatur? Nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari 1)

1) *Mactari*. Usum quemdam hujus verbi, paucis, ut arbitror, dotum, quem ante hos decem annos annotavi, et publice docui, cum etiam tum adolescentulus, Limini, quod Pictonum oppidum est, et humaniorum literarum, et juris civilis studiis florentissimum, Amphitruonem Plautinam enarrarem, tradere hoc loco instituí; simulque locum Plautinum, a quibusdam, qui eum non intelligebant, corruptum, declarare. Mactare igitur hostiam alicui Deo, usitate dicimus: ut,
„ Caelicolum Regi mactabam in littore taurum.
At mactare Deum quempiam aliqua hostia, minus saepe usitatum illud quidem, sed tamen a veteribus dictum esse constat. Atque inde jocandi occasionem arripuit Plautus; apud quem Mercurius, Sosiae forma, cum Amphitruonem advenientem ludificaretur, et a foribus repelleret multis ultro citroque jactis conviciis, ad postremum ita eum alloquitur. *Sacrifico ego tibi*. Cumque miratus Amphitruo subiunxisset. *Qui*? respondet ille. *Quia enim te macto infortunio*. Ubi jocus est, dixi, e vocabuli ambiguitate quaesitus. Nam cum mactare aliquem, interdum sit, ei sacrificare, ad hanc verbi notionem Mercurius respiciens, ei se sacrificaturum pollicetur. At postea illudens: pro hostiae nomine, ponit vo-

ANALYSIS.

„ Reprehendendus est Consul, qui hostem Patriae, cum
„ possit, non interficit;
„ Sed Catilina hostis est Patriae;
„ Ergo non debet Cicero Consul eum intactum dimittere.

a) *Quid agis? Assumptio* cum *Complexione*.

imperabis! Quid tandem a) impedit te? mosne majorum? At persaepe etiam privati in hac Republica perniciosos cives morte multarunt. An leges b), quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt? at numquam in hac Urbe ii, qui a Republica defecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam c) posteritatis times? praeclaram vero Populo Romano refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione majorum, tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam, aut alicujus periculi metum, salutem civium tuorum negligis. Sed, si quis est invidiae metus, num est vehementium severitatis, ac fortitudinis invidia, quam inertiae, ac nequitiae pertimescenda? An, cum bello vastabitur Italia, vexabuntur Urbes, tecta ardebunt: tum te non existimas invidiae incendio conflagraturum?

XII. His ego d) sanctissimis Reipublicae vocibus

cem, *infortunio*. Quid autem sit, *mactare infortunio*, nemo nescit. Hoc qui non intelligebant, corruperunt, et versum, et sententiam, adjectis duabus voculis, hoc modo: *Sacrifico ego hunc tibi, Jupiter.* Ejusdem autem locutionis exemplum est in interrogatione in Vatinium: *Cum inaudita, ac nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis Deos manes mactare soleas*. At extra hos duos locos, haud scio, an ullum praeterea illius exemplum in veterum scriptis reperiatur. *Muretus.*

ANALYSIS.

a) *Quid tandem)* *Propositionis* approbatio a remotione trium *Caussarum* quarum primam sumptam a more majorum refellit *ab Exemplis.*

b) *An leges)* Secundum a legibus Porcia, et Sempronia, de quibus dictum est Orat. pro Rabirio, *ab interpretatione* ipsarum legum.

c) *An invidiam)* Tertiam ab invidia consequutura diluit, tum *ab Adjunctis*, quod Cicero tot ornatus beneficiis a Populo, illius negligere salutem non deberet; tum *a Contrariis*, quod sibi multo major inertiae, et nequitiae invidia subeunda sit, si Catilinam dimittat, quam severitatis, eodem interfecto.

d) *His ego)* *Prolepsi* respondet argumento *ab Effectibus*:

„ Si utilius esset Reip. interfici Catilinam, quam ejici,
„ eum statim interfecissem;

et eorum hominum, qui idem sentiunt, mentibus pauca respondebo. Ego, si a) hoc optimum 1) factu judicarem, Patres Conscripti, Catilinam morte multari: unius usuram horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim si summi viri, et clarissimi cives, Saturnini, et Gracchorum, et Flacci, et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt: certe verendum mihi non erat ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiae mihi in posteritatem redundaret. Quod si ea mihi maxime impenderet: tamen hoc animo semper fui, ut invidiam virtute partam, gloriam 2), non invidiam putarem.

1) *Ego, si hoc optimum*) Dissolutio propositae argumentationis, quae quidem propositionibus duabus, earumque rationibus continetur. Prior propositio. Ego si id e Repub. fore judicassem, Catilinam nulla interjecta mora, morte multassem. Ratio. Non enim metuerem ne ulla tam pulchrum facinus invidia sequeretur. Quod si aliter caderet tamen gloriam eam potius quam invidiam, ducerem. Altera propositio: Sed satius esse duco, ut emittatur. Ratio: Quoniam, eo, interfecto, video fore, ut hoc malum reprimatur tantum paulisper: ejecto autem, et profligato cum suis, ut in perpetuum comprimatur. *Idem*.

2) *Invidiam virtute, partam gloriam*) Potestne virtus invidiam parere? Atqui si invidia aut odium est, aut quoddam odium, virtutem autem etiam vitiosi amant; quomodo e virtute potest invidia existere? Sed tamen et Pindarus alicubi queritur, et exempla, docent, et communis omnium vox, quam ego quidem pro oraculo habentem esse duco, clamat, pulcherrimis factis invidiam plerumque comitari. Demus igitur nos aliquantisper huic cogitationi: est enim res digna cognitu Hujuscemodi autem disputationes qui non amant, praetereant. Ego, quando hic, ut poetae loquuntur, menti calor incidit, sequar eum, quocumque ducet: et vel mihi ut dicitur, canam, et Musis, vel iis quibus paullo προσωποποιια; ingenium est, serviam quaeramque, quae sit

ANALYSIS.

„ Sed utilius est ejici Catilinam, quam interfici:

„ Ergo optimo consilio ejicio eum potius, quam interficio.

a) *Ego, si) Propositio*, quam probat *ab Exemplis*, de quibus in prima parte; invidiam autem vel nullam inde sibi futuram fuisse: vel cum gloria conjunctam.

Quamquam a) nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quae imminent, non videant; aut ea, quae

origo invidiae, quae natura: qui, quibus, et quas ob res invideant: tum sint ea, quae quasi cursum invidiae sistant. Atque hinc ordior. Omnes affectus ab ingenito cuique ipsius sui amore proficiscuntur. Hic unus quasi fons ceterorum omnium est. Quia enim amat se quisque, idcirco quae sibi bona esse, vel scit, vel putat, ea et absentia desiderat, et objecta persequitur, eorumque tum adeptione, conservatione, amplificatione gaudet, tum contrariis rebus ostenditur. Malorum autem contraria ratio est. Atque hoc quidem principium disputationis ponatur a nobis, sumaturque hoc loco, quasi concessum: longiorem enim orationem requirit. Cum igitur sibi quisque carissimus sit, fit, ut se omnibus bonis ornatum, ac florentem videre cupiat: aegreque ferat, si quid ejus generis in alio videat, quod in se desideret. Haec origo, quasique radix invidiae est. Dolent autem, aut quod ipsi careant eo, quod alius habeat: aut quod alius habeat id, quo ipsi careant. Interestque inter haec. Nam qui dolet, quod ipsa careat, dolet malo suo: qui, quod alius habeat, alieno bono. Itaque ea demum invidia est, non quod tu careas: sed, quod alius habeat, dolere. Quod si progrediatur affectus hic etiam longius, ut doleas, id boni esse alii, quod tibi quoque sit: haec jam non invidia est, sed illa, quam Graeci ξηλοτυπιαν Cicero obtrectationem vocat. Non igitur invidus est, qui alium formosum, valentem, opulentum, eruditum, πολυφιλον videns, dolet se quoque talem non esse. Hac enim ratione omnes invidi essemus: sed cui hoc ipsum per se aegre est, quod haec in alio sint, is demum est invidere censendus. Neque vero proprie invidia odium est: sed est tamen quiddam odio affine. Nam et odisse homines sceleratos dicimur: quibus non invidemus: et odium vel ex injuria accepta, opinata, exspectata, vel ex opinione aliqua pravitatis, et sceleris nascitur: cum invidia longe alios habeat fontes, et odium interdum laudabile: est: invidia numquam: et qui odit, male esse vult: qui invidet, non male omnino sed aliquando minus bene. Ut si domus in vicino posita aedium tuarum luminibus officiat, non eam quidem funditus exscisam, sed illam tantum partem, quae tibi molesta est, sublatam velis. Quamquam in hac similitudine hoc dissimile est, quod invidus iis, quae nihil ipsi officiunt, alienis prosperitatibus affligitur. Invidiam

ANALYSIS.

a) *Quamquam*) Obiter aliam caussam affert, cur non interfecerit Catilinam: quod eo interfecto, omnes, qui conjurationem factam non crederent, crudeliter, et regie factum esse dicerent; contra, ubi eum ejectum in castris ; [illegible]anis viderint.

vident, dissimulent; qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt, conjurationemque nascentem non

tamen odium quoddam plerumque comitatur. Ideoque ipsum invidiae nomen interdum pro odio ponitur. Ac quoniam imminutio boni, malum quodammodo est, alienis malis gaudere dicitur: unde illud poetae:

Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.

Eleganterque Dio quemdam, qui hoc morbo laborabat ridentem conspicatus, *Huiccine*, inquit, *boni quid contigisse dicam: an alii cuspiam aliquid mali?* Optimus tamen et dicendi, et sentiendi magister Aristoteles ista distinguit, ut aliud φθονον vocet, aliud επιχαιρεκακιαν. Cum autem invidia dolor quidam sit, et dolor omnis fodicet, atque exedat eum in quo est: merito dicitur, ipsam invidiam esse supplicium sibi. Nunc qui, quibus, et propter quae fere invideant, strictim explicemus. Invident igitur, non qui sua sorte contenti sunt: (nam etiam Poetae, in quorum scriptis longe verissima omnium affectum expressio est, cum amoribus suis secure fruuntur, negant se vel Jovi invidere) Sed qui semper majus aliquid requirunt, quales praecipue sunt ambitiosi, atque avari. Illi enim quicquid ad gloriam, hi quicquid ad opes accedit alienas, sibi quodammodo detrahi credunt. Invidet etiam fere inferiores superioribus: unde dictum est. *Summa petit livor*, non tamen iis qui longo intervallo superiores sunt, ut Diis aut Regibus. Neque procul remotis, ut Scythae Persis: sed et ejusdem artificii homines inter se. Unde est apud Hesiodum, *Figulus figulo:* quod tamen ita intelligendum est: si gloriam ex eo studio, aut pecuniam aucupentur. Alioqui enim similitudo studiorum, amoris, potius caussa est: nonnumquam etiam superiores inferioribus, ut Crassus, et ceteri nobiles crescenti adhuc Ciceronis gloriae invidebant. Et novis potius, quam nobilibus: juvenibus potius, quam aetate provectis. Ut enim ignis exoriens plurimum fumum, ita maximam invidiam gloria exoriens excitat. Quo pertinet Themistoclis dictum, qui adolescens dicebat, ex eo se intelligere, nihildum a se splendide gestum, quod nondum invidiae dente peteretur. Magnam etiam invidiam facit ostentatio sui, vereque scripsit Euripides, το σεμνον esse omnibus odiosum. Et aequales aequalibus, et nobiles, nobilibus omninoque pares paribus ideo facile invident, quia aut antevertere ipsi aliis volunt, aut, ne alii sibi antevertant, timent. Et iis, qui tradita sibi potentia immodice utuntur. Cujusmodi invidiam, in Catilinae caussa Cicero metuebat. Omnino autem invident aut felicitatem, aut partem aliquam felicitatis. Quocirca sapienter Pindarus κρεσσων οικτιρμων φθονος Vereque vulgo dici solet tribus ex optimis rebus tres pessimas oriri: e veritate odium, e familiaritate, contemptum

credendo corroboraverunt. Quorum auctoritatem sequuti multi, non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem crudeliter, et regie factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste, quo intendit in Malliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat conjurationem esse factam: neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem a) uno interfecto, intelligo hanc Reipublicae pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quod si se ejecerit, secumque suos eduxerit, et eodem ceteros undique collectos naufra-

e felicitate invidiam. Invident autem non tam virtutem, quam praemia virtutis, ut opes, honores, imperia. Nemo enim suam fortitudinem invidit Regulo: aut Deciis at Ciceronis consulatus maximam invidiam habuit. At tum maxime accenditur invidia, cum genere, aut ejusmodi re aliqua superiori gloria ab inferiore praeripitur. Itaque haec interdum vel exitii caussa est, ut Gobriae filio contigit. Non igitur αρισος invidiam parit virtus: sed virtus gloriam invidiam gloria. Vitatur autem invidia, si te modeste et aes qualiter cum aliis geras, numquam te illis, ut ait Comicus anteponens. Muniuntur, etiam si non omnia tibi uno quasi tenero procedant. Ægre ferunt enim homines, aut unum prae ceteris exscellere, aut, uni, quasi fortunae filio, omnia prospere succedere: Saepeque sapientes viri in secundissimis rebus aliquid sibi evenire incommodi optarunt. Hoc est enim, quod dicitur, invidiae sanguinem mittere. Terminatur autem sine dubio quidem morte: unde ilia,

„ Pascitur in vivis livor: post fata quiescit, et
„ diram qui contudit Hydram,
„ Comperit invidiam supremo fine domari.

Sed et confirmata jam, et ad summum perducta gloria invidiam extinguit. Sic enim et aucto jam igne fumus evanescit, et Sol ad summum caeli evectus minimam umbram efficit. Quamlibet multa, aut innumera potius possem in hoc argumento dicere. Sed haec ipsa, vereor, ne nimium multa sint. Quae tamen quoquo modo accipientur a lectoribus, juvat, ut ait Poeta, indulsisse furori. *Muretus.*

ANALYSIS.

a) *Hoc autem Assumptio*, quam tali ratione confirmat:
„ Utilius est Reip. conjurationem omnem extingui,
„ quam conjurationis principem tantummodo;
„ Sed interfecto Catilina, reliqui Conjurati supererunt,
„ ejecto, omnes peribunt;
„ Ergo utilius est Reip. ejici Catilinam, quam interfici.

gos aggregaverit: extinguetur, atque delebitur non modo haec tam adulta Reipublicae pestis, verum etiam stirpes, ac semen malorum omnium.

XIII. Etenim a) jamdiu, Patres Conscripti, in his periculis conjurationis, insidiisque versamur, sed nescio quo pacto omnium scelerum, ac veteris furoris, et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quod si ex tanto latrocinio iste unus tolletur: videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura, et metu esse relevati: periculum autem residebit, et erit inclusum penitus in venis, atque in visceribus Reipublicae. Ut saepe homines aegri morbo gravi, cum aestu, febrique jactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius, vehementiusque afflictantur: sic hic morbus qui est in Republica, relevatus istius poena, vehementius vivis reliquis ingravescet.

Quare b): Patres Conscripti, secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur: muro denique, id quod saepe jam dixi, secernantur a nobis: desinant insidiari domi suae Consuli, circumstare tribunal Praetoris Urbani: obsidere cum gladiis curiam, malleolos 1) et faces ad inflammandam comparare. Sit denique inscriptum in fronte uniuscujusque civis, quid de Republica sentiat. Polliceor hoc vobis, Patres Conscripti, tantam in nobis Consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in Equitibus Romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consentionem, ut Catilinae profectione omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse videatis.

1) *Malleolos*) Vide Vegetium lib. 4. cap. 18. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Etenim Assumptionis* prima pars probatur a magnitudine Conjurationis, quae Cicerone Consule summe aucta fuerat, et illustratur *a simili*.

b) *Quare*) Secundae partis approbatio, quia ejectus Catilina alios quosdam ex Conjuratis secum educet, et qui remanserint, facilius Consulum vigilantia opprimentur.

Hisce hominibus a), Catilina, cum summa Reipublicae salute, et cum tua peste, ac pernicie: cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere, parricidioque junxerunt, proficiscere ad impium bellum, ac nefarium. Tum tu, Juppiter, qui iisdem, quibus haec Urbs, auspiciis a Romulo es constitutus; Quem Senatorem hujus Urbis atque imperii vere nominamus: hunc, et hujus socios a tuis aris, ceterisque templis, a tectis Urbis, ac moenibus, a vita, fortunisque civium omnium arcebis: et omnes inimicos bonorum, hostes patriae, latrones Italiae, scelerum foedere inter se, ac nefaria societate conjunctos, aeternis suppliciis vivos, mortuosque mactabis.

ANALYSIS.

a) *Hisce hominibus*) Concludit per duplicem *Apostrophen*, et ad Catilinam, ut secum suos omnes educat, et ad Jovem, ut contra eorum furorem Remp. tueatur.

ORATIONIS SECUNDAE

IN L. CATILINAM

AD QUIRITES.

SYNOPSIS

ORATIO

TRes sunt hujusce Orationis partes, *Exordium*, *Contentio*, *et Peroratio*; ipsa autem *Contentio*; duplex est.

Exordium est gratulatio quaedam de Catilina ejecto *ab Adjunctis*, quod Ducem hostium emiserit, incolumi Civitate: *Tandem aliquando*.

Contentionis prima pars duplicem habet *Prolepsin* quarum alteram de ejecto potius, quam interfecto Catilina diluit tum *ab Adjunctis*, quia multi conjurationem non crederent. *At: si quis est talis*; tam *ab Effectibus*, quod id esset Reip. utilius. *Ac si sublato illo*. Deinde, si exeant reliqui etiam conjurati, multo magis probat *a Comparatione minorum*, id fore Reip. salutare: *O fortunatam*.

Alteram *Prolepsin* de pulso in exilium Catilina diluit *a Repugnantibus*, quod ille jam constituerat ad bellum proficisci. *At etiam sunt Quirites*.

In secunda *Contentionis* parte sex enumerat hominum genera, qui Catilinae favebant: *Sed cur tamdiu* et comparantur copiae utriusque partis, *Instruite nunc, Quirites*.

In *Peroratione* ad custodiam Urbis Populum hortatur: *Quae cum ita sint*; et supplicium conjuratis minatur: *Nunc illos, qui in Urbe*.

EXORDIUM.

I. TAndem a) aliquando 1), Quirites, L. Catilinam, furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis atque huic Urbi ferrum flammamque minitantem ex Urbe vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem 2) verbis prosequuti sumus 3). Abiit, excessit, evasit, erupit 4).

1) *Tandem aliquando)* Perterrefactus superiori oratio, ne Catilina, ex Urbe sese, intempesta nocte, cum paucis ut ait Sallustius: cum trecentis, ut ait Plutarchus, conjuratis eduxerat. Postridie Cicero, cum Senatum habiturus esset, interim dum Senatores convenirent hanc orationem ad Populum e Rostris habuit. *Muretus.*

2) *Vel ipsum egredientem)* Ejicimur nolentes, emittimur volentes: sed utrumque ab alio: egredimur autem ipsi per nos. Ejectus igitur Catilina. Nolebat enim exire, donec Ciceronem oppressisset. Vel potius emissus. Qui enim sua omnia consilia erui e tenebris, et e privatae domus parietibus in lucem erumpere videret, in Urbe tuto esse posse se non putabat. Vel potius neque ejectus, neque emissus est, sed per se egressus. Nihil enim erat ei longius, quam ut esset in Mallii castris. *Idem.*

3) *Prosecuti sumus)* Qua de consuetudine a nobis superius dictum est. Non tamen ita hoc dicit, quasi revera Catilinam prosecutus fuerit: sed tantum hoc genere loquendi significa,t nullam exeunti ei vim adhibitam fuisse. *Idem.*

4) *Abiit, excessit, evasit, erupit)* Non est congeries idem significantium: sed crescit veluti per gradus oratio. *Excessit*, plus est quam *abiit*. *Evasit*, tamquam ex eo loco, in quo jam sine periculo versari nequiret. *Erupit*, cum impetu quodam, et alacritate animi gestientis pervenire in Mallii castra. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Tandem)* Exordii loco est gratulatio de Catilina ejecto quae sic se habet *ab Adjunctis*.

„ Salutare, et gloriosum est Reip. ducem belli ejici Ur-
„ be, incolumi Civitate:
„ Sed ducem belli nefarie emisimus Urbe incolumi Civi-
„ tate: Ergo id gloriosum, et salutare est Reip. adeoque
„ gratulatione dignum.

Assumptio amplificatur *ab Adjunctis* personae, loci, et consiliorum.

Nulla jam pernicies a monstro illo, atque prodigio moenibus ipsis intra moenia comparabitur. Atque hunc quidem unum hujus belli domestici ducem sine controversia 1) vicimus. Non enim jam inter latera nostra sica illa versabitur: non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domesticos parietes pertimescemus. Loco ille motus est 2), cum est ex Urbe depulsus. Palam jam cum hoste, nullo impediente, bellum justum geremus. Sine dubio perdidimus hominem, magnificeque vicimus; cum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjecimus. Quod vero a) non cruentum mucronem, ut voluit, extulit, quod vivis nobis egressus est, quod ei ferrum de manibus extorsimus, quod incolumes cives, quod stantem Urbem reliquit: quanto tandem illum moerore affectum esse, et profligatum putatis? Jacet ille nunc prostratus, Quirites, et se perculsum atque abjectum esse sentit, et retorquet oculos profecto saepe ad hanc Urbem: quam ex sui faucibus ereptam esse luget. Quae quidem laetari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit, forasque projecerit.

1) *Sine controversia*) Non est, ut quidam exponit, ne ipso quidem Catilina repugnante. Sed idem valet, quod paullo post, *sine dubio*, et infra: *sine dubitatione* ἀντεχ:ω:. *Idem.*

2 *Loco ille motus est*) Id est, de statu dejectus. Quem enim locum sibi quisque ad dimicandum cepit, is et a Graecis ςασις, et a Latinis status dicitur. Unde Ciceroni in controversiis forensibus status vocatur, in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Quod vero*) Propositionis secunda pars probatur *a Contrariis*: si enim Civitas incolumis maximo dolori est Catilinae, gaudio bonis omnibus esse debet: ex Arist. lib. 1. cap. 6. tex. 78.

CONTENTIONIS I. PARS.

II. At si quis a) est talis 1) quales esse omnes oportebat, qui in hoc ipso, in quo exultat, et triumphat oratio mea, me vehementer accuset, quod tam capitalem hostem non comprehenderim potius, quam emiserim, non est ista mea culpa, Quirites, sed temporum. Interemptum esse L. Catilinam, et gravissimo supplicio affectum, jampridem oportebat: idque a me et mos majorum, et hujus imperii severitas, et Respublica postulabat. Sed quam multos fuisse putatis 2), qui, quae ego deferrem, non crederent? quam mul-

1) *At quis est talis*) Nunc ingreditur ad declarandam rationem consilii sui: cur non interficiendum potius, quam emittendum esse Catilinam duxerit. Artificiose autem facit, ut non modo non improbet, sed magnopere etiam laudet eorum sententiam, qui eum interfici debuisse dicebant; et tamen ab omni reprehensione se liberet. Tale enim dilemma afferri adversus Ciceronem poterat. Aut conjuravit Catilina, aut non conjuravit. Si conjuravit; interficiendus fuit. Si non conjuravit, ne ejiciendus quidem. Hic ita respondet, ut illum interfici debuisse fateatur, sed ostendat, tamen magis e Republica fuisse, ut emitteretur. *Idem.*

2) *Sed quam multos fuisse putatis*) Tria hominum genera ponit, in quorum invidiam incursurus erat, si Catilinam interfecisset. Unum eorum, qui ipsum Catilinae inimicum esse, propterea quod eum in consulatu acerbum competitorem habuerat, putabant: Ideoque: quae ab ipso deferrentur, non credebant, quod ad odio proficisci existimaret. Alterum eorum qui ita stulti erant, ut non putarent, aut etiam ut defenderent. Tertium denique improborum hominum, qui Catilinae conatibus, et inceptionibus favebant. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *At si quis*) Prima igitur Prolepsis est de ejecto potius quam interfecto Catilina, cui respondet ut supra Orat. 1 sic *ab Adjunctis*:

„ Non debui Catilinam interficere, si multi conjuratio-
„ nem non crederent, et multi Catilinae faverent:
„ Sed a me delata multi non credebant, et multi fave-
„ bant Catilinae:
„ Ergo eum interficere non debui.

Assumptio solum habetur, *Propositionis* autem approbatio est in fine hujusce partis.

tos, qui propter stultitiam non putarent? quam multos, qui etiam defenderent? quam multos, qui propter improbitatem faverent? Ac si a), sublato illo, depelli a vobis omne periculum judicarem: jam pridem ego L. Catilinam non modo invidiae meae 1), verum etiam vitae periculo sustulissem. Sed cum b) viderem, ne vobis quidem omnibus re etiam tum probata, si illum, ut erat meritus, morte multassem, fore, ut ejus socios invidia oppressus persequi non possem: rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possetis, cum hostem aperte videretis.

Quem quidem c) ego hostem, Quirites, quam vehementer foris esse timendum putem, licet hinc in-

1) *Invidiae meae*) Qua mihi inviderctur, non qua ego aliis inviderem. Sic infra: *Invidiae meae levandae caussa*. Utroque autem modo dici invidiam, ipsemet docuit quarto Tusculanarum. Ego vero video, multa quoque alia nomina a veteribus eo modo usurpata esse. Utilitas enim mea saepe quidem est ea, quam ego percipio: sed interdum ea quoque, quae ex me percipitur. Terentius Eunucho:

In ea re utilitatem ego faciam ut cognoscas meam.

Cicero ad Tironem: *Utilitatibus tuis possum carere: te valere, tua caussa primum volo, tum meae, mi Tiro.* Sic negligentia tua, qua tu negligeris, odium tuum, quo te alius prosequitur. Terentius:

Nam neque negligentia tua, neque odio id fecit tuo.

Sic insidiae alicujus, non quas ipse tendit, sed quae ipsi tenduntur, Cicero pro Caelio: *Quod in alicujus agrestis periculo non praetermitteret, id, homo eruditus, in insidiis doctissimi hominis dissimulandum putaret?* Multa his consimilia reperiet, si quis accurate observare voluerit. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Ac si*) Deinde eodem utitur argumento, quo supra *ab Effectibus*, cujus *Assumptionem* hac ratione confirmat:

„ Magis timendum est a reliquis Conjuratis in Urbe tuto „ remanentibus, quam ab uno ejecto Catilina:

„ Sed Catilina interfecto, caeteri tuto in Urbe fuissent.

„ Ergo utilius fuit Reip. ejici Catilinam, quam interfici:

b) *Sed cum*) Assumptio cum Complexione.

c) *Quem quidem*) Propositio generaliter probatur tum a Ciceronis confidentia, tum a Comparatione eorum qui exierant cum Catilina, et eorum, qui in Urbe remanserant.

telligatis quod illud etiam moleste fero, quod ex Urbe parum comitatus exierit. Utinam ille omnes secum suas copias eduxisset! Tongillum mihi eduxit 1), quem amare in praetexta calumnia coeperat 2); Publicium, et Munatium, quorum aes alienum contractum in popina nullum Reipublicae motum afferre poterat: reliquit quos viros! quanto alieno aere; quam valentes, quam nobiles!

III. Itaque a) ego illum exercitum, pro Gallicanis

1) *Tongillum mihi eduxit*) Illud, *mihi*, ad sententiam nihil, ad sermonis elegantiam, et, ut ita dixerim, urbanitatem longe plurimum adjungit. Sic infra, *Qui mihi accubante in conviviis*. Et pro Murena, *Apud exercitum mihi fueris, inquit, tot annos*. Terentius Phormione, act. V. sc. VIII. 21 *Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senses*. Idem.

2) *Amare in praetexta calumnia coeperat*) Ita reperio etiam in calamo exaratis libris. Neque tamen dubium est, quin ea vox aut omnino redundet, aut aliquo modo corrupta sit. Ego certi nihil pronutiare audeo. *Idem*. Quidam emendarunt, *quem amare praetextatum in Gallia coeperat*. Ursinus. Credam a Cicerone scriptum, *infamare*, donec verisimilius quidpiam oriatur e mss. *Buberius*. *Calumnia*, id est, simulato amore. *Ernestus* Opinatus sum aliquando Ciceronem scripsisse: *Quem armare, in praetexta, calumnia coeperat*. Hoc sensu: Quem jam a tenera aetate, et adhuc adolescentulum Catilina ad omnen calumniandi artem formare coeperat; quique adeo vexandis per falsas criminationes innocentibus viris assuefactus timeri fortasse possit in foro, in pugna et acie non possit. Quin Latinum sit *amare calumnia*, non dubitabit, qui legerit, aut legisse meminerit, *Armare accusatorem omnibus rebus*: *Perditos magistratus Deorum immortalium religione armare*: *Temeritatem concitatae multitudinis auctoritate publica armare*. *Armatus audacia, ingenio*. Quae omnia Ciceronis sunt: ut etiam, *Armare eloquentia*. *Uno versiculo armati Consules etc.* Catilina porro, quod narrat Sallustius, *de B. C. cap.* 26. et amplificat Cicero; *pro Coelio, cap.* 5. *et* 6., homo erat omnium artium et adolescentes, quos illexerat, ad caedes, et facinora, vel, si qui nimis imbelles forent certe ad fraudes, et ad calumniam forensem exercebat. Sic restituta in locum, unde exciderat, una dumtaxat literula, hanc puto salebram posse complanari. *Odinus*.

ANALYSIS.

a) *Itaque*) Haec est approbatio ejusdem quoad secundam partem, et comparando copias Reip. cum exercitu Catilinae, ostendit eum facile posse vinci.

legionibus, et hoc delectu, quem in agro Piceno, et Gallico Q. Metellus 1) habuit, et his copiis, quae a nobis quotidie comparantur, magnopere contemno; collectum ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, ex rusticis decoctoribus: ex iis qui vadimonia deserere 2), quam illum exercitum, maluerunt: quibus ego non modo si aciem exercitus nostri, verum etiam si edictum Praetoris ostendero, concident. Hos, quos a) video volitare in foro, quos stare ad curiam quos etiam in Senatu venire, qui nitent unguentis, qui fulgent purpura 3), mallem secum suos milites eduxisset, qui si hic permanent, mementote non tam exercitum illum esse nobis, quam hos, qui exercitum deseruerunt, pertimescendos.

1) *Q. Metellus)* Missi sunt Praetores, Q. Pompejus Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum hisque permissum uti pro tempore, atque periculo exercitum compararent. Haec Sallustius. E quibus constat de delectu, quem habuit Metellus in Piceno. De Gallico autem, e Dione cognoscitur: qui narrat, cum Senatus Provincias decrevisset Consulibus Macedoniam, et Galliam: Ciceronique Macedonia, quae lucrosior erat, obtigisset: Ciceronem sponte eam concessisse C. Antonio, ut hominem magno aere alieno ob idque non alienum a suspicione conjurationis, oblata, lucri spe, ad bonas partes adducere. Ac ne ipsum quidem in Galliam ivisse, sed, cum sibi sumpsisset Urbis custodiam, eo Q. Metellum misisse. Atque hoc est, quod Cicero tam saepe a se Provinciam Reipub. caussa praetermissam fuisse jactat. *Muretus.*

2) *Vadimonia deserere)* Vadimonium deserere, est, quem diem tu alium aliusve te vadatus fuerit, eum diem non obire. In desertores autem vadimonii, poena infamiae constituta erat: et in eorum bona creditores a Praetore mittebantur. *Idem.*

3) *Qui fulgent purpura)* Significat Senatores esse. Solo enim Senatores purpuream tunicam lato clavo insignem ferebant. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Hos, quos)* Prima pars Propositionis approbata a temeritate Conjuratorum, qui non dubitent in forum, et in Curiam venire, licet omnia conjurationis consilia patefacta esse plane intelligant.

Atque hoc etiam sunt timendi magis, quod, quid cogitent, me scire sentiunt, neque tamen permoventur. Video, cui Apulia sit attributa, qui habeat Etruriam, qui agrum Picenum, qui Gallicum, qui sibi has urbanas insidias caedis, atque incendiorum depoposcerit. Omnia superioris noctis 1) consilia ad me perlata esse sentiunt: patefeci in Senatu hesterno die; Catilina ipse pertimuit, profugit: hi quid exspectant? nae illi a) vehementer errant, si illam meam pristinam lenitatem perpetuam superant futuram.

IV. Quod exspectavi, jam sum assequutus, ut vos omnes factam esse aperte conjurationem contra Rempublicam videretis. Nisi vero si quis est, qui Catilinae similes cum Catilina sentire non putet. Non est jam lenitati locus: severitatem res ipsa flagitat. Unum etiam nunc concedam: exeant, proficiscantur, ne patiantur desiderio sui Catilinam miserum tabescere. Demonstrabo iter: Aurelia via profectus est. Si accelerare volent, ad vesperam consequentur. O fortunatam b) Rempublicam, si quidem hanc sentinam hujus Urbis ejecerit! Uno c) mehercule Catilina exhausto relevata mihi, et recreata Respublica videtur. Quid enim mali, aut sceleris fingi, aut excogitari

1) *Superioris noctis*) Non intelligit eam noctem, quae proxime antecesserat. Neque enim convenire, quod statim subjungit, *Patefeci in Senatu hesterno die*. Idem.

ANALYSIS.

a) *Nae illi*) Hinc minis adhibitis, reliquos etiam Conjuratos hortatur, ut ad Catilinam proficiscantur, quo magis appareat, ejectum Catilinam a se contemni.

b) *O fortunatam*) Cum ab ejecto Catilina, ejusque exercitum nullum imminere periculum Reip. supra ostenderit, et reliquos etiam Conjuratos exire jusserit; hoc salutare Civitati futurum probat *a Comparatione minorum*: „ Uno ejecto Catilina, relevata, et recreata Resp. videtur: „ Ergo caeteris etiam emissis, longe optima erit Reip. „ conditio.

c) *Uno*) Primam partem amplificat a sceleribus Catilinae, qui cum ipse omnia facinora patraret, ad eadem etiam alios incenderet.

potest, quod non ille conceperit? Quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius; quis parricida, quis testamentorum subjector 1), circumscriptor 2), quis ganeo, quis nepos, qui adulter, quae mulier infamis, quis corruptor juventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri potest, qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur? Quae caedes per hosce annos sine illo facta est? quod nefarium stuprum non per illum? Jam vero quae tanta in ullo umquam homine juventutis illecebra fuit, quanta in illo? qui alios ipse amabat turpissime: aliorum amori flagitiosissime serviebat: aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum, non modo impellendo, verum etiam adjuvando, pollicebatur. Nunc vero quam subito non solum ex Urbe, verum etiam ex agris ingentem numerum perditorum hominum collegerat? Nemo, non modo Romae, sed nec ullo in angulo totius Italiae oppressus aere alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris foedus adsciverit.

V. Atque, ut ejus diversa studia 3) in dissimili ratione perspicere possitis, nemo est in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinae esse fateatur: nemo in scena levior, et nequior, qui se non ejusdem prope sodalem fuisse commemoret. Atque idem tamen, stuprorum, et scelerum exercitatione assuefactus, frigore, et fame, et siti, ac vigiliis, perferendis fortis ab istis praedicabatur, cum industriae subsidia, atque instrumenta virtutis in libidine, audaciaque consumeret.

1) *Testamentorum subjector*) Ut Graecis ὑποβάλλειν, ita Latinis, *subjicere* est interdum falsum et adulterinum quippiam veri, ac germani loco supponere. *Idem.*

2) *Circumscriptor*) Qui inducendi, ac circumveniendi homines, quasi artificium quoddam tenet. Hoc quoque a Graecis sumptum, quibus περιγράφειν interdum valet, decipere. *Idem.*

3) *Diversa studia*) Vide Orat. pro Caelio, cap. 5 et 6.

Hunc vero a) si sui fuerint comites sequuti: si ex Urbe exierint desperatorum hominum flagitiosi greges; o nos beatos, o Rempublicam fortunatam, o praeclaram laudem Consulatus mei! Non enim jam sunt mediocres hominum libidines, non humanae audaciae ac tollerandae: nihil cogitant, nisi caedes, nisi incendia, nisi rapinas: patrimonia sua profuderunt, fortunas suas obligurierunt 1); res eos jampridem, fides deficere nuper coepit: eadem tamen illa, quae erat in abundantia, libido permanet. Quod si in vino, et alea comessationes solum, et scorta quaererent, essent illi quidem desperandi, sed tamen essent ferendi. Hoc vero quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos, prudentissimis, ebriosos 2) sobriis, dormientes vigilantibus? qui mihi accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, conferti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis caedem bonorum, atque Urbis incendia.

Quibus ego b) confido impendere fatum aliquod: et poenas jamdiu improbitati, nequitiae, sceleri, libidini debitas, aut instare jam plane, aut certe jam appropinquare. Quos si meus Consulatus, quoniam sanare non potest, sustulerit: non brevi nescio quod tem-

1) *Obligurierunt)* Unus e veteribus libris, *abligurierunt*. Idque fortasse verius est. Nam obliguriendi verbum non memini alibi legere. *Muretus.*

2) *Ebriosos)* Omnes ad unum libri veteres, *ebrios*. Quod valde probo. Ut enim dormiens vigilandi, ita ebrius sobrio opponitur. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Hunc vero)* Alteram partem a pravis Conjuratorum consiliis, et effraenata libidine *per Comparationem contrariorum.*

b) *Quibus ego)* Rursus in eos minas adhibet, ut vel perniciosa consilia abjiciant, vel ad suum Catilinam proficiscantur.

pus, sed multa saecula propagarit Reipublicae. Nulla est enim natio, quam pertimescamus: nullus Rex, qui bellum Populo Romano facere possit. Omnia sunt externa, unius 1) virtute, terra, marique pacata. Domesticum bellum manet: intus insidiae sunt: intus inclusum periculum est: intus est hostis. Cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum est. Huic ego me bello ducem profiteor, Quirites: suspicio inimicitias hominum perditorum. Quae sanari poterunt, quacumque ratione sanabo. Quae resecanda erunt, non patiar ad perniciem Civitatis manare. Proinde aut exeant, aut quiescant: aut si et in Urbe, et in eadem mente permanent; ea, quae merenter exspectent.

VI. At etiam a) sunt, Quirites, qui dicant a me in exilium ejectunt esse Catilinam. Quod ego b) si verbo assequi possem, istos ipsos ejicerem, qui haec loquuntur. Homo enim c) videlicet timidus, et permodestus vocem Consulis ferre non potuit: simul atque ire in exilium jussus est, paruit, quievit 2).

Hesterno die d) cum domi meae pene interfectus essem, Senatum in aedem Jovis Statoris convocavi: rem omnem ad Patres Conscriptos detuli. Quo cum Catilina venisset: quis eum Senator appellavit? quis salutavit? quis denique ita aspexit, ut perditum ci-

1) *Unius*) Cn. Pompeji.

2) *Paruit, quievit*) Verissimam hujus loci scripturam retinuit solus Duisburgensis: *Paruit, ivit. Hesterno*, etc. *Graevius.*

ANALYSIS.

a) *At etiam*) Altera Prolepsis, quod indemnatum Catilinam Cicero ejecerit in exilium: cui multipliciter ipse respondet.

b) *Quod ego*) 1. Quia non ea est Ciceronis auctoritas, ut verbo Civem possit in exilium pellere, idque probat ab impotentia quoad alios.

c) *Homo enim*) 2. A Catilinae ferocia, qui nunquam imperio Consulis ut pareret, exilium praeelegisset.

d) *Hesterno die*) 3. A testimonio Patrum, qui antea jam hostem Patriae Catilinam reipsa judicaverant.

vem, ac non potius ut importunissimum hostem? Quia etiam principes ejus ordinis partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat, nudam, atque inanem reliquerunt. Hic ego a) vehemens ille Consul, qui verbo cives in exilium ejicio, quaesivi a Catilina, an nocturno conventu apud M. Leccam fuisset, necne. Cum ille homo audacissimus, conscientia convictus, primo reticuisset: patefeci cetera. Quid ea nocte egisset, ubi fuisset, quid proximam constituisset, quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta, edocui. Cum haesitaret, cum teneretur; quesivi quid dubitaret eo proficisci, quo jampridem, pararat: cum arma, cum secures, cum fasces, cum tubas, cum signa militaria, cum Aquilam illam argenteam, cui ille etiam sacrarium scelerum domi suae fecerat, scirem esse praemissam. In exilium ejiciebam, quem jam ingressum esse in bellum videbam? Etenim, credo, Mallius iste centurio, qui in agro Fesulano castra posuit, bellum Populo Romano suo nomine indixit: et illa castra nunc non Catilinam ducem exspectant, et ille ejectus in exilium, se Massiliam ut ajunt, non in haec castra conferet.

VII. O conditionem b) miseram, non modo administrandae, verum etiam conservandae Reipublicae! Nunc, si L. Catilina, consiliis, laboribus, periculis meis circumclusus, ac debilitatus, subito pertimuerit sententiam mutaverit, deseruerit suos, consilium belli

ANALYSIS.

a) *Hic ego*) 4. Commemoratis, quae a Catilina eo die in Senatu sciscitatus fuerat, sic arguit *a Repugnantibus*:
„ Eum Cicero ex Urbe non ejecit, qui jam Urbe egre-
„ di constituerat:
„ Sed Catilina ex Urbe in Malliana Castra proficisci
„ constituerat:
„ Ergo eum Cicero ex Urbe non ejecit.

b) *O conditionem*) Postquam Assumptionem illustravit, suam sortem dolet, cui maxima impendeat invidia, si revera Catilina perterritur deponat belli consilia, et abeat in exilium.

faciendi abjecerit, ex hoc cursu sceleris, et belli, iter ad fugam, atque in exilium converterit: non ille a me spoliatus armis audaciae, non obstupefactus, ac perterritus mea diligentia non de spe, conatuque depulsus, sed indemnatus, innocens, in exilium ejectus a Consule, vi, et minis esse dicetur: et erunt qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed miserum: me non diligentissimum Consulem, sed crudelissimum tyrannum existimari velint. Est mihi a) tanti, Quirites, hujus invidiae falsae, atque iniquae tempestatem subire, dummodo a vobis hujus horribilis belli, ac nefarii periculum depellatur. Dicatur sane ejectus esse a me, dummodo eat in exilium. Sed mihi credito, non est iturus. Numquam ego a Diis immortalibus optabo, Quirites, invidiae meae levandae caussa, ut L. Catilinam ducere exercitum hostium, atque in armis volitare audiatis: sed triduo tamen audietis: multoquo magis illud timeo, ne mihi sit invidiosum aliquando, quod illum emiserim potius, quam quod ejecerim. Sed cum b) sint homines, qui illum, cum profectus sit, ejectum esse dicant, iidem, si interfectus esset, qui dicerent?

Quamquam isti, qui Catilinam Massiliam ire dictitant: non tam hoc queruntur, quam verentur. Nemo est istorum tam misericors, qui illum non ad Mallium, quam ad Massilienses ire malit. Ille autem c) si mehercule hoc quod egit, numquam ante

ANALYSIS.

a) *Est mihi*) Quam tamen invidiam non recusat Reip. caussa: licet non in exilium iturus sit Catilina, sed ad Mallium in Castra:

b) *Sed cum)* Haec est *Propositionis* approbatio *a Comparatione minorum*, responsionis primae ad primam *Prolepsin*.

„ Bellum potius, quam exilium Catilina eligeret, licet
„ numquam antea bellum cogitasset:
„ Ergo multo magis, cum per tot annos hoc idem bel-
„ lum meditetur.

cogitasset, tamen latrocinantem se interfici mallet, quam exulem vivere. Nunc vero, cum ei nihil adhuc praeter ipsius voluntatem, cogitationemque acciderit, nisi quod vivis nobis Roma profectus est: optemus potius, ut eat in exilium, quam queramur.

CONTENTIONIS II. PARS.

XIII. Sed cur a) tamdiu de uno hoste loquimur, et de eo hoste, qui jam fatetur se esse hostem: et quem, quia, quod semper volui, murus interest, non timeo: de his, qui dissimulant, qui Romae remanent, qui nobiscum sunt, nihil dicimus? Quos quidem ego, si ullo modo fieri posset, non tam ulcisci studeo, quam sanare, et ipsos placare Reipublicae. Neque, id quare non possit, si me audire volent, intelligo. Exsponam enim vobis, Quirites, ex quibus generibus hominum istae copiae comparentur: deinde singulis medicinam consilii, atque orationis meae, si quam potero, efferam.

Unum genus b) est eorum 1), qui magno in aere alieno, majores etiam possessiones habent: quarum amore adducti, dissolvi nullo modo possunt. Horum hominum species est honestissima: sunt enim locu-

1) *Unum genus est eorum*) Sex e generibus hominum Catilinae copias conflatas esse dicit: de quibus singulis ordine videbimus: Primi sunt, locupletes, obaerati, amantes possessionum. His consilii dat, ut, divendita aliqua parte possessionum, dissolvant ea, quae debent. Quod ut etiam cogantur facere, tabulas auctionarias propositurum se esse profitetur. *Muretus*.

ANALYSIS.

a) *Sed cur*) Transit ad enumerandos reliquos Conjuratos, quorum sex diversa genera recenset: quibus deinde longe potiores Reip. copias opponit.

b) *Unum genus*) Primum genus eorum, qui magnas possessiones, quas habent, nolunt vendere, ut creditoribus satisfaciant, eosque minime timendos esse ait.

plebes: voluntas vero, et caussa impudentissima. Tu agris, tu aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus, et copiosus sis: et dubites de possessione detrahere, acquirere ad fidem? Quid enim exspectas? bellum? quid? ergo in vastatione omnium, tuas possessiones sacrosanctas futuras putas 1)? An tabulas novas 3)? errant, qui istas a Catilina expectant. Meo beneficio tabulae novae proferentur, verum auctionariae. Neque enim isti, qui possessiones habent, alia ratione ulla salvi esse possunt. Quod si maturius facere voluisset, neque (id quod stultissimum est) certare cum usuris fructibus 3) praediorum; et locupletioribus his, et melioribus civibus uteremur. Sed hosce homines minime puto pertimescendos, quod aut deduci de sententia possunt; aut, si permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra Rempublicam, quam arma laturi.

IX. Alterum a) genus est eorum 4), qui quamquam

1) *Tuas possessiones sacrosanctas futuras putas?*) Sacrosanctas, intactas dicit, et ab omni iujuria tutas. Sic sacrosancta potestas Tribunorum Plebis, qui non sine capitali piaculo attingi violenter poterant. G. *Budaeus*, *Annot*: *prior in Pandect.*

2) *Tabulas novas*) In tabulis argentariorum perscribebatur, quid cuique quisque acceptum, expensumve ferret. Catilina igitur, qui videret magnum in Civitate aes alienum esse, pollicebatur, se publice incensurum omnes argentariorum tabulas, ita ut nemo, quod aeris alieni antea contraxisset, persolvere cogeretur. *Muretus.*

3) *Certare cum usuris fructibus)* Est velle usuras sortis creditae solvere fructibus, seu redditibus, quos capimus ex fundis, possessionibus nostris cum tamen usurae fructus praediorum superent. *Graevius.*

4) *Alterum genus est eorum)* In secunda quasi cohorte Catilinariae legionis ponit eos, qui cum aere alieno obruti essent, ad honores tamen, et imperia quoquo modo pervenire cupiebant. Ideoque studebant novis rebus, quod facile cerneret, se quieta Rep. numquam ea, quae optabant, consecuturos. *Muretus.*

ANALYSIS.

a) *Alterum*) Secundum genus eorum, qui perturbata Rep. honores sperant, quos eadem quieta se consequi posse desperant, illos autem manifesti erroris, in quo errant, admonet.

praemuntur aere alieno, dominationem tamen exspectant: rerum potiri volunt: honores, quos quieta Republica desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur. Quibus hoc praecipiendum videtur, unum scilicet et idem, quod ceteris omnibus, ut desperent se id quod conantur, consequi posse. Primum omnium me ipsum vigilare, adesse, providere Reipublicae: deinde magnos animos esse in bonis viris, magnam concordiam, maximam multitudinem, magnas praeterea militum copias: Deos denique immortales huic invicto Populo clarissimo imperio, pulcherrimae Urbi, contra tantam vim sceleris, praesentes auxilium esse laturos. Quod si jam sint id, quod cum summo furore cupiunt, adepti: num illi in cinere Urbis, et sanguine civium, quae mente, conscelerata, ac nefaria concupierunt, se Consules ac Dictatores, aut etiam Reges sperant futuros? non vident id se cupere, quod si adepti fuerint, fugitivo alicui, aut gladiatori concedi sit necesse 1)?

Tertium a) genus a) est aetate jam affectum, sed tamen exercitatione robustum: quo ex genere est ipse Mallius, cui nunc Catilina succedit. Hi sunt homines ex iis Coloniis, quas Fesulis Sylla constituit 3): quas ego universas civium esse optimorum, et for-

1) *Concedi sit necesse*) Si Catilina, quod optabat, consequutus fuisset, sine dubio tradidisset honores, mandassetque imperia, non iis qui votis tantum ipsi favissent, spectatoresque se otiosos praebuissent, sed iis quorum in bello gerendo virtutem, et industriam expertus esset. *Idem.*

2) *Tertium genus*) Duo priora genera erant eorum, qui favebant quidem conjurationi, sed ita tamen, ut arma non caperent: neque ad exercitum proficiscerentur. Haec, quae nunc enumerat, eorum sunt, qui in exercitu erant. *Idem.*

3) *Quas Fesulis Sylla constituit*) Puto, vocem *Fesulis*, delendam esse. Non enim plures Colonias Sylla Fe-

ANALYSIS.

a) *Tertium*) Tertio loco sunt Syllani coloni, qui magno aere alieno premuntur, et quidam agrestes homines ab iisdem Concitati.

tissimorum virorum sentio: tamen hi sunt coloni, qui se insperatis, repentinisque pecuniis sumptuosius, insolentiusque jactarunt. Hi dum aedificant, tamquam beati: dum praediis, lecticis, familiis magnis, conviviis apparatis delectantur, in tantum aes alienum inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sylla sit iis ab inferis excitandus. Qui etiam nonnullos agrestes, homines tenues, atque egentes, in eandem illam spem rapinarum veterum impulerunt. Quos ego utrosque, Quirites, in eodem genere praedatorum, direptorumque pono. Sed eos haec moneo, desinant furere, ac proscriptiones, et dictaturas cogitare. Tantus enim illorum temporum dolor inustus est civitati, ut jam ista non modo homines, sed ne pecudes quidem mihi passurae esse videantur.

X. Quartum a) genus 1) est sane varium, et mistum, et turbulentum: qui jampridem praemuntur: qui numquam emergent: qui partim inertia, partim male gerendo negotio, partim etiam sumptibus, in vetere aere alieno vacillant: qui vadimoniis, judiciis, proscriptionibus bonorum 2) defatigati, permulti, et

sulis constiterat. Ac suspicor, errori occasionem praebitam e similitudine, quae est inter hunc locum, et alium quemdam e sequenti oratione, ubi Cicero de P. Furio loquens: *Qui*, inquit, *est ex iis colonis quos Fesulas L. Sylla deduxit.* Imperiti enim, qui ibi Fesulas nominari viderent, hic quoque nominandas putarunt. *Idem*.

1) *Quartum genus)* Primum genus, obaerati, amantes possessionum. Secundum, obaerati, honorum cupidi. Tertum, Syllani milites. Quartum, urbani decoctores. Quintum, scelerati, sicarii, parricidae. Sextum, impuri, et impudici. *Idem.*

2) *Vadimoniis, judiciis, proscriptionibus bonornm)*. Praeclarus ordo. Primum enim vadatur creditor debitorem. Si debitor vadimonium deseruerit, judicium adversus eum datur: mittit urque creditor in possessionem. Si per triginta dies bona possessa fuerint, proscribuntur. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Quartum)* Eorum, qui in vetere sunt aere alieno, et honeste vivere non possunt, quos Cicero omnino contemnit.

ex Urbe, et ex agris se in illa castra conferre dicuntur. Hosce ego non tam milites acres, quam insidiatores lentos esse arbitror. Qui homines primum si stare non possunt, corruant: sed ita, ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant. Nam illud non intelligo, quamobrem, si vivere honeste non possunt, perire turpiter velint: aut cur minore dolore perituros se cum multis, quam si soli pereant, arbitrentur.

Quintum a) genus est parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum: quos ego a Catilina non revoco. Nam neque divelli ab eo possunt: et pereant sane in latrocinio, quoniam sunt ita multi, ut eos capere carcer non possit.

Postremum b) autem genus est, non solum numero, verum etiam genere ipso, atque vita: quod proprium est Catilinae, de ejus delectu, immo vero de complexu ejus, ac sinu: quos pexo capillo, nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis: manicatis, et talaribus tunicis 1): velis amictos, non togis 2): quorum omnis industria vitae, et vigilandi labor in anteculanis coenis exspromitur. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudicique versantur. Hi pueri tam lepidi, ac delicati, non solum amare, et amari, neque cantare, et * saltare, sed etiam sicas vibrare, et spargere venena didicerunt: qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiamsi Catilina perierit, scitote hoc in Republica se-

1) *Manicatis, et talaribus tunicis*) Quorum utrumque mulieribus permissum, viris vel maxime indecorum habebatur. Vide Gellium cap. 12. lib. 7. *Idem.*

2) *Velis amictos, non togis*) Togarum laxitatem, et tenuitatem significat. *Idem.*

* Vict. Man. *psallere.*

ANALYSIS.

a) *Quintum*) Sceleratorum Civium.

b) *Postremum*) Hoc ultimo genere continentur impudici Adolescentes, quos pariter deridet, quippe militiae, et laboribus impares.

minarium Catilinarium futurum. Veruntamen quid sibi isti miseri volunt? nam suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his praesertim jam noctibus? quo autem pacto illi Appenninum, atque illas pruinas, ac nives perferent? nisi idcirco se facilius hiemem toleraturos putant, quod nudi in conviviis saltare didicerunt. O bellum magnopere pertimescendum, cum hanc sit habiturus Catilina * scortorum cohortem Praetoriam 1)!

XI. Instruite a) nunc, Quirites, contra has tam praeclaras Catilinae copias vestra praesidia, vestrosque exercitus: et primum gladiatorii illi confecto, et saucio, Consules, Imperatoresque vestros opponite: deinde contra illam naufragorum ejectam, ac debilitatam manum, florem totius Italiae, ac robur educite. Jam vero Urbes Coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinae tumulis 2) sylvestribus. Neque vero ceteras copias, ornamenta, praesidia vestra, cum illius latronis inopia, atque egestate conferre debeo. Sed, si, omissis his rebus, omnibus, quibus nos suppeditamus, eget ille, Senatu, Equitibus Romanis, Populo, Urbe, aerario, vectigalibus, cuncta Italia, Provinciis omnibus, exteris nationibus: si, inquam, his rebus omissis, ipsas caussas, quae inter se confligunt, contendere velimus: ex eo ipso, quam valde illi ja-

* Vict. Man. Lam. Lambr. *scortatorum.*

1) *Cohortem Praetoriam* (Quam ipse Praetor, id est, imperator, perpetuo circa se habeat. *Muret.*

2) *Tumulis*) Tumulus a tumendo est. Ubi enim tumet terra, ibi tumultus dicitur. Sed in quibusdam veteribus libris hoc loco legitur, *cumulis*: quod fortasse verius sit; ut cumulos sylvestres vocet illam rusticorum hominum temere coacervatum, atque accumulatam manum. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Instruite*) Comparat utriusque partis Duces, Copias, Apparatum et caussas; ex quibus omnibus colligit, quantum Resp. praeset Catilinae, Hoc ad *Confidentiam* valet, ex Arist. lib. 2. cap. 5. tex. 5).

ceant, intelligere possumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: denique aequitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus: postremo copiae cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. In hujusmodi a) certamine, ac praelio, nonne, etiam si hominum studia deficiant, Dii ipsi immortales cogent ab his praeclarissimis virtutibus, tot, et tanta vitia superari.

PERORATIO.

XII. Quae cum ita b) sint, Quirites, vos quemadmodum jam antea dixi, vestra tecta custodiis, vigiliisque defendite: mihi, ut Urbi sine vestro motu, ac sine ullo tumultu, satis esset praesidii, consultum, ac provisum est. Coloni omnes, municipesque vestri, certiores a me facti de hac nocturna excursione Catilinae, facile Urbes suas, finesque defendent; gladiatores, quam sibi ille maximam manum, et certissimam fore putavit, quamquam meliore animo sunt, quam pars patriciorum, potestate tamen nostra continebuntur. Q. Metellus, quem ego prospiciens hoc, in agrum Gallicanum Picenumque praemisi, aut opprimet hominem, aut omnes ejus motus, conatusque prohibebit. Reliquis autem de rebus constituendis, maturandis, agendis, jam ad Senatum referemus quem vocari videtis.

ANALYSIS.

a) *In hujusmodi*) Ut majores animos Romanis ad infringendam Conjuratorum audaciam ipsorum Deorum opem iis pollicetur.

b) *Quae cum ita*) In Peroratione Populum hortatur ad Urbis custodiam, et quae ipse providerit, exponit.

Nunc illos a) qui in Urbe remanserunt, atque adeo qui contra Urbis salutem, omniumque vestrum, in Urbe a Catilina relicti sunt, quamquam sunt hostes, tamen quia nati sunt cives, monitos etiam atque etiam volo. Mea lenitas adhuc si cui solutior visa est, hoc exspectavit, ut id, quod latebat, erumperet. Quod reliquum est, jam non possum oblivisci, meam hanc esse patriam, me horum esse Consulem: mihi aut cum his vivendum, aut pro his esse moriendum. Nullus est portae custos: nullus insidiator viae: si qui exire volunt consulere sibi possunt. Qui vero in Urbe se commoverit, cujus ego non modo factum, sed inceptum ullnm conatumve contra patriam deprehendero: sentiet in hac Urbe esse Consules vigilantes, esse egregios magistratus esse fortem Senatum, esse arma, esse carcere, quem vindicem nefariorum, ac manifestorum scelerum majores nostri esse voluerunt.

XIII. Atque haec b) omnia sic agentur, Quirites, ut res maximae minimo motu, pericula summa nullo tumultu, bellum intestinum, ac domesticum, post hominum memoriam crudelissimum, ac maximum, me uno togato duce, et imperatore, sedetur. Quod ego sic administrabo, Quirites, ut si ullo modo fieri poterit, ne improbus quidem quisquam in hac Urbe poenam sui sceleris sufferat. Sed si vis manifestae audaciae, si impendens patriae periculum me necessario de hac animi lenitate deduxerint; illud profecto perficiam, quod in tanto, et tam insidioso bello vix optandum videtur, ut ne quis bonus intereat, paucorumque poena vos jam omnes salvi esse possitis.

ANALYSIS.

a) *Nunc illos)* Deinde Conjuratos admonet, ut vel desinant perniciem Patriae cogitare, vel exeant ad Catilinam; et minas adhibet.

b) *Atque haec)* Tandem promittit, se omnia administraturum nullo tumultu, et sine periculo bonorum Civium; *Confidentes* autem facit, quod Reip. Dii omnes auxilio sint; ex Arist. lib. 2. cap. 5. tex. 60.

Quae quidem ego neque mea prudentia, neque humanis consiliis fretus polliceor vobis, Quirites, sed multis, et non dubiis Deorum immortalium significationibus: quibus ego ducibus in hanc spem sententiamque sum ingressus: qui jam non procul, ut quondam solebant, ab extero hoste, atque longinquo, sed hic praesentes suo numine, atque auxilio suo templa, atque Urbis tecta defendunt: quos vos, Quirites, praecari, venerari, atque implorare debetis, ut, quam Urbem pulcherrimam, florentissimamque esse voluerunt, hanc omnibus hostium copiis, terra marique, superatis, a perditissimorum civium nefario scelere defendant.

PRO A. LICINIO ARCHIA

POETA

ORATIO

AGUMENTUM.

Archias, magni nominis Poeta, Antiochenus, Romam venit anno Urbis 648. et ab Heracliensibus civitate donatus in gratiam Luculli, Romanam etiam civitatem adeptus est lege Plautia Papiria, anno 661. Sed elapsis viginti et octo annis Gracchus quidam Archiae litem intendit de civitate, ex lege, ut opinor, Papiria. Cicero Archiam hac oratione defendit. *Ferratius.*

ORATIONIS SYNOPSIS.

Genus Orationis est *Judiciale*, an Archias sit Civis Romanus; partes quatuor: *Exordium, Narratio, Contentio, et Peroratio.*

Exordium sumitur ab officio; cui enim magis opituletur Eloquentia Ciceronis, quam Praeceptori suo? *Si quid est in me*; et veniam petit, ut sibi liceat uti novo genere dicendi. *Sed ne cui vestrum.*

In *Narratione* attingitur Archiae vita usque ad illud tempus, quo factus est Civis Hercaliensis; *Nam ut primum ex pueris.*

In prima *Contentionis* parte probat lege Plautia Papiria, Romanum Civem esse Archiam: *Data est Civitas*; et accusatoris objectum de Censu diluit: *Census nostros requiris.*

In secunda parte, ut ostendat, etsi Archias Civis non esset, asciscendum tamen fuisse, Poesin laudat triplici ratione; 1 *ab Effectibus*, quippe utilem ad remissionem animi, ad Eloquentiam, ad Reip. administrationem: *Quaeres a nobis Gracche*: 2. *a Comparatione* histrionum, rerumque sensu, aut ratione carentium: *Quis nostrum tam animo agresti*, 3. *ab Exemplis* eorum, qui Poetas ornarunt: *Homerum Colophonii.*

Addit Archiam eo magis esse ornandum, quod non solum Ducum, sed etiam Populi Romani universi laudes celebret: *Praesertim cum omne olim studium*; Caussam, cur ipse defendat Archiam, et affert, et probat: *Atque, ut id libentius faciatis.*

Peroratio habet *Epilogum* totius Orationis: *Quare conservate.*

EXORDIUM.

I. SI quid est a) in me ingenii, Judices, quod sentio quam sit exiguum: aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum: aut, si hujusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis, ac disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium, vel in primis hic A. Licinius 1) fructum a me repetere prope suo jure jubet. Nam quoad b) longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam re-

1) *A. Licinius*) Nomen ex Licinia gente sumpsit; cujus beneficio civis Romanus factus fuerat. Cur autem non etiam praenomen, incertum est. *Manut.*

ANALYSIS.

a) *Si quid est*) Exorditur ab officio suo, ut benevolentiam sibi Judicum conciliet, ex Arist. l. 2. c. 4. 1. 33. profitetur enim suam eloquentiam non alii magis quam Archiae auxilio esse debere, quod ita probat *a Caussis*.
„ Illi maxime Eloquentia mea prodesse debet, a quo ini-
„ tium caepit, et incrementum;
„ Sed hic est Archias;
„ Ergo Archiae maxime prodesse debet.

b) *Nam quoad*) Assumptio.

cordari ultimam 1), inde usque repetens, hunc video mihi principem et ad suscipiendam, et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. Quod si a) haec vox, hujus hortatu, praeceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit: a quo id accepimus, quo ceteris opitulari, et alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem, et salutem ferre debemus.

Ac, ne quis b) a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quaedam in hoc facultas sit ingenii, neque haec dicendi ratio, aut disciplina: ne nos quidem huic cuncti studio 2) penitus umquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quae ad humanitatem 3) pertinent, habent quoddam commune vinculum 4), et quasi cognatione quadam inter se continentur.

II. Sed ne cui c) vestrum mirum esse videatur,

1) *Memoriam recordari ultimam*) Id est primam, remotissimam. De hac voce plura in Orat *de Prov. Cons.*

2) *Ne nos quidem huic cuncti studio*) Tò cuncti magnas hic turbas dat. Quod enim est *cuncti*? At Festus cunctos negat dici nisi omnes conjunctos. Manutius exponit *cuncti* toti, ut sit, ne nos quidem toti quidem toti huic studio eloquentiae dediti sumus. Sed ne Carneades quidem mihi persuaserit *Cunctos* totos dici, et de uno homine, Libri Err. Memmii habent partim *cuncto*, quod respuo, partim *curae etc.* quod perspicue verum est. *Passerat.* Non male coreulum Galliae suae Claudius Puteanus *huisce uni studio*: sed mss. nihil mutant. Recepit id tamen in contextum Lambinus. *Gruterus.*

2) *Humanitatem*) Vide Gellium, lib. VIII. cap. 17.

4) *Commune vinculum*) Vide Cic. de Orat. III. 6. Vitruvium initio lib. 1. etc.

ANALYSIS.

a) *Quod si*) Propositio

b) *Ac, ne qui* Ad *Assumptionem* confirmandam occurrit tacitae *Prolepsi*, quasi Oratori nulla Poetae adjumenta afferre possint; respondet autem: omnes facultates humaniores habere inter se quamdam cognationem:

c) *Sed ne cui*) Deinde veniam petit, ut in hac caussa novo ipse dicendi genere uti possit, argumentum sic se habet *ab Adjunctis* personarum:

me in quaestione legitima 1), et in judicio publico, cum res agatur apud Praetorem Populi Romani, lectissimum virum, et apud severissimos 2) Judices, tanto conventu hominum, ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine judiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat: quaeso a vobis, ut in hac caussa mihi detis hanc veniam, accomodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam: ut me, pro summo Poeta, atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, hac vestra humanitate 3), hoc denique Praetore exercente judicium, patiamini de studiis humanitatis 4), ac literarum paullo loqui liberius, et in ejusmodi personae, quae propter otium ac studium minime in judiciis, periculisque tractata 5)

1) *Legitima)* De qua lex est, et quae lege exercetur, *Manutius.*

2) *Severissimos)* Apud quos extra caussam si quid affertur, locum habere non videtur. *Idem.*

3) *Hac vestra humanitate)* Literarum illarum scientia, de quibus mihi sermo futurus est. *Idem.*

4) *De studiis humanitatis)* Quae ad humanitatem informant, quae animos humanitate excolunt. Significatur autem historia in primis, et poetices. Nam utraque infra laudatur Gellius alias quoque disciplinas humanitatis nomine comprehendit, Cum eam conditionem vocat, et ait propemodum esse, quam παιδείαν Graeci dicunt; exemplis tamen valde probantibus non utitur. Et in hac ipsa oratione cum ait Cicero: *Ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet*: quid putemus? mathematicane, et physica significari? At haec Romae tum non colebantur: aut virili certe, aetate, non puerili: et omnino a perquam paucis. Quare, quod ad Gellii opinionem attinet, nec probare possum, nec improbare audeo, assensum libenter sustineo. *Idem.*

5) *Tractata)* Id est, Oratores ejusmodi personas in Ju

ANALYSIS.

Dicturus pro viro eruditissimo, apud Judices, Praeto-
„ rem, et Auditores literatissimos, liberiori, et novo di-
„ cendi genere uti debet;
„ Sed tales mihi Reus, Praetor, Judices, et Auditores
„ sunt;
„ Ergo liberiori, et novo dicendi genere uti possum.

est, uti prope novo quodam, et inusitato genere dicendi. Quod si mihi a) a vobis tribui, concedique sentiam: perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit civis, a numero civium: verum etiam, si non esset, putetis adsciscendum fuisse.

NARRATIO.

III. Nam ut b) primum ex pueris exscessit Archias, atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit: primum Antiochiae (nam ibi natus est, loco nobili, et celebri quondam Urbe, et copiosa, atque eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis affluenti)* celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Post in ceteris Asiae partibus, cunctaeque Graeciae, sic ejus adventus celebrabatur, ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admiratioque superaret. Erat Italia tunc plena Graecarum artium, ac disciplinarum: studiaque haec, et in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iisdem in oppidis: et hic Romae, propter tranquillitatem Reipublicae non negligebantur. Itaque hunc et Tarentini, et Rhegini, et Neapolitani, civitate, ceterisque praemiis donarunt: et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, cognitione, atque hospitio dignum existimarunt.

Hac tanta celebritate famae cum esset jam absen-

diciis non tractant, quia Poetae otium, studiumque sectantes, adduci non solent in judicium. *Passer.*

* Lamb. *celeriter ei, ut antecellere . . . contingit.*

a) *Quod si mihi*) Propositio totius Orationis in duas partes divisa.

b) *Nam ut*) Exponit breviter Archiae ingenium et famam, amicitias cum viris principibus, et ut ab Heracliensibus civitatem impetraverit.

tibus notus, Romam venit, Mario Consule, et Catulo. Nactus est primum Consules eos, quorum alter res ad scribendum maximas, alter cum res gestas, tum etiam studium, atque aures adhibere posset. Statim Luculli, cum praetextatus etiam tum Archias esset, eum domum suam receperunt: Sed etiam hoc non solum ingenii, ac literarum, verum etiam naturae, atque virtutis fuit, ut domus, quae hujus adolescentiae prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti. Erat temporibus illis jucundus Q. Metello illi Numidico, et ejus Pio filio: audiebatur a M. Aemilio: vivebat cum Q. Catulo, et patre, et filio; a L. Crasso colebatur; Lucullos vero, et Drusum, et Octavios, et Catonem, et totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine cum teneret, afficiebatur summo honore, quod eum non solum colebant, qui aliquid percipere, atque audire studebant, verum etiam, si qui forte simulabant.

IV. Interim satis longo intervallo, cum esset cum L. Lucullo in Siciliam 1) profectus, et cum ex ea Provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam; quae cum esset civitas aequissimo jure, ac foedere 2), adscribi se in eam civitatem voluit: idque, cum ipse per se dignus putaretur, tum auctoritate, et gratia Luculli ab Heracliensibus impetravit,

1) *Siciliam)* Ita Grut. et Graev. ex. mss. vulgo, *Ciliciam.*

2) *Æquissimo jure, ac foedere)* Videtur omnino significare, meliore quodam jure, ac foedere Heraclienses fuisse quam Tarentinos, Rheginos, Neapolitanos. Alioqui cur in eas adscribi cuperet Archias, quasi ceteris, in quos adscriptus antea fuerat, neglectis? quorum etiam tabulis Archiam non uti, quod semper se Heracliensem esse voluerit, infra dicit. *Manut.*

CONTENTIONIS I. PARS.

Data est a) civitas Sylvani lege, et Carbonis, *Si qui faederatis civitatibus adscripti fuissent: si tum, cum lex ferebatur, in Italiam domicilium habuissent: et, Si sexaginta diebus* 1) *apud Praetorem essent professi*. Cum hic domicilium Romae multos jam annos haberet, professus est apud Praetorem, Q. Metellum, familiarissimum suum.

Si nihil b) aliud, nisi de civitate, ac lege 2) dicimus, nihil dico amplius: caussa dicta est. Quid enim horum infirmari, Gracche, potest? Heracleae ne c) esse tum adscriptum negabis? Adest vir summa auctoritate, et religione, et fide L. Lucullus, qui se non opinari, sed scire: non audivisse, sed vidisse: non interfuisse, sed agis se dicit. Adsunt Heraclienses legati, nobilissimi homines: hujus judicii caussa, cum mandatis, et cum publico testimonio venerunt: qui hunc adscriptum Heracliensem dicunt;

1) *Sexaginta diebus)* Non est per sexaginta dies continuos profiteri, quo quid absurdius? nec post sexaginta dies, ut Lambinus conatur reponere, sed intra sexaginta dies. Dati autem sexaginta dies, ut ii qui longius abessent, satis scilicet haberet temporis, quo Romam venirent ad profitendum. Profitetur qui edit aliquid, et publice testatum esse vult ut profiteri censum, et merces apud publicanos. Graeci ἀπογράφεσθαι de qua voce vide Budaeum in Pandectas. *Passerat.*

2) *De civitate, ac lege)* C. Putaneus vir doctiss. censet legendum, *hac lege*, quod Lambinus improbat, ego probo: nam hac lege reus erat Archias. *Hotoman.*

ANALYSIS.

a) *Data est)* Archiam esse Civem Romanum sic ostendit ex lege citata Plautia Papiria:

„ Ille peregrinus est Civis Romanus, qui omnia servavit
„ a lege praescripta;
„ Sed Archias adscriptus jam fuerat foederatae Civitati,
„ Romae domicilium habebat, et apud Praetorem professus est, quae a lege Plautia Papiria praescripta sunt:
„ Ergo Archias factus est Civis Romanus.

b) *Si nihil)* Complexio.

c) *Heracleae ne)* Assumptionis prima pars, L. Luculli, et Heracliensium legatorum testimonio approbata, cum Tabulae publicae Heracliensium bello Italico periissent.

Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario, interiisse scimus omnes. Est ridiculum, ad ea, quae habemus, nihil dicere: quaerere, quae habere non possumus: et de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare: et, cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii jusjurandum, fidemque, ea, quae depravari nullo modo possunt, repudiare: tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare.

At domicilium a) Romae non habuit: is, qui, tot annis ante civitatem datam 1), sedem omnium, rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit? At non est b) professus. Immo vero iis tabulis professus, quae solae ex illa professione, collegioque Praetorum, obtinent publicarum tabularum auctoritatem.

V. Nam cum Appii tabulae negligentius asservatae dicerentur: Gabinii, quamdiu incolumis fuit 2), levitas; post damnationem, calamitas, omnem tabularum fidem resignasset 3): Metellus, homo sanctissimus, modestissimusque omnium tanta diligentia fuit, ut

1) *Ante Civitatem datam)* Sylvani lege, et Carbonis. Quae civitatem non dabat, nisi qui domicilium in Italia, cum lex ferretur, habuisset. *Minut.*

2) *Quamdiu incolumis fuit)* Antequam condemnaretur. *Idem.*

3) *Omnem tabularum fidem resignasset)* Omnem ejus tabulis, in quibus professorum erant nomina, fidem abrogasset. Resignasset, inquit, quia tabulae obsignabantur annulo Praetoris. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *At domicilium)* Secunda pars, quam obiter tantum attingit.

b) *At non est)* Tertia pars, quam amplificat *ab A djunctis* Praetoris, apud quem professus fuerat, *per Comparationem Dissimilium.*

ad L. Lentulum Praetorem, et ad Judices 1) venerit, ut unius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis.

Quae cum ita a) sint, quid est, quod de ejus civitate dubitetis, praesertim cum aliis quoque in civitatibus fuerit adscriptus? Etenim cum mediocribus multis, et aut nulla, aut humili aliqua arte praeditis, gratuita 2) civitatem in Graecia homines impertiebantur, Rheginos credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic, summa ingenii praedito gloria, noluisse. Quid? b) cum ceteri non modo post civitatem datam 3), sed etiam post legem Papiam 4), aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserint: hic, qui ne utitur quidem illis, in quibus est scriptus: quod semper se Heracliensem esse voluit, rejicietur?

Census c) nostros requiris scilicet. Est enim ob-

1) *Ad Judices)* Ut de litura illa, quam in suis tabulis deprehenderat, judicarent. *Idem.*

2) *Gratuito)* Nullo eorum merito, nulla, aut humili arte. *Idem.*

3) *Post Civitatem datam)* Lege Sylvani et Carbonis ut supra.

4) *Post legem Papiam)* Secundam latam a C. Papio, *Ne quis peregrinus pro cive se gereret.* Ferrat.

ANALYSIS.

a) *Quae cum ita)* Eadem Complexio, quae supra; maxime cum aliis etiam Civitatibus adscriptus fuerit. Hoc autem probat a comparatione minorum.

„ Non est probabile Italos Archiae negasse, quod abje-
„ ctis hominibus dabant;
„ Sed Civitatem abjectis etiam hominibus gratuito da-
„ bant; Ergo multo magis Archiae.

b) *Quid?)* Quo jure non esse privaudum Archiam alia Comparatione contendit:

„ Non rejiciuntur ii, qui adscripti sunt non modo post
„ legem Plautiam, sed etiam post legem Papiam:
„ Ergo multo minus Archias, qui adscriptus est ante
„ legem Plautiam Papiriam.

c) *Census)* Prolesi occurrit, et caussam affert, cur numquam sit Census Archias; deinde ostendit, qua alia ratione se ille pro cive gesserit.

scurum, proximis censoribus; hunc cum clarissimo Imperatore L. Lucullo, apud exercitum 1) fuisse: superioribus, cum eodem Quaestore fuisse in Asia: primis, Julio, et Crasso, nullam Populi partem esse censam. Sed quoniam census non jus civitatis confirmat, tantummodo indicat, cum, qui sit census, ita se jam tum gessisse pro cive: iis temporibus, quae tu criminaris, ne ipsius quidem judicio cum in civium Romanorum jure esse versatum 2), et testamentum saepe fecit nostris legibus et adiit haereditates civium Romanorum, et in beneficiis ad aerarium delatus est 3) a L. Lucullo Praetore, et Consule. Quae-

1) *Apud Exercitum*) In exercitu, et apud exercitum, non eodem sensu dicitur: in exercitu, qui miles est: apud exercitum, qui vel negotii, vel rei militaris cognoscendae gratia, vel quovis potius, quam stipendii nomine in exercitu est. Archias autem non miles erat, sed pro sua virtute contubernalis Imperatoris. *Manut.*

2) *Iis temporibus, quae tu criminaris, ne ipsius quidem Judicio eum in civium Romanorum jure esse versatum)* Haec mihi perobscura videntur et ἀνακόλουθα. Quomodo enim Archias testamentum fecit Romanorum legibus, et adiit haereditates civium Romanorum, sine suo quidem judicio tum in civium Romanorum jure est versatus? Contrarium Cicero voluit ostendere. Itaque ut haec ἀνακολουθία tollatur, pro *quae* scribe *queis*, et sic interpunge. *Iis temporibus, queis tu criminaris: ne ipsius quidem judicio in civium Romanorum jure esse versatum, et testamentum saepe fecit nostris legibus*. Haec est vera sententia: illis ipsis temporibus, quibus tu contendis Archiam ipsum nondum prae se tulisse se civium esse, multa pro cive gessit, testamentum fecit, et quae sequuntur. Igitur falsum est, quod tu criminaris. *Graevius*.

3) *In beneficiis ad aerarium delatus est)* Hunc ego morem deferendi ad aerarium, si qui bene de Republica meriti essent, didici olim ex epist. 20. lib. v. Famil. in qua sic est, *Quod scribis de beneficiis, scito a me Tribunos militares, et Praefectos, et contubernales dumtaxat meos delatos esse*: Qui enim utilem Reipublicae operam in bello quacumque ratione navaverant, eorum nomina, ex bello reversi, vel Praetores, vel Imperatores ad aerarium deferebant. *Manut. Deferri in beneficiis* ad aerarium, non erat

re argumenta, si qua potes, numquam enim hic neque suo, neque amicorum judicio revincetur.

CONTENTIONIS II. PARS.

VI. Quaeres a) a nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur. Quia suppeditat b) nobis, uti et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant. An tu existimas, aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus: aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? ego vero fateor: me his studiis esse deditum. Ceteros pudeat, si qui ita se literis abdiderunt, ut nihil possint ex his neque ad communem afferre fructum. neque in adspectum, lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, Judices, ut ab

emolumentum, verum merus honor, et commendatio illarum personarum apud Populum Romanum profutura illis vel ad majora ornamenta ab Republica consequenda, vel ad pericula, si quae extitissent, sublevanda, tamquam olim meritis, ut judicio, et beneficio principum honestarentur. Sic hic Archiam a Lucullo: sic L. Cornelium Balbum a Pompejo in beneficiis ad aerarium delatum esse jactat in illorum defensione Cicero. J. Fr. Gronov. de pec vet. III. 27. ubi vide plura. *Graev.*

ANALYSIS.

a) *Quaeres*) Probat igitur secundo loco adsciscendum fuisse Archiam, etiam si non esset Civis, hoc modo *a Genere*,

„ Omnes Poetae sunt ornandi;

„ Archias est summus Poeta;

„ Ergo est ornandus, et Romana civitate dignus.

Propositio tripliciter probatur, *ab Effectibus, a Comparatione minorum, et ab Exemplis; Assumptio* duobus in locis maxime confirmatur; *Complexio* iterum, ac tertio repetitur.

Per *Prolepsin* primam *Propositionis* approbationem *ab Effectibus* ita pertractat.

„ Ii sunt ornandi, qui ad recreandos animos, ad Eloquentiam, et ad Reip. administrationem maxime conferunt;

„ Tales sunt omnes Poetae:

„ Ergo omnes poetae sunt ornandi.

b) *(Quia suppeditat)* Primum membrum de animorum relaxatione, quod illustratur *a diversis*: honestior est enim recreatio ex lectione Poetarum, quam ex spectaculis, conviviis, et ludis.

nullius umquam me tempore aut commodum, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas, avocarit, aut denique somnus retardarit? Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure succenseat, si quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, et ad ipsam requiem animi, et corporis conceditur temporis: quantum alii tribuunt tempestivis 1) conviviis: quantum denique aleae, quantum pilae: tantum mihi egomet ad hec studia recolenda sumpsero? Atque hoc, adeo a) mihi concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque * censetur oratio, et facultas 2): quae quantacumque est in me numquam amicorum periculis defuit. Quae si cui b) levior videtur: illa quidem certe, quae summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. Nam, nisi multorum praeceptis, multisque literis mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem, atque honestatem: in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exilii parvi esse ducenda: numquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas: quae jacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. Quam multas nobis ima-

1) *Tempestivis*) Vide supra, pro Murena, cap. 6.

* Vict. Man. Lamb. *crescit.*

2) *Ex his studiis hac quoque censetur oratio et facultas*) Dicendi facultas ex Poetarum lectione *censetur*, id est, pretium, et aestimationem meretur, et in primus laudatur: a Graecis δεξιὰν dicitur, quorum imitatione ita loqui solemus *Budaeus in Pand.*

ANALYSIS.

a) *Atque hoc adeo*) Secundum membrum de Eloquentia.

b) *Quae si cui*) Tertium de Reip. administratione: multa enim sunt in Poetarum scriptis, quibus inflammantur ad omnia pericula pro Patria subeunda.

gines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum exspressas scriptores, et Graeci, et Latini reliquerunt? quas ego mihi semper in administranda Republica proponens, animum, et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam.

VII. Quaeret a) quispiam, quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis proditae sunt, istane doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile est hoc de omnibus confirmare. Sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos b), homines excellenti animo, ac virtute fuisse, et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope divino, per seipsos, et moderatos, et graves exstitisse fateor. Etiam illud adjungo, saepius ad laudem, atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam, atque illustrem accesserit ratio quaedam, conformatioque doctrinae: tum illud nescio quid, praeclarum ac singulare solere existere. Ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum: ex hoc C. Laelium, L. Furium 1), moderatissimos homines, et continentissimos: ex hoc fortissimum virum, et illis temporibus doctissimum, M. Catonem illum senem: qui profecto si nihil ad percipiendam, colendamque virtutem literis adjuvarentur, numquam se ad earum studium contulissent.

Quod si c) non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen,

1) *L. Furium)* Philum, quem disputantem induxit Cic. in lib. de Rep.

ANALYSIS.

a) *Quaeres)* Prolepsis, nam summi viri multa pro Rep. egregie gesserant, qui tamen Poetas nunquam legerunt.

b) *Ego multos)* Respondet illos naturae habitu, sine doctrina tales extitisse, qui sequuti sunt, eos longe melius, doctrinam cum natura conjunxisse.

c) *Quod si)* Deinde satis esse ait, quod ad relaxandos animos conferant, idque amplificat *ab Adjunctis*:

ut opinor, hanc animi * remissionem 1), humanissimam, ac liberalissimam judicaretis. Nam ceterae neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum. Haec studia adolescentiam ** alunt 2), senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Quod si ipsi haec neque attingere, neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus.

VIII. Quis nostrum a) tam animo agresti, ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui cum esset senex mortuus, tamen, propter excellentem artem, ac venustatem, videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus, celeritatemque ingeniorum negligemus? Quoties ego b) hunc Archiam vidi, Ju-

* Grut. *adversionem*.

1) *Remissionem*) Vide P. Victorii Var. lect. lib. XXIX. cap. 7.

** Idem. *agunt*.

2) *Adolescentiam alunt*) Recte, alunt, de aetate quae crescit. Libri veteres in mendo consentiunt: habent enim omnes, *agunt*: ut interdum necessaria conjunctura videatur. *Manut*.

ANALYSIS.

„ Ea remissio animi maxima est, quae fuerit aetatum „ omnium, locorum ac temporum:

„ Sed haec sola, quae ex Poetis habetur, est omnium „ aetatum, locorum, ac temporum;

„ Ergo inter ceteras haec una maxima est.

a) *Quis nostrum*) Secundae Propositionis approbatio ex duplici *Comparatione minorum* desumitur, quarum prima ita se habet:

„ Multo majori in pretio habendi sunt Poetae, quam „ histriones:

„ Sed Roscius histrio magno fuit in pretio, ut in ejus „ morte intellectum est:

„ Ergo multo magis ornandi sunt Poetae.

b) *Quoties ego*) Assumptionis primae approbatio ab Archiae summo ingenio, et eruditione in versibus faciendis.

dices, (utar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi, cum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore? Quoties revocatum eamdem rem dicere, commutatis verbis, atque sententiis? Quae vero accurate, cogitateque scripsisset; ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent. Hunc non ego a) diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui sic a summis hominibus, eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia, et doctrina, et praeceptis, et arte constare. Poetam natura ipsa valere, et mentis viribus exscitari, et quasi divino quodam spiritu * afflari 1). Quare suo jure noster ille Ennius sanctos appellat Poetas, quod quasi Deorum aliquo dono, atque munere commendati 2) nobis esse videantur.

Sit igitur, Judices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc Poetae nomen, quod nulla umquam barbaria violavit. Saxa b), et solitudines voci respondent; bestiae saepe immanes cantu flectuntur, atque consistunt: nos instituti rebus optimis non Poetarum voce moveamur? Homerum c) Colophonii

* Vict. Lamb. *afflari.*

1) *Inflari*) Est a mss. nostris omnibus: et id proprius ad vim Graeci verbi ἐνθουσιάζεσθαι quam quod publicatur *afflari.* Gruterus. *inflari* nostri quoque omnes libri mentur. *Graevius.*

2) *Commendati*) Accedo Guilelmianae conjecturae *commodati.* Gruter.

ANALYSIS.

a) *Hunc non ego*) Complexio hic primum habetur, quae infra repetitur, interposita Poesis laude ex aliarum facultatum comparatione.

b) *Saxa*) Altera haec est *Comparatio Minorum*; magis enim Poetas colere, et mirari debent homines, quam saxa, et ferae, quae tamen Orphei vocem sequutae olim dicuntur.

c) *Homerum*) Tertia approbatio Propositionis, quae talis est *ab Exemplis*:

civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant. Itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt. Permulti alii praeterea pugnant inter se, atque contendunt.

IX. Ergo illi alienum, quia poeta fuit, post mortem etiam exspetunt: nos hunc vivum, qui et voluntate, et legibus noster est, repudiabimus? Praesertim a) cum omne olim studium, atque omne ingenium contulerit Archias ad Populi Romani gloriam, laudemque celebrandam? Nam et Cimbricas res adolescens attigit, et ipsi illi C. Mario 1), qui durior ad haec studia videbatur, jucundus. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur. Themistoclem illum, summum Athenis virum, dixisse ajunt, cum ex eo quaereretur, quod acroama, aut cujus vocem libentissime audiret. *Ejus, a quo sua virtus optime praedicaretur.* Itaque ille Marius item eximie L. Plotium 2) dilexit: cujus ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari.

Mithridaticum vero bellum magnum, atque difficile, et in multa varietate terra, marique versatum, totum ab hoc expressum est: qui non modo L. Lucullum, fortissimum, et clarissimum virum, verum etiam Populi Romani nomen illustrant. Populus enim Romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum, et Regiis quondam opibus, et ipsa natura

1) *Ipsi illi C. Mario*) Qui Cimbros devicit. *Manut.*
2) *L. Plotium*) Nominatum a Suetonio inter claros rhetores. *Idem.*

ANALYSIS.

„ Ii sunt a nobis ornandi, quos omnes semper ornarunt.

„ Sed omnes ornarunt semper, et coluerunt Poetas:

„ Ergo a nobis etiam colendi, et ornandi sunt.

Exempla suggerunt Graeci, Themistocles, Marius, Africanus, Alexander, Pompejus, Sylla, Metellus Pius, Decimus Brutus.

a) *Praesertim*) Assumptionis secunda approbatio ducta ab iis, quae scripserat Archias non in laudem solummodo Marii, et Luculli, sed etiam universi Pop. Rom.

regionis vallatum: Populi Romani exercitus, eodem duce, non manu innumerabiles Armeniorum copias fudit: Populi Romani laus est, Urbem amicissimam Cyzicenorum, ejusdem consilio, ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse, atque servatam: nostra semper feretur, et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium classis, et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis: nostra sunt trophea, nostra monumenta, nostri triumphi. Quare, quorum ingeniis haec feruntur, ab his Populi Romani fama celebratur. Carus fuit Africano superiori noster Ennius. Itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore. At iis laudibus certe non solum ipsi, qui laudantur, sed etiam Populi Romani nomen ornatur. In caelum hujus proavus Cato tollitur: magnus honos Populi Romani rebus adjungitur. Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii, non sine communi omnium nostrum laude decorantur.

X. Ergo illum, qui haec fecerat, Rudium hominem 1) majores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heracliensem, multis civitatibus exspetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate ejiciemus? Nam si a) quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi, quam ex Latinis, vehementer errat, propterea quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus: Latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Quare si res hae, quas ges-

1) *Rudium hominem*) Rudiae oppidum Apuliae, foederata civitas, quo tempore Ennius in civitatem est receptus, quae postea Colonia fuit, a Q. Fulvio Nobiliore deducta, cujus beneficio civis R. factus est Ennius: ut in Bruto legimus.

ANALYSIS.

a) *Nam si)* Ostendit multo pluris faciendum Graecum Poetam, quam Latinum: quod Graeca lingua ubique, Latina solum Italia usurpabatur.

simus, Orbis terrae regionibus definiuntur: cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare: quod cum ipsis Populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt; tum iis certe, qui de vita, gloriae caussa, dimicant, hoc maximum, et periculorum incitamentum est, et laborum.

Quam multos scriptores rerum suarum Magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? Atque is tamen, cum in Sigaeo ad Achillis tumulum astitisset, *O fortunate*, inquit, *adolescens*, *qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris*. Et vere. Nam, nisi Ilias illa exstitisset; idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset. Quid? noster hic Magnus 1), qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mitylenaeum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit? et nostri illi fortes viri, sed rustici, ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quasi participes ejusdem laudis, magno illud clamore approbaverunt?

Itaque, credo, si Civis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo Imperatore civitate donaretur, perficere non potuit! Sylla, cum Hispanos, et Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiasset: quem nos in concione vidimus, cum ei libellum malus Poeta de Populo subjecisset, quod epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis 2), statim ex iis rebus, quas tunc vendebat, jubere ei praemium tribui sub ea conditione, *ne quid postea scriberet*. Quid sedulitatem mali Poetae duxerit aliquo tamen praemio dignam, hujus ingenium, et virtutem in scribendo, et copiam non exspedisset? Quod? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se, neque per Lu-

1) *Noster hic Magnus)* Ergo aderat Pompejus, qui Messala, et Pupio Coss. Urbem ingressus est: adeoque eodem anno habita est haec oratio. *Ferratius*.

2) *Alternis versibus longiusculis)* Imparibus, ut in Elegiis. *Passerat*.

cullos impetravisset? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis Poetis, pingue quiddam sonantibus, atque peregrinum 1), tamen aures suas dederet.

XI. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest; sed prae nobis ferendum trahimur

1) *Cordubae natis Poetis, pingue quiddam sonantibus, atque peregrinum)* Quonam fato evenisse dicam, ut eamdem regionem tamdiu eadem lues infecerit? Non enim possum, quin de Poetis Hispanis, Mureti judicium „ describam e praefatione in Catullum. Hispani Poetae „ praecipue, et Romani sermonis elegantiam contaminarunt, et cum inflatum quoddam, et tumidum, et genus suae moribus congruens invenissent orationis genus, averterunt exemplo suo ceteros a recta illa, et „ simplici, in qua praecipua Poetarum sita laus est, et „ in quam superiores omni studio incubuerant, imitatione naturae. Itaque fere post Augusti tempora, ut quisque versum maxime inflaverat, sententiam maxime „ contorserat, eo denique modo loquutus fuerat, quo nemo serio soleret loqui, ita in pretio haberi coepit. „ Quin etiam fucatus ille splendor, et adulterina eloquentiae species ita nonnullorum, qui verae eloquentiae gustum non habent, occaecavit animos, ut his „ quoque temporibus extiterint Hispani duo, homines „ ceteroqui et in primis eruditi, et scriptis editis nobiles, quorum alter Lucanum Virgilio, alter Martialem „ Catullo anteponere veritus non est. Quorum ab utroque ita dissensio, ut, si quis Deus potestatem mihi, „ optionemque faciat, non dicam Virgilii, cui videor injuriam facere, si eum ullo modo cum ceteris comparem, sed Ennii alicujus, aut Furii, quam Lucani, multo similem in scribendo esse me malim: inter Martialis „ autem, et Catulli scripta tantum interesse arbitrer, „ quantum inter dicta scurrae alicujus in trivio, et inter „ liberales ingenui homines jocos, multo urbanitatis asperso sale. Neque vero negaverim, multo in Martiale „ quoque non inscienter dicta reperiri: sed profecto deteriorum longe numerus major est. Latinae quidem „ orationis nativa illa, minimeque quasi pigmentis infucata germanitas in Martiale nulla est, in Catullo „ praecipua.„ Ut discederem ab instituto, atque hunc, contra ac sum solitus, pannum assuerem, induxit me, et prope coegit orationi totius mira suavitate conjuncta utilitas. Quam enim haec scripta candide! quam vere! quam opportune huic aevo, nostrisque hominibus! Huc illos voco festivarum scriptionum artifices, quos pravae

omnes laudis studio; et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi Philosophi, etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo praedicationem, nobilitatemque despiciunt, praedicari de se, ac nominari volunt. Decimus quidem Brutus, summus ille vir, et Imperator, Accii, amicissimi sui, carminibus templorum, ac monumentorum aditus exornavit suorum. Jam vero ille, qui cum Aetolis, Ennio comite, bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Quare a), in qua Urbe Imperatores prope armati Poetarum nomen, et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati judices a Musarum honore, et a Poetarum salute abhorrere.

Atque, ut b) id libentius faciatis, jam me vobis, Judices, indicabo, et de me quodam amore gloriae, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, vobis confitebor. Nam, quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute hujus Urbis atque imperii, et pro vita civium, proque universa Republica gessimus, attigit hic versibus, atque inchoavit; quibus auditis quod mihi magna res, et jucunda visa est, hunc ad perficiendum hortatus sum. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum, periculorumque desiderat, praeter hanc laudis, et gloriae: qua quidem detracta, Judices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo, et tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus?

imitationis nescio quae, intemperies, atque contagio privat omni bono naturae, et cum in curatura styli parum, vel nihil ponant, sibi ac mulierculis canunt. *Olivetus.*

ANALYSIS.

a) *Quare*) Complexio tertio repetita.

b) *Atque, ut*) Ultimo caussam affert, cur ipse Archiam adeo studiose defendat, eamque probat Judicibus hoc argumento *a Caussis*:

„ Virtutum, rerumque pro Patria gestarum commemoratio aeterna esse debet:

„ Sed est aeterna maxime per Poetas:

„ Ergo Poetas tueri debent, qui res magnas gesserunt, „ ut ego Archiam.

Propositio confirmatur tum *a Consequentibus*, quia cum nullum aliud sit praemium, nemo, ea spe sublata,

Certe, si nihil animus praesentiret in posterum: et si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis, vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes, et dies animum gloriae stimulis concitat, atque admonet non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam.

XII. An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in Republica, atque in his vitae periculis, laboribusque versamur, ut, cum, usque ad extremum spatium, nullum tranquillum, atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? An cum statuas, et imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerint; consiliorum relinquere, ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis exspressam, et politam? Ego vero omnia, quae gerebam, jam tum in gerendo spargere me, ac disseminare arbitrabar in Orbis terrae memoriam sempiternam. Haec vero sive a meo sensu post mortem abfutura est, sive, ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit: nunc quidem certe cogitatione quadam, speque delector.

PERORATIO.

Quare a) conservate, Judices, hominem pudore eo, quem amicorum videtis comprobari tum dignitate,

tanta perferret pro Patria: tum *a Comparatione minorum*, quia si corporum, multo magis animorum memoria debet esse immortalis.

1) *Non cum vitae tempore esse* dimetiendam; Sic reposui scripturae veteris vestigia sequutus, pro eo, quod est in vulgatis libris, *dimittendam*. Lambin. Repugnant omnes veteres libri, quamvis P. Manutius hanc conjecturam Lambini receperit. *Grae.*

ANALYSIS.

a) *Quare*) Tres sunt partes Perorationis: in prima est *Epilogus* primae partes *Contentionis.*

tum etiam venustate 1): ingenio autem tanto, quantum id convenit existimari, quod summorum hominum ingeniis expsetitum esse videatis; caussa vero ejusmodi, quae beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quae cum ita a) sint, petimus a vobis, Judices, si qua 2) non modo humana 3), verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet esse: ut eum, qui vos, qui vestros Imperatores, qui Populi Romani res gestas semper ornavit: qui etiam his recentibus nostris vestrisque domesticis periculis aeternum se testimonium laudum daturum esse profitetur: quique est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti, atque dicti: sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potius, quam acerbitate violatus esse videatur. Quae de caussa b) pro mea con-

1) *Tum dignitate, tum etiam venustate)* Pro *venustate* legendum *vetustate*. Hoc enim dicit pudorem, et integritatem morum in Archia comprobari amicorum ipsius tum dignitate, tum vetustate, Luculli enim, et Metelli, et Catuli, et alii praeterea viri gravissimi, quos antea nominarat, non tantum Archiae amici, sed veterrimi amici erant..... Inepte in talibus viris, quasi in pulchellis pueris, venustatem commendari etc. *Muret. Var. lect.* XII. 15. Hic denotat *venustas*, homines venustos, politos, ut apud Catullum:

Et quicquid est hominum venustiorum.

Hi aliter dicuntur *belli*, *elegantes* culti homines, qui studiis, et ingenio Archiae capiuntur. Cur autem *studiis* in contextu Gruteri retineatur, cum tamen in notis eam vocem damnet, librariorum negligentiae est tribuendum. *Graev.*

2) *Si qua)* Si affirmantis est. Virg. Dii si qua est *caelo pietas.* idem: *Si qua pios respectant numina.* Passerat.

3) *Non modo humana)* Non modo ab hominibus, sed a Diis profecta commendatio. Hominibus commendatus esse debet, qui hominum laudes commendat posteritati. *Divina*, quod divino afflantur spiritu Poetae, unde quoque sancti habentur. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Quae cum ita)* In secunda *Epilogus* secundae partis: et utroque in loco Archiam commendat Judicibus.

b) *Quae de caussa)* In tertia veniam quodammodo petit, quod in Archiae defensione novo genere dicendi usus fuerit.

suetudine breviter, simpliciterque dixi, Judices, ea confido probata esse omnibus: quae non fori, neque judiciali consuetudine, et de hominis ingenio, et communiter de ipsius studio loquutus sum, ea, Judices, a vobis spero esse in bonam partem accepta: ab eo qui judicium exercet, certe scio.

POST REDITUM AD QUIRITES.

ORATIO

ARGUMENTUM

Pulsus in exilium Clodia lege Cicero, quod cives Romanos indemnatos necasset, cum decem, et septem menses abfuisset, tandem revocatus in Urbem rediit prid. Non. Septembris, anno Urbis DCXCVI, P. Lentulo Spinthere, et Q. Metello Nepote Coss. Postridie, hoc est nonis Septembris Senatui gratias egit; ut ipse fatetur Epist. 1. lib. IV. ad Atticum: et paullo post etiam Populo hac Oratione, data a Consulibus concione, Dione teste 38. *Ferratius.*

In veteribus duobus Codicibus Lambini haec oratio sequitur eam, quam habuit in Senatu, et praeterea habet hanc inscriptionem *Cum Populo gratias egit*. In primo Francii etiam sequenti praeponitur, cum hac inscriptione: *Oratio, qua Populo gratias egit pro sui restitutione in patriam.* Sed in Erfurt. *Incipit oratio M. T. Ciceronis cum de reditu suo P. R. gratias egit.* Illi etiam praeponitur oratio in Senatu. *Graev.* Quod cum ita esset, huic tamen Graevius alteram in sua editione non praeposuit: neque ego a vulgatis recedam; in re praesertim nullius momenti. *Olivet.*

ORATIONIS SYNOPSIS.

GEnus orationis est *Demonstrativum* quippe institutae pro Gratiarum actione; partes autem tres *Exordium*, *Contentio*, *et Peroratio*.

Exordium sumitur a sua laetitia propter reddita sibi bona, quibus tanto cum dolore caruerat: *Quod precatus a Jove*.

In *Contentione* proponit magnitudinem beneficii: *Quorsum igitur*; et a tribus *Adjunctis* amplificat; 1. quod omnium maximum beneficium erat, *per Comparat. minorum: A Parentibus*; 2. quod summo cum studio, *a remotione caussarum*: *Nam cum in ipso*, 3. quod summa cum dignitate collatum, *a Diversis: Sed quemadmodum*.

Hinc se cum inimicis comparat: *Hic tantum interfuit*; et quibusdam nominatim gratias agit: *An ego, cum mihi*.

In *Peroratione* suam perpetuam in Remp. pietatem attestatur: *Ea ego*, et qualis erga inimicos, et Pop. Romanum futurus sit: *Denique, Quirites*.

EXORDIUM.

I. QUod precatus a) a Jove Optimo Maximo, ceterisque Diis immortalibus sum, Quirites, eo tempore, cum me, fortunasque meas pro vestra incolumitate, otio, concordiaque devovi; ut, si meas rationes umquam vestrae saluti anteposuissem, sempiternam poenam sustinerem, mea voluntate susceptam: sin et ea, quae ante gesseram, conservandae civitatis caussa gessissem, et illam miseram professionem vestrae salutis gratia suscepissem, ut, quod

a) *Quod precatus)* Exorditur a suamet laetitia, quod tanta cum gloria in patriam restitutus sui voti compos factus fuerit. Hujus laetitiae argumentum sic pertractat *per Comparationem minorum*:

,, Bona omnia desiderata magis delectant, quam assi-
,, due percepta;
,, Sed in posterum fruar bonis omnibus, quae semel
,, amissa desideravi:
,, Ergo multo majori cum laetitia iis perfruar.

Amplificat autem *per distributionem* singularum partium, sibique conciliat *benevolentiam* quippe de Rep. optime merito, lib.2 cap. 4. tex. 23. et beneficiorum potius memor: quam injuriarum: tex. 28.

odium scelerati homines, et audaces in Rempublicam, et in omnes bonos conceptum jamdiu continerent, id * in me unum potius, quam in optimum quemque, et in universam Rempublicam deflecteret: hoc si animo in vos, liberosque vestros fuissem, ut aliquando vos, Patres Conscriptos, italiamque universam, memoria mei, misericordia, desideriumque teneret: ejus devotionis me esse convictum 1) judicio Deorum immortalium, testimonio Senatus, consensu Italiae, confessione inimicorum, beneficio divino, immortalique vestro maxime laetor, Quirites. Et si homini nihil est magis optandum, quam prospera, aequabilis, perpetuaque fortuna, secundo vitae sine ulla offensione cursu: tamen, si mihi tranquilla, et placata omnia fuissent, incredibili quadam, et pene divina, qua nunc, vestro beneficio, fruor, laetitiae voluptate caruissem.

Quid dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi? mihi vero et propter indulgentiam meam, et propter exscellens eorum ingenium, vita sunt mea cariores. Tamen non tanta voluptate erant suscepti, quanta nunc sunt restituti. Nihil cuiquam fuit umquam jucundius, quam mihi meus frater. Non tam id sentiebam, cum fruebar, quam tunc, cum carebam; et posteaquam vos me illi, et mihi eum reddidistis. Res-familiaris sua quemque delectat: reliquae meae fortunae recuperatae plus mihi nunc voluptatis afferunt, quam tunc incolumi afferebant. Amicitiae, consuetudines, vicinitates, clientelae, ludi denique, et dies festi, quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo.

* Grut. *in me uno potius, quam in optimo quoque, et in universa Rep. deficeret.*

1) *Ejus devotionis me esse convictum)* In devotione votum inest, ut ii serventur, quorum caussa se aliquis devovet. Ita videtur dicere: Ejus devotionis me compotem esse factum id est, quem illa devotione fructum petivi, cum tulisse me. *Manut.*

Jam vero honos, dignitas, locus, ordo, beneficia vestra, quamquam mihi semper clarissima visa sunt, tamen ea nunc renovata, illustriora videntur, quam si obscurata non essent. Ipsa autem patria, Dii immortales! dici vix potest, quid caritatis, quid voluptatis habet! quae species Italiae! quae celebritas oppidorum! quae forma regionum! qui agri! quae fruges! quae pulchritudo Urbis! quae humanitas civium! quae Reipublicae dignitas! quae vestra majestas! Quibus ego omnibus antea sic fruebar, ut nemo magis. Sed tamquam a) bona valetudo jucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui numquam aegro corpore fuerunt: sic ea omnia desiderata magis, quam assidue percepta, delectant.

CONFUTATIO.

II. Quorsum b) igitur haec disputo? quorsum? ut intelligere possitis, neminem umquam tanta eloquentia fuisse, neque tam divino, atque incredibili genere dicendi, qui vestrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quae in me, fratremque meum, et liberos nostros contulistis, non modo augere, aut ornare oratione, sed enumerare, aut consequi possit. A parentibus c), id quod

ANALYSIS.

a) *Sed tamquam*) Propositio Syllogismi illustrat *a Simili*.

b) *Quorsum*) Beneficii magnitudinem proponit, et amplificat sic *ab Adjunctis*: ex Arist. l. 2. c. 7. tex. 80.

„ Illud maximum est beneficium, quo bona omnia „ conferuntur, et quod summo cum studio, ac dignitate „ confertur:

„ Mihi vos bona omnia reddidistis, summoque cum „ studio, ac dignitate me restituistis.

„ Ergo maximum est a vobis in me collatum beneficium.

c) *A parentibus*) Assumptionis prima pars approbata *a Comparatione minorum*, Parentum scilicet, Deorum, et Romanorum: nam quae singula ab iis acceperat, longe cumulatiora sibi hoc tempore a Populo reddita fuerant.

necesse 1) erat, parvus sum procreatus: a vobis natus sum consularis. Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus esset, dederunt: vos spectatum, et incredibili pietate cognitum reddidistis. Rempublicam illis accepi temporibus 2) eam, quae pene amissa est: a vobis eam recuperavi, quam aliquando omnes unius opera servatam judicarunt. Dii immortales mihi liberos dederunt: vos reddidistis! Multa praeterea a Diis immortalibus optata consequuti sumus. Nisi vestra voluntas fuisset, omnibus divinis muneribus caruissemus. Vestros denique honores, quos eramus gradatim singulos assequuti, nunc a vobis universos habemus, ut, quantum antea parentibus, quantum Diis immortalibus, quantum vobismetipsis, tantum hoc tempore universim cuncto Populo Romano debeamus. Nam, cum a) in ipso beneficio vestro tanta magnitudo est, ut eam complecti oratione non possim: tum in studiis vestris tanta animorum declarata est voluntas, ut non solum calamitatem mihi detraxisse: sed etiam dignitatem auxisse videamini.

III. Non enim pro meo reditu, ut pro P. Popillii 3), nobilissimi hominis, adolescentes filii, et multi praeterea cognati, atque affines deprecati sunt: non, ut

1) *Necesse* Necesse est ut ex matrimonio filii procreentur: sed vos me voluntate Consulem fecistis. *Ferrat.*

2) *Illis accepi temporibus*) Belli enim socialis initio sumpsit virilem togam: nec multo post sequutum est Marianum civile bellum: et in utroque Resp. bello versata est in summo discrimine. Ideo subjungit, *quae pene amissa est.* Manutius.

3) *P. Popillii)* Quem expulerat C. Gracchus, quia in consulatu T. Gracchi amicos insectatus fuerat. *Ferrat.*

ANALYSIS.

a) *Nam, cum*) Secunda pars de omnium studio in se restituendo, amplificatur *a remotione Caussarum*: neque enim deprecantibus propinquis restitutus est, ut Q. Metellus, neque per vim, ut C. Marius: sed summo Populi Romani studio, ac voluntate.

pro Q. Metello 1), clarissimo viro, jam spectata aetate filius L. Diadematus 2), consularis, summa auctoritate vir: non Metellus censorius 3) non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos, qui tum consulatum petebat, non sororum filii, Luculli, Servilii Scipiones: permulti enim Metelli, aut Metellarum 4) liberi pro Q. Metelli reditu vobis, ac patribus vestris supplicaverunt. Quod si ipsius dignitas, maximaeque res gestae non satis valerent: tamen filii pietas, propinquorum preces, adolescentium squalor, majorum natu lacrymae populum Romanum movere potuerunt.

1) *C. Metello*) Lege *Q.* ut infra. Hic fuit Q. Caecilius L. F. Q. N. Metellus Numidicus, qui anno U.C. 653. in exilium ivit. *Graevius.*

2) *L. Diadematus*) L. Metellus Diadematus fuit L. Metelli Macedonici filius, qui quatuor filios habuit, omnes summis dignitatibus illustres, quorum humeris est elatus teste Plinio, Valer. Maximo, et Vellejo Patereulo. Primus fuit Q. Caecilius Metellus, qui Consul fuit cum T. Quintio Flaminio, qui post triumphatis Balearibus dictus est Balearicus. Alter fuit Caecilius Metellus Diadematus, qui Consulatum gessit cum Q. Mucio Scaevola. Tertius erat M. Caecilius Metellus, cujus collega fuit in Consulatu M. Aemilius Scaurus. Quartus numero fuit C. Caecilius Metellus Caprarius, qui in Consulatu habuit collegam Cn. Papirium Carbonem. Macedonicus Metellus vero habuit fratrem L. Calvum, cujus duo fuerant filii, Metellus Numidicus, et Metellus Dalmaticus, quem perperam eumdem esse putant, qui et dictus fuerit Delimatiaris, in qua sententia est quoque Cl. Harduinus ad Plinii lib. VII. c. 44. et in qua fuerunt olim Sigonius, et Onophrius sed refutata est a Steph. Pighio, qui in annalibus ad annum 635. ex illustri fragmento triumphorum Capitolinorum ostendit Dalmaticum fuisse L. Calvi Metelli, qui erat Macedonici frater, filium. Diadematus autem dictus est, quod ulceris in fronte tegendi caussa diadema te sit usus. *Graev.*

3) *Metellus Censorius*) Hic fuit C. Caecilius Metellus Caprarius, Q. Macedonici filius, patruelis exulis Metelli Numidici. Censor fuit cum Q. Caecilio Metello Numidico. Vide Annales Pighii ad annum 651. *Idem.*

4) *Metellarum*) Metellae saepe dicuntur tres sorores, cum tamen duae tantum fuerint germanae sorores Macedonici filiae, tertia vero esset patruelis filia Calvi, ut observavit Cl. et doctissimus Perizonius Animadvers. Hist. c. 9. *Idem.*

Nam C. Marii, qui post illos veteres clarissimos consulares, vestra, patrumque memoria, tertius ante me consularis, subiit indignissimam fortunam praestantissima sua gloria, dissimilis fuit ratio. Non enim ille deprecatione rediit, sed in dissensu civium, exercitu se, armisque revocavit. Me autem nudum a propinquis, nulla cognatione munitum, nullo armorum, ac tumultus, metu, C. Pisonis generi mei, divina quaedam, et inaudita auctoritas, atque virtus, fratrisque mei miserrimi, atque optimi quotidianae lacrymae, sordesque lugubres a vobis deprecatae sunt.

Frater erat unus, qui suo squalore vestros oculos inflecteret: qui suo fletu desiderium mei, memoriamque renovaret: qui statuerat, Quirites, si vos me sibi non reddidissetis eamdem subire fortunam: et tanto in me amore exstitit, ut negaret fas esse non modo domicilio, sed ne sepulchro quidem se a me esse sejunctum. Pro me praesente Senatus, hominumque praeterea viginti millia, vestem mutaverunt: pro eodem me absente unius squalorem, sordesque vidistis. Unus hic, * qui domi 1), qui in foro posset esse, mihi pietate filius inventus est, beneficio parens, amore idem, qui semper fuit, frater. Nam conjugis miserae squalor, et luctus, atque optimae filiae moeror assiduus, filiique parvi desiderium mei, lacrymaeque pueriles, aut itineribus necessariis, aut magna parte tectis, ac tenebris continebantur.

IV. Quare hoc majus est vestrum in nos promeritum, quod non multitudini propinquorum, sed, no-

* *Lamb.* domi posset esse mihi aetate filius, in foro item pietate filius inventus.

1) *Unus hic, qui domi*, Optime Francii primus: Unus, *qui in foro.* Praecedentia verba aliis explicat, ut ostendat unicum fratrem fuisse, qui pro se Populo fuerit supplex. Nam illum unum fuisse, qui potuerit in foro versari, cum id officium ei nec uxor, nec filia, nec filiolus posset praestare. Domestica officia, et negotia hic inepte commemorarentur. Itaque delevi *qui domi*, praesidio munitus antiquorum Codicum. *Graev.*

bismetipsis nos reddidistis. Sed quemadmodum a) propinqui, quos ego parare non potui, mihi ad deprecandam calamitatem meam non affuerunt: sic illud quod mea virtus praestare debuit adjutores, auctores, hortatoresque ad me restituendum ita multi fuerunt, ut longe superiores omnes hac dignitate, copiaque superarem. Numquam de P. Popillio, clarissimo, atque fortissimo viro: numquam de Q. Metello, nobilissimo, et constantissimo cive: nnmquam de C. Mario, custode civitatis, atque imperii vestri, in Senatu mentio facta est.

Tribunitiis superiores illi rogationibus, nulla auctoritate Senatus sunt restituti. Marius vero non modo non a Senatu, sed etiam oppresso Senatu est restitutus: nec rerum gestarum memoria in reditu C. Marii, sed exercitus, atque arma valuerunt. At de me ut valeret, semper Senatus flagitavit: ut aliquando perficeretur, cum primum licuit, frequentia, atque auctoritate perfecit. Nullus in eorum reditu motus municipiorum, et Coloniarum factus est. At me in patriam ter 1) suis decretis Italia cuncta revocavit. Illi, inimicis interfectis, magna civium caede facta, reducti sunt. Ego iis, a quibus ejectus sum, Provincias obtinentibus, inimico autem 2) optimo viro, et mitissimo, altero Consule referente reductus sum: cum is inimicus 3), qui ad meam perniciem vocem suam communibus hostibus praebuisset, spiritu dumtaxat viveret, re quidem infra omnes mortuos amandatus esset.

1) *Ter.)* Vide Ciceronis Historiam, per Franc. Fabricium anno Urb. DCXCVI. Cicer. 50.

2) *Inimico autem*) Q. Metello Consule; qui Tribunus Pl. Ciceronem abeuntem concionis habendae potestate privaverat. *Man.*

3) *Is inimicus*) Atilius Gavianus, Trib. Pl. De quo infra, et pro Sext. 36.

ANALYSIS.

a) *Sed quemadmodum*) Tertiam partem de dignitate reditus illustrat *a Comparatione Dissimilium)* nam Marius invito Senatu: Metellus, et Popilius, nulla auctoritate Senatus restitui fuerant.

V. Numquam de P. Popilio L. Opimius, fortissimus Consul, numquam de Q. Metello, non modo C. Marius, qui erat inimicus, sed ne his quidem, qui sequutus est, M. Antonius, homo eloquentissimus, cum A. Albino collega Senatum, aut Populum est cohortatus. At pro me superiores Consules 1) semper, ut referrent, efflagitati sunt: sed veriti sunt, ne gratiae caussa 2) facere viderentur, quod alter mihi affinis erat 3): alterius caussam capitis receperam: qui Provinciarum foedere irretiti, totum illum annum querelas Senatus, luctum bonorum, Italiae gemitum pertulerunt. Kalendis vero Januariis posteaquam orba Respublica Consulis fidem, tamquam legitimi tutoris, imploravit, P. Lentulus Consul, parens, Deus, salus nostrae vitae, fortunae, memoriae, nominis, simul ac de solemni religione retulit, nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agendum judicavit.

Atque eo die confecta res esset, nisi is Tribunus Plebis 4), quem ego maximis beneficiis Quaestorem Consul ornaveram, cum et cunctus ordo, et multi eum summi viri orarent, et Cn. Oppius socer, optimus vir, ad pedes ejus flens jaceret: noctem sibi ad deliberandum postulasset: quae deliberatio non in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur, sed, ut patefactum est 5), in augenda mercede consumpta est. Postea res acta est in Senatu alia nulla: et cum variis rationibus impediretur, voluntate tamen prospecta Senatus, caussa ad vos mense Januario deferebatur,

1) *Superiores Consules)* Piso, et Gabinius. *Manut.*

2) *Ne gratiae caussa)* Ironia. Non enim id veriti sunt, sed pactione Provinciarum irretiti, quae mei funeris merces fuit, numquam referre voluerunt. *Idem.*

3) *Affinis erat)* Piso, quia Ciceronis filia, C. Pisonis uxor erat. *Idem.*

4) *Tribunus Plebis)* Attilius Gavianus.

5) *Ut patefactum est)* Quia postero die intercessit: cum se moram nullam esse facturum dixisset. *Manut.*

Hic tantum a) interfuit inter me, et inimicos meos. Ego, cum homines in tribunali Aurelio palam conscribi, centuriarique vidissem: cum intelligerem, veteres ad spem caedis, Catilinae copias esse revocatas: cum viderem, ex ea parte homines, cujus partis nos vel principes numerabamur, partim quod mihi inviderent, partim quod sibi timerent, aut proditores esse, aut desertores salutis meae: cum duo consules, empti pactione Provinciarum, auctores se inimicis Reipublicae tradidissent: cum aegestatem, avaritiam, libidines suas viderent expleri non posse, nisi me constrictum domesticis hostibus dedissent: cum Senatus, Equitesque Romani flere pro me, ac, mutata veste, vobis supplicare edictis, atque imperiis vetarentur: cum omnium Provinciarum pactiones, cum omnia cum omnibus foedera, reconciliationes gratiarum sanguine meo sancirentur; cum omnes boni non recusarent, quin vel pro me, vel mecum perirent: armis decertare pro mea salute nolui, quod et vincere, et vinci luctuosum Reipublicae fore putavi. At inimici mei mense Januario cum de me ageretur, corporibus civium trucidatis, flumine sanguinis meum reditum intercludendum putaverunt.

VI. Itaque cum ego abfui, eam Rempublicam habuistis, ut aeque me, atque illam, restituendam putaretis. Ego autem, in qua civitate nihil valeret Senatus, omnis esset impunitas, nulla judicia, vis, et ferrum in foro versarentur: cum privati se parietum praesidio, non legum tuerentur: Tribuni Plebis vobis inspectantibus vulnerarentur, ad Magistratum domos cum ferro, et facibus iretur, Consulis fasces frange-

ANALYSIS.

a) *Hic tantum)* Ut discessum suum obiter tueatur, cum multi timiditatem objicerent, se, qui, ne Patriam in discrimen adduceret, sponte perire voluerat, cum inimicis comparat, qui vi, et armis semper usi fuerant.

rentur, Deorum immortalium templa incenderentur: Rempublicam esse nullam putavi. Itaque neque Republica exsterminata, mihi locum in hac Urbe esse duxi: nec, si illa restitueretur, dubitavi, quin me secum ipsa reduceret.

An ego a), cum mihi esset exsploratissimum, P. Lentulum proximo anno Consulem futurum, qui illis Reipublicae periculosissimis temporibus aedilis curulis, me Consule, omnium meorum consiliorum particeps, periculorumque socius fuisset: dubitarem, quin is me confectum Consularibus vulneribus, Consulari medicina ad salutem reduceret? hoc duce, collega autem ejus, clementissimo, atque optimo viro, primo non adversante, post etiam adjuvante, reliqui Magistratus pene omnes fuerunt defensores salutis meae. Ex quibus exscellenti animo, virtute, auctoritate, praesidio, copiis, T. Annius, et P. Sextius, praestanti in me benevolentia, et divino studio exstiterunt. Eodemque P. Lentulo auctore, et pariter referente collega, frequentissimus Senatus, uno dissentiente 1), nullo intercedente, dignitatem meam quibus potuit verbis amplissimis ornavit: salutem vobis, municipiis, Coloniisque omnibus commendavit.

Ita me nudum a propinquis, nulla cognatione munitum, Consules, Praetores, Tribuni Plebis, Senatus, Italia cuncta, semper a vobis deprecata est: denique omnes, qui vestris maximis beneficiis, honoribusque sunt ornati, producti ad vos ab eodem, non solum ad me conservandum vos cohortati sunt, sed etiam rerum mearum gestarum auctores, testes laudatores fuerunt.

1) *Uno dissentiente)* P. Clodio. Est autem sermo de S. C. quod factum est pro Cicerone in Templo Virtutis. *Ferrat.*

ANALYSIS.

a) *An ego)* Tandem iis nominatim gratias agit, qui maxime sui reditus auctores fuerant.

VII. Quorum princeps ad cohortandos vos, et ad rogandos fuit Cn. Pompejus, vir omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, virtute, sapientia, ac gloria princeps: qui mihi unus uni privato amico eadem omnia dedit, quae universae, Reipublicae, salutem, otium, dignitatem. Cujus oratio fuit, quemadmodum accepi, tripartita. Primum vos docuit, meis consiliis Rempublicam esse servatam, caussamque meam cum communi salute conjunxit; hortatusque est, ut auctoritatem Senatus, statum civitatis, fortunas civis benemeriti defenderetis, tum in perorando posuit, vos rogari a Senatu, rogari ab Equitibus Romanis, rogari ab Italia cuncta: denique ipse ad exstremum pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit.

Huic ego homini, Quirites, tantum debeo, quantum hominem homini debere vix fas est. Hujus consilia, P. Lentuli sententiam, Senatus auctoritatem vos sequuti, in eo me loco, in quo vestris beneficiis fueram, iisdem Centuriis, quibus collocaretis, reposuistis. Eodem tempore audistis eodem ex loco summos viros, ornatissimos, atque amplissimos homines, principes civitatis, omnes consulares, omnes Praetorios, eadem dicere, ut omnium testimonio per me unum Rempublicam conservatam esse constaret. Itaque cum P. Servilius, gravissimus vir, et ornatissimus civis dixisset, opera mea Rempublicam incolumen magistratibus deinceps traditam, dixerunt in eamdem sententiam ceteri. Sed audistis eo tempore clarissimi viri non solum auctoritatem, sed etiam testimonium L. Gellii, qui, quia suam classem 1) attentatam magno cum suo periculo pene sensit: dixit in concione vestra, *Si ego Consul, cum fui, non fuissem; Rempublicam funditus interituram fuisse.*

1) *Suam classem*) Cujus custos erat, dum ferrentur suffragia. *Attentatam*, a Clodianis corrumpere conantibus. *Manut. Classem*, quam bello Piratico Gellius sub Imperio Pompeji obtinebat, eam dicit attentatam fuisse in Thusco mari a Catilinariis. Florus. *Ferrat.*

PERORATIO.

XIII. En ego a) tot testimoniis, Quirites, hac auctoritate Senatus, tanta consensione Italiae, tanto studio bonorum omnium, agente P. Lentulo, consentientibus ceteris Magistratibus, deprecante Cn. Pompejo, omnibus hominibus faventibus, Diis denique immortalibus frugum ubertate 1), copia, utilitate, reditum meum comprobantibus, mihi, meis, Reipublicae restitutus, tantum vobis, quantum facere possum, Quirites, pollicebor: primum, qua sanctissimi homines pietate erga Deos immortales esse solent, eadem me erga Populum Romanum semper fore; numenque vestrum aeque mihi grave, et sanctum, ac Deorum immortalium, in omni vita futurum: deinde quoniam me in civitatem Respublica ipsa reduxit, nullo me loco Reipublicae defuturum.

Quod si quis existimat, me aut voluntate esse mutata, aut debilitata virtute, aut animo fracto, vehementer errat. Mihi, quod potuit vis, et injuria, et sceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abstulit, dissipavit: quod viro forti adimi non potest, id manet, et permanebit. Vidi ego fortissimum virum, municipem meum, C. Marium, quoniam nobis quasi aliqua fatali necessitate, non solum cum his, qui haec delere voluissent cum fortuna belligerandum fuit: eum tamen vidi, cum esset summa senectute

1) *Frugum ubertate)* Vide Orat. pro Domo sua, c. 6.

ANALYSIS.

a) *En ego)* Summam in primis, et perpetuam in Populum Romanum pietatem pollicetur, et se pristinae virtutis memorem usurum; quod exemplo C. Marii confirmat.

non modo non infracto 1) animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato, atque renovato. Quem egomet dicere audivi, tum se fuisse miserum 2), cum careret patria, quam obsidione liberavisset: cum sua bona possideri ab inimicis, ac diripi audiret: cum adolescentem filium videret ejusdem socium calamitatis: cum in paludibus demersus concursu, ac misericordia Minturnensium, corpus ac vitam suam conservasset: cum parva navicula trajectus in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops, supplexque venisset: recuperata vero sua dignitate, se non commissurum, ut, cum ea, quae amiserat, sibi restituta essent, virtutem animi non haberet, quam numquam perdidisset. Sed hoc inter me, atque illum interest: quod ille, qua re plurimum potuit, ea ipsa re inimicos suos ultus est, armis, ego, qua consuevi, utar: quoniam illi arti in bello, ac seditione locus est; huic in pace, atque otio. Quamquam ille animo irato nihil nisi de inimicis ulciscendis agebat: ego de ipsis inimicis tantum, quantum mihi Respublica permittet, cogitabo.

IX. Denique a) Quirites, quoniam me quatuor omnino genera hominum violarunt: unum eorum,

1) *Infracto*) Multis exemplis Joann. Vorstius de Latinitate merito suspecta, cap. 6. ostendit *infractus* Latinis esse idem simplici *fractus*, ab *infringo*, nulloque idoneo exemplo probari posse, *infractus* esse *non fractus*, fortis. *Graev.*

2) *Tum se fuisse miserum*) Hoc quid sit, et quemadmodum Oratoris instituto conveniat, fateor me non intelligere. Repugnant enim Marium forti, et confirmato animo fuisse, virtutem animi numquam perdidisse, et simul miserum se esse dixisse. Praeterea Ciceronis disputatio ad Marii fortitudinem cum sua virtute comparandam pertinet. Ut mihi mirum videatur, si non hoc loco negatio desit: ut sic legatur: *Tum se non fuisse miserum.* Hotom.

ANALYSIS.

a) *Denique*) Quo deinde genere ultionis uti velit in inimicos, exponit, et quam grato animo beneficii a singulis, et ab universis accepti meminisse.

qui odio Reipublicae, quod eam ipsis invitis conservatam, mihi inimicissimi fuerunt: alterum, qui per simulationem amicitiae, nefarie prodiderunt: tertium qui, cum propter inertiam suam eadem assequi non possent, inviderunt laudi et dignitati meae: quartum, qui cum custodes Reipublicae esse debuerunt, salutem meam, statum Civitatis, dignitatem ejus imperii, quod erat penes ipsos, vendiderunt, sic ulciscar facinorum singula, quemadmodum a quibusque sum provocatus: malos cives, Rempublicam bene gerendo: perfidos amicos, nihil credendo, atque omnia cavendo: invidos, et virtuti, et gloriae serviendo: mercatores Provinciarum, revocando domum, atque ab iis Provinciarum rationem repetendo.

Quamquam mihi majori curae est, quemadmodum qui de me estis optime meriti, gratiam referam, quam, quemadmodum inimicorum injurias, crudelitatemque persequar. Etenim ulciscendae injuriae facilior ratio est, quam beneficii remunerandi, propterea quod superiorem esse contra improbos, minus est negotii, quam bonis exaequari: tum etiam nec tam necessarium quidem est male meritis, quam optime meritis, referre quod debeas. Odium vel precibus mitigari potest, vel temporibus Reipublicae communique utilitate deponi vel difficultate ulciscendi teneri, vel vetustate sedari. Benemeritos quin colas, nec exorari fas est, nec id Reipublicae repetere 1) utcumque necesse est, neque est exscusatio

1) *Nec id Reipublicae repetere)* Malim *petere*: ut sit petere ne colas bene meritos, Respondet autem ad illud, *temporibus Reipublicae communique utilitate deponi*. Manut. Non improbo Pauli conjecturam. Ego quoque sine libris emendatioribus meliora non promitto. Cogitabam legendum esse, *nec id Reip. dare,* hoc est facere propter Remp. ut bene meritum non colas. *Dare Reip.* est aliquid in Reip. gratiam facere. Nam Reip. tempora neminem cogunt bene meritum non colere. Egregie id praestitit Atticus, *ut* C. Nepos in ejus vita ostendit. *Graev.*

difficultatis, neque aequum est tempore, et die memoriam beneficii definire. Postremo qui in ulciscendo remissior fuit, mox aperte laudatur: at gravissime vituperatur, qui in tantis beneficiis quanta vos in me contulistis, remunerandis, est tardior: neque solum ingratus, quod ipsum grave est, verum etiam impius appellatur, necesse est. Atque in officio 1) persolvendo dissimilis est ratio pecuniae debitae: propterea quod pecuniam qui retinet, non dissolvit; qui reddidit, non habet: gratiam et qui retulit, habet; et qui habet, dissolvit.

X. Quapropter memoriam vestri beneficii colam benevolentia sempiterna, non solum dum anima spirabo mea, sed etiam cum mortuo monumenta vestri in me beneficii permanebunt. In referenda autem gratia hoc vobis repromitto, semperque praestabo, mihi neque in consiliis de Republica capiendis, diligentiam, neque in periculis a Republica propulsandis, animum; neque in sententia simpliciter referenda 2), fidem; neque in hominum voluntatibus pro Republica laedendis, libertatem; nec in perferendo labore, industria; nec in vestris commodis augendis, gratam animi benevolentiam defuturam. Atque haec

1) *Atque in officio*) Tota ista periodus, *Atque in officio persolvendo dissimilis*, usque ad, *et qui habet, dissolvit*, nec est in Francii primo, nec in Dresdensi, nec in editione principe: Forte ex Planciana, cap. 28, aut libro de Officiis II cap. 20, fuerunt huc translata. *Idem.*

2) *In sententia simpliciter referenda*) Saepe a Tribunis producebatur ad Populum Senator aliquis, ut is palam referret, quod actum fuerat in Senatu. *Ferrat. Simpliciter*, est nulla habita ratione hominis, aut potentis, aut invidi, sed ut jus, utilitas, et tempus Reip. postulabit. *Graev.*

tura, Quirites, erit infixa animo meo sempiterna, ut, cum vobis, qui apud me Deorum immortalium vim, et numen tenetis, tum posteris vestris, cunctisque gentibus dignissimus ea civitate videar; quae suam dignitatem non posse tenere se, nisi me recuperasset, cunctis suffragiis judicavit.

PRO DOMO SUA AD PONTIFICES ORATIO

ARGUMENTUM.

Non videbatur sibi Cicero in patriam restitutus, nisi domum etiam suam recuperasset: qua diruta, aream illius Libertati consecrandam Clodius curaverat, ne profana rursus fieri posset. Cum igitur de religione tollenda ex S. C. ageretur apud Pontifices; hanc habuit Orationem Cicero prid. Kal. Octobris P. Lentulo, et Q. Metello Coss. qua consecrationem neque jure, neque rite factam fuisse contendit, contra adnitente P. Clodio. Adjudicatam fuisse aream Ciceroni e Pontificum collegio, ac deinde a Senatu, patet ex epist. 2. lib. IV. ad Att. et ex Orat. de Har. Responsis. *Ferratius*.

ORATIONIS SYNOPSIS.

PUlcherrima haec Oratio est in *Genere Judiciali* et in tres partes dividitur, *Exordium, Contentionem*, et *Perorationem*; *Contentio* ipsa duplex est, altera extra caussam: altera, quae ad cognitionem Pontificum pertinet.

In *Exordio* Pontifices facit *Attentos* ab illorum officio, et potestate, quod in hac caussa agatur non religio tantum, sed etiam Reip. salus: *Cum multa divinitus*.

In prima parte *Contentionis* avertit *Malevolentiam*, refellendo objecta Clodii, qui dixerat Pontifices fore Ciceroni iratos, quod rei frumentariae curam detulisset sua sententia Pompejo, cui respondet.

1. *A Comparatione minorum* in vulgo, ne dum in sapientibus vitiosum esse mutare sententiam: *Itane vero?*

2. *Ab Effectibus*, et exsprobrat Clodio impudentiam: *Hunc igitur, funesta Reipublicae.*

3. *A remotione Caussae*, quia cum cessasset periculum, tuto venire poterat in Senatum: *At enim in Senatum venire.*

4. *Ab Adjunctis* personarum, et boni Senatoris: *An ego, cum P. Lentulus*.

5. *Prolepsin* cuidam satisfacit de timore Consularium, quasi non fuerit liberum judicium Senatus, quod ipse negat argumento *a Contrariis*; *At enim nonnulli*.

6. Sententiam, quam dixerat in Senatu, defendit, tum quia caussa aderat capiendi novi consilii, *Sed quaero, in ipsa sententia*; tum quia ipse Cicero afferre debeat remedium, quod ab eo Populus petebat: *Fuit igitur caussa*; tum quia multa alia demandata fuerant extra ordinem: *Negat oportuisse*.

In altera *Contentionis* parte nullam esse probat Consecrationem suae domus; 1. quia Tribunus Plebis jure non fuit; 2. quia illegitime lata est lex de suo exilio; 3. quia ipsa Consecratio iniqua est. Non fuisse Tribunum probat, quia jure non fuerat adoptatus; adoptionem ipsam refellit.

1. A jure Pontificio, quia nulla justa caussa, et dolose fuerat adoptatus: *Quod est, Pontifices*.

2. A jure Augurum, quia contra auspicia adoptatus est: *Venio ad augures*.

3. A jure publico, quia facta est adoptio contra legem Caeciliam Didiam de Trinundino: *Si et sacrorum jure*.

Legem de exilio Ciceronis latam fuisse illegitime docet.

1. A XII. Tabulis, quae vetabant irrogari privilegia: *Quo jure, quo more*.

2. *Ab Adjunctis*, quod innocens, et indemnatus pulsus est: *Equidem jam perfunctus sum*.

3. A verbis ipsius legis: *At quid tulit legum scriptor*.

4. Ab illorum improbitate, qui ministri fuerant: *Hoc tu scriptore*.

5. Quia falsa erat caussa in lege allata: *Quid, si iis verbis*.

6. Quia lata est contra legem Caeciliam Didiam: *Quid, si etiam pluribus*.

7. Quia lata fuit per vim: *Quid, si per vim tulisti*.

Exsprobraverat Clodius exilium; Cicero negat se posse appellari exulem.

1. *A caussis*, quia neque peccaverat; neque damnatus fuerat: *Hunc tu etiam*.

2. Ab instituto Majorum, quia ipsi sibi, ut amitteret Civitatem, auctor non fuerat; idque illustrat *Exemplis: Scilicet cum hoc juris.*

3. A verbis ipsius legis*: Quid, si ne scriptum quidem.*

4. Quia nemo tractavit Ciceronem, ut exulem: *At vide, quid intersit.*

5. *A Comparatione majorum*; si enim jure damnato sibi gloriae fuisset reditus in patriam, quanto magis indemnato: *At vero, ut annales Populi Romani.*

Tria praeterea objecta Clodii diluit, de arrogantia, de jactantia, de discessu: *Hic tu me etiam gloriari vetas.*

Quoad tertium membrum, *ab Adjunctis* loci, et personae suae domus eversionem queritur: *Sed hic meus reditus*. Dedicationem nullam esse contendit.

1. Ab impietate Clodii dedicantis*: Nisi quem forte illius castissimi.*

2. Quia illa Dedicatio non poterat esse Diis grata; *Quae tua fuit consecratio?*

3. A sanctitate, et religione cujuslibet privatae domus: *Ista tua pulchra Libertas.*

4. *A Contrariis*, quia libertatis eversor non poterat signum libertatis dedicare: *At quae Dea est?*

5. Quia Simulacrum illud sumptum fuerat e busto Meretricis: *At unde inventa est.*

6. *A caussa finali*, quia ob cupiditatem Clodius dedicaverat domum Ciceronis, ut ea ipse frui posset*: At videte hominis.*

7. Quod affuit Pontifex sine auctoritate, et scientia, *Pontifex, inquit, affuit.*

8. Quia Pontifex non potuit postem tenere: *Nihil loquor de Pontificio jure*; et haec quoad jus religionis. Quod autem spectat ad jus Reipublicae.

9. *A Pari*, quia si Consecratio non valet facta in perniciem Civium, neque dedicatio valere debet: *Quamquam quid ego.*

10. Quia contra legem Papiriam Clodius dedicaverat injussu Populi, et *Exemplis Dissimilibus* amplificavit: *Quid? in Dedicatione.*

Ex quibus concludit per *Comparatione majorum*, nullam futuram fuisse Dedicationem, licet adhibuisset Pontificem praestantissimum, ne dum adhibito Juvene, et imperito: *At, si Pontifices.*

In *Peroratione* precatur Pontifices, ut restituant in domum, quem restituerant in patriam; et id quanti faciat per Apostrophen ad Deos ostendit: *Quae cum ita sint.*

EXORDIUM.

I. CUM multa a) divinitus, Pontifices 1), a majoribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil praeclarius, quam quod vos eosdem 2) et religionibus Deorum immortalium, et summae Reipublicae praeesse voluerunt: ut amplissimi, et clarissimi Cives Rempublicam bene gerendo, Pontifices religiones sapienter interpretando, Rempublicam con-

1) *Pontifices*) Minores, absente Pontifice Max. C. Caesare, qui tum in Gallia bellum gerebat. *Manut.*

2) *Vos eosdem*) Non tam eos, qui tum Pontifices erant, qui longe aberant a majorum aetate, quam superiores omnes Pontifices, ut religioni praeesset nemo, qui summam Rempublicam simul non administraret, id est, qui Senator non esset. *Idem.*

ANALYSIS.

a) Cum multa) *Exordium* sumitur a potestate Pontificum, ac talis est Syllogismus:
„ Debent Pontifices non minus Reip. quam Religionis curam habere.
„ Sed in hac Caussa salus agitur universae Reip;
„ Ergo audire, et attendere diligenter debetis.
Sic enim facit *Attentos*, ex Arist. lib. 3. cap. 14. tex. 10.

Hinc *Propositionem* probat ab instituto Majorum, qui voluerunt eosdem Cives Remp. genere, et religiones interpretari.

servarent. Quod si a) ullo tempore magna caussa in Sacerdotum Populi Romani judicio, ac potestate versata est, haec profecto tanta est, ut omnis Reipublicae dignitas, omnium Civium salus, vita, libertas, arae, foci, Dii penates, bona, fortunae, domicilia, vestrae sapientiae, fidei, potestatique commissa, creditaque esse videantur. Vobis b) hodierno die constituendum est, utrum posthac amentes, ac perditos Magistratus improborum, ac sceleratorum Civium praesidio nudare, an etiam Deorum immortalium religione armare malitis. Nam si illa labes, ac flamma Reipublicae suum illum pestiferum et funestum tribunatum, quem aequitate humana tueri non potest, Divina Religione defenderit: aliae ceremoniae nobis erunt, alii Antistites Deorum immortalium, alii interpretes Religionum requirendi. Sin autem vestra auctoritate, sapientiaque, Pontifices, ea, quae furore improborum in Republica ab aliis oppressa, ab aliis deserta, ab aliis prodita, gesta sunt, rescinduntur; erit caussa, cur consilium majorum, in amplissimis viris ad sacerdotia deligendis jure, ac merito laudare

ANALYSIS.

a) Quod si) *Assumptio.*

b) Vobis) Illius approbatio *a Consequentibus*; attingit enim tum mala, quae Reip. contingent, si dedicationem comprobaverint; tum bona, et salutaria, si religionem a reae sustulerint.

possimus. Sed, quoniam a) ille demens, si ea, quae ego per hos dies 1) in Senatu de Republica sensi, vituperasset aliquem se aditum ad aures vestras esse habiturum putavit, omittam ordinem dicendi meum respondebo hominis furiosi non orationi, qua ille uti non potest, sed convicio, cujus exercitationem cum intollerabili petulantia, tum etiam diuturna impunitate munivit.

CONTENTIONIS I. PARS.

II. Ac primum b) illud a te, homine vesano, ac furioso, requiro, quae tanta te poena tuorum scelerum, flagitiorumque vexet, ut hos tales viros, qui non solum consiliis suis, sed etiam specie ipsa 1) dignitatem Reipublicae sustinent quod ego in sententia dicenda salutem Civium cum honore Cn. Pompeii conjunxerim, mihi esse iratos, et aliud de summa

1) Per hos dies) XII. Id Sept. ut opinor, id est biduo post, quam in urbem rediit. Significat sententiam a se dictam in Senatu de Pompejo, cum esset annonae summa caritas, rei frumentariae praeponendo. Qua de re, epist. 1. lib. IV. ad Attic. *Idem.*

1) Specie ipsa) Non solum dignitate formae, et oris majestate, sed etiam insignibus honoris, et splendore vitae, et dignitatis; nam *species* notat omnem apperatum exteriorem, qui in oculos incurrit, et hominibus apud vulgum utique sol et afferre diguitatem aliquam, et venerationem. Horat. lib. 1. ep. 6.

„ Si fortunatum species, et gratia praestat. Graevius.

ANALYSIS.

a) Sed, quoniam) *Propositio* primae partis *Contentionis* de conviciis Clodii.

b) Ac primum) Primum Clodii convicium: cui respondet *a Comparatione minorum.*

„ Quod vitiosissimum est in multitudine, multo magis
„ erit in Viris sapientibus;
„ Sed saepe sententiam mutare vitiosissimum est etiam in
„ multitudine,
„ Ergo multo magis esset vitiosum in Viris sapientibus.

hoc tempore Religione sensuros, ac me absente 1) senserint, arbitrere.

Fuisti tu, inquit, apud Pontifices superior: sed jam, quoniam te ad Populum 2) contulisti, sis inferior, necesse est. Itane vero? quod in a) imperita multitudine est vitiosissimum, varietas, et inconstantia, et crebra, tamquam tempestatum, sic sententiarum, commutatio, hoc tu ad hos transferas, quos ab b) inconstantia gravitas, a libidinosa sententia certum, et definitum jus religionum, vetustas exemplorum, auctoritas literarum, monumentorumque deterret? Tu ne es c) ille, inquit, quo Senatu carere non potuit? quem boni luxerunt? quem Respublica desideravit? quo restituto, Senatus auctoritatem restitutam putabamus? quam primum adveniens 4) prodidisti? Nondum d) de mea sententia dico. Impudentiae primum respondebo tuae.

1) Me absente) Cum factum est S. C. ut pecunia publica restituerentur Ciceroni domus, et villae, quas Clodius diruerat: ut colligitur ex Ep. 1. lib. IV ad Attic. *Ferr.*

2) Ad Populum) Quod in gratiam Populi Pompejo adhaeseris; tanta potestate eidem delata extra ordinem, contra mentem Consularium, adeoque Pontificum. *Idem.*

3) Primum adveniens) Biduo, postquam in patriam reversus. *Idem.*

ANALYSIS.

a) Quod in) *Assumptio.*

b) Quos ab) *Propositionis* approbatio *a Caussis contrariis.*

c) Tunc es) Secundum Clodii convicium *a Repugnantibus,* quod auctoritatem Senatus prodidisset, quam cum Cicerone restitutam boni omnes putaverant.

d) Nondum) Duplicem adhibet defensionem; coarguit enim Clodium, et diluit objectum.

e) Huuc igitur) Clodii impudentiam sic ostendit *ab Effectibus* per *Epicherema.*

,, Impudens est, qui fatetur revocatum a bonis Reip. caus-
,, sa, quem ipse vi expulerat;
,, Sed illuc fatetur Clodius, qui hoc alterum praestitit;
,, Ergo maxime impudens.

III. Hunc igitur a) funesta Reipublicae pestis, hunc tu Civem ferro, et armis, et exercitus terrore 1), et Consulum scelere, et audacissimorum hominum minis, servorum delectu, obsessione Templorum, occupatione Fori, oppressione Curiae, domo, et patria; ne cum improbis boni ferro dimicarent, cedere curasti, quem a Senatu, quem a bonis omnibus, quem a cuncta Italia desideratum, arcessitum, revocatum, conservandae Reipublicae caussa, confiteris?

At enim a) in Senatum venire, in Capitolium intrare turbulento illo die 2) non debuisti. Ego vero neque veni, et domo me tenui, quamdiu turbulentum tempus fuit: cum servos tuos ad rapinam, ad bonorum caedem paratos, cum illa tua consceleratorum, ac perditorum manu, armatos etiam in Capitolium tecum venisse constabat. Quod cum mihi nuntiaretur, scio me domi mansisse, et tibi, et gladiatoribus tuis instaurandae caedis potestatem non fecisse. Postea quam mihi nuntiatum est, Populum Romanum in Capitolium, propter metum, atque inopiam rei frumentariae convenisse, ministros autem scelerum tuorum perterritos, partim amissis gladiis, partim ereptis, diffugisse: veni non solum sine ullis copiis, ac manu, verum etiam cum paucis amicis.

An ego b), cum P. Lentulus Consul, optime de me

1) Exercitus terrore) Caesar enim erat ad portas, hoc est, in Italia. *Idem.*

2) Turbulento illo die) Commota Plebe propter annonae caritatem.

ANALYSIS.

a) At enim) Objectum proponit, et refellit primo *a remotione Caussa.*

„ Bonus Senator turbulento tempore non debet in Sena-
„ tum venire,
„ Sed jam turbulentum tempus cessaverat:
„ Ergo debui venire in Senatum.

Utraque Syllogismi pars expresse habetur.

b) An ego) Secundo idem probat *ab Adjunctis* personarum:

ac de Republica meritus, cum Q. Metellus, qui cum meus inimicus esset, frater tuus, et dissensioni nostrae, et precibus tuis salutem, ac dignitatem meam praetulisset, me arcesserent in Senatum: cum tanta multitudo Civium tam recenti officio suo me ad referendam gratiam nominatim vocarent, non venirem; cum praesertim te jam illinc cum tua fugitivorum manu discessisse constaret? Hic tu me a) etiam custodem, defensoremque Capitolii, templorumque omnium, hostem Capitolinum appellare ausus es, quod, cum in Capitolio Senatum duo Consules haberent, eo venirem? Utrumne b) est tempus aliquod, quo in Senatum venisse turpe sit? an res illa talis erat, de qua agebatur, ut rem ipsam repudiare, et eos, qui agebant, condemnare deberem?

IV. Primum dico Senatoris esse boni, semper in Senatum venire: nec cum his c) sentio, qui statuunt minus bonis temporibus in Senatum ipsi non venire; non intelligentes, hanc suam nimiam perseverantiam vehementer iis, quorum animum offendere voluerunt, gratam, et jucundam fuisse. At enim d) nonnulli propter timorem, quod se in Senatu tuto non esse

ANALYSIS.

„ Non debebam recusare illo ire, quo de me optime meriti
„ vocabant;
„ Sed me in Senatum vocabant Consules, et Populus de
„ me optime meriti;
„ Ergo non erat mihi recusandum venire in Senatum.

a) Hic tu me) Tertium convicium, quod tamen congruit cum superiori respondet autem *a Repugnantibus*, quia non est capitolinus hostis, qui Capitolium servavit.

b) Utrumne, Rursus consilium suum defendit *ab Adjunctis.*

„ Nullum est tempus, quo turpe sit venire in Senatum, si
„ vocent Coss. bene meriti;
„ Sed me in Senatum vocabant Coss. benemeriti;
„ Ergo venire debui in Senatum.

c) Nec cum his) *Propositionis* approbatio a reprehensione illorum qui contra sentiebant.

d) At enim) *Prolepsis* ab exemplo Consularium, cui respondet, 1. *a Genere*, quod quisque arbitratu suo ti-

arbitrabantur, discesserunt. Non reprehendo; nec quaero, fueritne aliquid pertimescendum. Puto, suo quemque arbitratu timere oportere. Cur ego non timuerim, quaeris? quia te illinc abiisse constabat. Cur, cum viri boni nonnulli putarint, tuto se in Senatu esse non posse, ego non idem senserim? Cur, cum ego me existimassem tuto omnino in civitate esse non posse, illuc irem? An aliis licet, et recte licet, in meo metu sibi nihil timere: mihi uni necesse erit et meam, et aliorum vicem pertimescere?

An quia a) non condemnavi sententia mea duos Consules, sum reprehendendus? Eos igitur ego potissimum damnare debui, quorum lege perfectum est, ne ego indemnatus, atque optime de Republica meritus, damnatorum poenas sustinerem? Quorum etiam delicta, propter eorum egregiam in me conservando voluntatem, non modo me, sed omnes bonos ferre oporteret, eorum optimum consilium ego potissimum, per eos in meam pristinam dignitatem restitutus, consilio repudiarem meo? At quam b) sententiam dixi? Primum eam, quam Populi sermo in animis nostris jam ante defixerat: deinde eam, quae erat

ANALYSIS.

met; 2. *a Caussa*, quia Clodius aberat; 3. sic *a Pari*:
„ Eadem mea, et aliorum debet esse conditio;
„ Sed me timente, cum abiit in exilium alii non timue-
„ runt;
„ Ergo aliis timentibus ego quoque potui non timere.
Assumptio praecedit, sequitur deinde per interrogationem *Propositio.*

a) *An, quia) Propositio* Syllogismi *ab Adjunctis* quoad secundam partem, quam confirmat *a Comparatione majorum*; si enim eorum Consulum delicta ferre deberem, multo magis optima consilia probare.

b) *At quam)* Hactenus consilium veniendi in Senatum, nunc sententiam ipsam defendit, et primum *ab Adjunctis,* ut quam Populus exspetiverat, et saepe in Senatu agitatam universi Patres comprobaverant.

superioribus diebus agitata in Senatu: deinde eam, quam Senatus frequens, tum, cum mihi est assensus, sequutus est: ut neque allata sit a me res inopinata, ac recens: nec, si quod in sententia vitium est: magis sit ejus, qui dixerit, quam omnium, qui probarint. At enim liberum a) Senatus judicium, propter metum, non fuit. Si timuisse eos facis, qui discesserunt, concede, non timuisse eos, qui remanserunt. Sin autem b) sine iis, qui tum abfuerunt; nihil decerni libere potuit: cum omnes adessent, coeptum est referri de inducendo Senatusconsulto. Ab universo Senatu reclamatum est.

V. Sed quaero c), in ipsa sententia, quoniam princeps ego sum ejus, atque auctor, quid reprehendatur. Utrum caussa capiendi novi consilii non fuit? An meae partes in ea caussa non praecipua fuerunt? an alio potius 1) confugiendum fuit? Quae vis d), quae caussa major esse, quam fames, potuit? quam

1) *Alio potius)* Non ad Pompejum. *Manutius.*

ANALYSIS.

a) *At enim liberum) Prolepsis*, cui respondet tum *a Contrariis*, hoc modo:

„ Si quidam discesserunt: quod timerent, ceteri non timebant, qui remanserunt;
„ Sed illos timuisse dicit Clodius,
„ Ergo ceteri non timuerunt, adeoque libere judicarunt.

b) *Sin autem)* Tum enim ex eo, quod, cum postero die referretur in Senatu de tollendo illo S. C. quod factum fuerat. Idem scribit Ep. 1. lib. 4. ad Att. *Postridie Senatus frequens, et omnes Consulares nil Pompejo postulanti negarunt.*

c) *Sed quaero)* Sequitur argumentum, quo suam sententiam tuetur *a partium distributione*:

„ Aut caussa reprehenditur capiendi novi consilii, aut auctor, aut ipsum consilium,
„ Sed et justa caussa aderat, et ego auctor esse debebam, et ipsum consilium reprehendi non potest:
„ Ergo nihil est, quod jure reprehendi possit.

d) *Quae vis)* Haec est prima pars *Assumptionis*; duas autem *Caussas* assignat, famem scilicet, et seditionem a Clodio exscitatam.

seditio? quam consilia tua, tuorumque; qui facultate oblata, ad imperitorum animos incitandos, renovaturum te tua illa funesta latrocinia ob annonae caussam putarunt 1)? Frumentum a) Provinciae frumentaria e partim non habebant: partim in alias terras, credo, propter varietatem 2) venditorum miserant: partim, quo gratius esset, tum, cum in ipsa fame subvenissent, custodiis suis clausum continebant, ut subito novum mitterent. Res erat non in opinione dubia, sed in praesenti, atque ante oculos proposito periculo; neque id conjectura prospiciebamus, sed jam exsperti videbamus. Nam, cum b) ingravesceret annona, ut jam plane inopia, ac fames, non caritas, timeretur, concursus est ad templum Concordiae factus, Senatum illuc vocante Metello Consule. Qui si verus c) fuit, ex dolore hominum, et fame; certe Consules caussam suscipere, certe Senatus aliquid consilii capere potuit. Sin caussa fuit annona 3), seditionis, quidem instimulator, et concitator tu fuisti: nonne id agendum nobis omnibus fuit, ut materiem subtraheremus furori tuo?

1) *Putarunt)* Longe praefero Francii codicis lectionem, *putavisti*. Graevius.

2) *Propter varietatem)* Quod quidam ex iis, qui venderent, in alias terras suum frumentum miserant, in quibus negotiari soleant. *Ferratius*. Non capio quid sit *varietas venditorum*. Suspicor Ciceronem scripsisse, *propter avaritiam venditorum*. Graevius.

3) *Sin caussa fuit annona)* Hoc est, si praetextu annonae tu seditionem stimulabas. *Ferratius*.

ANALYSIS.

a) *Frumentum)* Famem affuisse probat *a Caussis* conglobatis.

b) *Nam, cum)* Concursum etiam Populi, et seditionem, tum ita concludis:

„ Erat caussa capiendi novi consilii, si aderat Populi
„ seditio, stimulante tum fame, tum Clodio;
„ Sed hoc verum est;
„ Ergo et illud.

c) *Qui si verus)* Propositio.

Quid, si utrumque fuit, et ut fames stimularet homines, et tu in hoc ulcere, tamquam unguis, exsisteres? nonne fuit eo major adhibenda medicina, quae et illud nativum, et hoc delatum malum sanare posset? erat igitur et praesens caritas, et futura fames. Non est satis: facta lapidatio est: Si ex dolore plebei 1) nullo incitante: magnum malum. Si P. Clodii impulsu: usitatum hominis facinorosi scelus. Si utrumque, ut et res esset ea, quae sua sponte multitudinis animos incitaret, et parati, atque armati seditionis Duces: videturne ipsa Respublica, et Consulis auxilium implorasse, et Senatus fidem? Atqui a) utrumque fuisse perspicuum est, difficultatem annonae, summamque inopiam rei frumentariae, ut homines non jam diuturnam caritatem, sed ut famem plane timerent. Nemo negat. Hanc istum, otii, et pacis hostem caussam arrepturum fuisse ad incendia, caedem, rapinas, nolo, pontifices, suspicemini, nisi videretis.

Qui sunt homines a Q. Metello, fratre tuo, Consule, in Senatu palam nominati, a quibus ille se lapidibus appetitum, etiam percussum esse dixit? L. Sergium, et M. Lollium nominavit. Quis est iste Lollius? qui sine ferro ne nunc quidem tecum est: qui, te Tribuno Plebis, nihil de me dicam sed qui Cn. Pompejum interficiendum depoposcit. Quis est Sergius? armiger Catilinae, stipator tui corporis, signifer seditionis, concitator tabernariorum, damnatus injuriarum, percussor, lapidator, fori depopulator, obsessor

1) *Plebei*) Hoc *Plebejo*, habet Vict. Lamb. etc. Alterum Grut. et dicitur antiquo more pro *plebis*. Quis enim nesciat dictum esse olim, non *plebs*, sed *plebes*; et fuisse quintae, ut nunc loquuntur, declinationis? *Olivetus.*

ANALYSIS.

a) *Atqui*) *Assumptio*, et de Clodio probat testimonio Metelli Consulis.

Curiae. His atque a) hujusmodi ducibus, cum tu in annonae caritate in Consules, in Senatum, in bona, fortunasque locupletium, per caussam inopum, atque imperitorum, repentinos impetus comparares, cum tibi salus esse in otio nulla posset: cum desperatis ducibus decuriatos, ac descriptos haberes exercitus perditorum: nonne providendum Senatui fuit; ne in hanc tantam materiam seditionis ista funesta fax adhaeresceret. Fuit igitur b) capiendi novi consilii; Videte nunc, fuerint ne partes meae pene praecipuae.

VI. Quem tum c) Sergius ille tuus, quem Lollius? quem ceterae pestes in lapidatione illa nominabant, quem annonam praestare oportere dicebant? nonne me? Quid? puerorum illa concursatio nocturna? num a te ipso instituta? Me frumentum flagitabant. Quasi vero ego aut rei frumentariae praefuissem, aut compressum aliquod frumentum tenerem, aut in isto genere omnino quicquam, aut curatione, aut potestate valuissem. Sed homo ad caedem imminens, meum nomen operis ediderat, imperitis injecerat. Cum de mea d) dignitate in templo Jovis Optimi Maximi Senatus frequentissimus, uno isto dissentiente decrevisset; subito, illo ipso die, carissimam annonam opinata vilitas consequuta est,

ANALYSIS.

a) *His, atque)* *Complexio.*

b) *Fuit igitur)* Transit ad secundam *Assumptionis* partem, et ostendit jure se fuisse auctorem illius consilii capiendi, hoc Syllogismo;

„ Id ego praestare debui, quod a me petebatur et ma-
„ liguo a Clodianis, et jure quodam a bonis;
„ Sed a me petebatur annona et maligne a Clodianis,
„ et jure quodam a bonis, quae praestari facile poterat
„ a Pompejo,
„ Ergo Pompejo demandare debui curam rei frumenta-
„ riae,

c) *Quem tum)* Cum hujus *Assumptionis* tria sunt membra, hoc primum est de Clodianis, et quo consilio id agerent attingit.

d) *Cum de mea)* Secundum membrum; qua ratione boni a Cicerone annonam peterent.

Erant qui Deos immortales (id quod ego sentio) numine suo reditum meum dicerent comprobasse. Nonnulli autem illam rem ad illam rationem, conjecturamque revocabant, qui, quod in meo reditu spes otii, et concordiae sita videbatur, in discessu autem quotidianus seditionis timor, jam pene belli depulso metu, commutatam esse annonam dicebant: quae quia rursus in meo reditu facta erat durior, a me, cujus adventu fore vilitatem boni viri dictitabant, annona flagitabatur.

III. Ego denique non solum ab operis tuis, impulsu tuo, nominabar, sed etiam, depulsis, ac dissipatis tuis copiis, a Populo Romano universo, qui tum in Capitolium convenerat, cum illo die minus valerem, nominatim in Senatum vocabar. Veni exspectatus. Multis sententiis jam dictis, rogatus sum sententiam. Dixi Reipublicae saluberrimam, mihi necessariam. Petebatur a me frumenti copia, annonae vilitas; quasi possem aliquid in ea re gerenda, non habebatur 1). Flagitabar bonorum exspostulatione. Improborum convicia sustinere non poteram. Delegavi a) amico locupletiori, non quo illi, ita de me merito, onus illud imponerem, (succubuissem enim potius ipse) sed quia videbam id quod omnes: quod nos de Cn. Pompejo polliceremur, id illum fide, consilio, virtute, auctoritate, felicitate denique sua facillime perfecturum.

1) *Non habebatur*) Quid? frumenti videlicet copia. Mihi tamen suspectus locus est. *Manutius*. S. Victor: *possem aliquid in ea re generatio*: *non habebatur*. Ex cujus vestigiis censeo scripsisse Tullium: *num possem aliquid in ea re gerenda: ratio non habebatur*. *Quasi* vulgatum nec in nono Palatino habetur. *Num* puto librariorum culpa periisse, et pro illo postea substitutum *quasi*: duo vero vocabula *gerenda ratio* coaluisse, et degenerasse in *generatio*. Graevius.

ANALYSIS.

a) *Delegavi*) Tertium de Pompejo.

Itaque a), sive hunc Dii immortales fructum mei reditus Populo Romano tribuunt, ut, quemadmodum discessu meo frugum inopia, fames, vastitas, caedes, incendia, rapinae, scelerum impunitas, fuga, formido, discordia fuisset; sic reditu meo ubertas agrorum, frugum copia, spes otii, tranquillitas animorum, judicia, leges, concordia Populi, Senatus auctoritas, mecum simul reducta videantur: sive egomet aliquid adventu meo, consilio, auctoritate, diligentia pro tanto beneficio Populo Romano praestare debui: praesto, promitto, spondeo: nihil, dico amplius hoc, quod satis est huic tempori, dico Rempublicam annonae nomine in id discrimen, quo vocabatur, non esse venturam.

VIII. Num igitur in hoc officio, quod fuit praecipue meum, sententia mea reprehenditur? Rem maximam 1) eripui a peste summi periculi, non solum eam, sed etiam vos a caede, incendiis vastitate: nemo negat: cum ad caussam caritatis accederet iste speculator communium miseriarum, qui semper in Reipublicae malis sceleris sui faces inflammarit. Negat b) oportuisse quicquam uni extra ordinem decerni. Non jam tibi sic respondebo: ut ceteris:

1) Rem maximam, Rem frumentariam. Sic infra: *Nos quod rei maximae summum virum praefecimus*, etc. *Hotoman.*

ANALYSIS.

a) *Itaque*) *Complexio*.

b) *Negat*) Haec tertia est *Assumptionis* pars contra Clodii reprehensionem, qui negaverat oportuisse demandari extra ordinem Pompejo curationem rei frumentariae refellit autem in primis *ab Antecedentibus:*

„Utile fuit Reip. mandari Pompejo alia multa extra or-„dinem,

„Ergo, si hanc quoque curationem extra ordinem susci-„piat, Reip. utile erit.

Per figuram *Praeteritionem* ait, se non uti hoc argumento contra Clodium, sed adversus aliorum Consularium sententiam, qui ducti aliqua ratione ita sentiant.

Cn. Pompejo plurima, periculosissima, maxima, terra, marique bella extra ordinem esse commissa; quarum rerum si quem poeniteat, cum victoriae Populi Romani poenitere. Non ita tecum ago.

Cum his haec a me haberi oratio potest, qui ita disputant, se, si qua res ad unum referenda sit, ad Cn. Pompejum delaturos potissimum, sed se extra ordinem nihil cuiquam dare: cum Pompejo datum sit, id se pro dignitate hominis ornare, ac tueri solere. Horum ego sententiam ne laudem impedior Cn. Pompeji triumphis: quibus ille, cum esset extra ordinem ad patriam defendendam vocatus, auxit nomen Populi Romani, imperiumque honestavit, constantiam probo, qua mihi quoque utendum fuit 1): quo ille auctore extra ordinem bellum cum Mithridate, Tigraneque gessit. Sed cum illis tamen possum aliquid disputare. Tua vero a) quae tanta impudentia est, ut audeas dicere, extra ordinem dari nihil cuiquam oportere? qui cum b) lege nefaria Ptolemaeum, Regem Cypri, fratrem regis Alexandrini, eodem jure regnantem, caussa incognita, publicasses,

a) *Qua mihi quoque utendum fuit)* Ipsi faciunt, quod solent, cum extra ordinem Pompejo nihil dant: aeque enim id omnibus negant. Ego quoque, quod antea feceram in bello Mithridatico extra ordinem Pompejo mandando, idem feci nunc in rei frumentariae procuratione eidem extra ordinem decernenda: et quam in illis constantiam probo, eadem in me ipso delector. *Manutius.*

ANALYSIS.

a) *Tua vero)* Sic deinde arguit contra ipsum Clodium, et ut dicitur, *ad hominem:*

„ Ille non debet reprehendere, si fiat aliquid extra ordi-
„ nem, qui multa et ipse fecit extra ordinem;
„ Sed Clodius dedit Provincias Catoni, Coss., et Sex.
„ Clodio, de me etiam tulit extra ordinem;
„ Ergo reprehendere non debet, si detur Provincia Pom-
„ pejo extra ordinem.

b) *Qui cum)* Illud de Catone amplificat tum ab innocentia Ptolemaei, cujus regnum publicaverat, tum *a Caussa finali* amandandi Catonis, ne sibi praesens adversaretur.

Populumque Romanum scelere obligasses; cum in ejus regnum, bona, fortunas, patrocinium 1) hujus Imperii immisisses, cujus cum patre, avo, majoribus societas nobis, et amicitia fuisset, hujus pecuniae deportandae, et, si quis suum jus defenderet, bello gerendo M. Catonem praefecisti. Dices. quem virum? Sanctissimum, prudentissimum, fortissimum, amicissimum Reipublicae, virtute, consilio, ratione, vita mirabili ad laudem, et prope singulari. Sed quid ad te 2), qui negas esse verum, quemquam ulli Reipublicae 3) extra ordinem praefici?

IX. Atque in hoc solum inconstantiam redarguo tuam: qui in ipso Catone; quem tu non pro illius dignitate produxeras, sed pro tuo scelere subduxeras 4); quem tuis Sergiis, Lollis, Titiis, ceterisque caedis, et incendiorum ducibus objeceras: quem carnificem civium, quem indemnatorum necis principem, quem crudelitatis auctorem fuisse dixeras: ad hunc, honorem, et Imperium extra ordinem nominatim rogatione tua detulisti: et tanta fuisti intemperantia, ut illius tui sceleris 5) rationem occultare non posses. Literas in concione recitasti, quas tibi a C. Caesare 6) missas diceres: CAESAR PULCHRO: cum

1) *Patrocinium)* Hunc nescio quomodo irrepsit ex Gruteriano codice *patrocinium* illud, cum alii omnes *latrocinium* ediderint. Latrocinium enim, ait Manutius, vere dici potest illa publicatio. *Olivetus.*

2) *Quid ad te)* Catonis laudes tuum factum non excusant: Nam si juris non est, ulli rei quemquam extra ordinem praefici, cur tu Catonem praefecisti? *Manut.*

3) *Ulli Reipublicae)* Intelligeretur fortasse facilius, si Criticis libuisset, non scribi haec conjunctim, sed in hunc modum, *rei publicae*: Hic enim *res publica* est negotium publicae utilitatis caussa, et publica auctoritate susceptum. *Oliv.*

4) *Subduxeras)* Ne tibi adversaretur in tuo tribunatu. *Manutius.*

5) *Illius tui sceleris)* In amandando Catone. *Idem.*

6) *A. C. Caesare)* Ex Gallia. Notae sunt Caesaris, et Catonis inimicitiae. *Idem.*

etiam es argumentatus, amoris, esse hoc signum cum nominibus tantum uteretur, neque adscriberet, *Proconsule* 1), aut *Tribuno Plebis*. Deinde gratulari tibi, quod idem in posterum M. Catonem tribunatu tuo semovisses, et quod idem in posterum de extraordinariis potestatibus libertatem ademisses 2). Quas aut numquam tibi ille literas misit; aut si misit, in concione recitari noluit; aut, sive ille misit, sive tu finxisti; certe consilium tuum de Catonis honore, illarum literarum recitatione patefactum est. Sed omitto a) Catonem, cujus eximia virtus, dignitas, et in eo negotio, quod gessit, fides, et continentia, tegere videntur improbitatem et legis, et actionis tuae.

Quis Provinciam homini 3) post homines natos turpissimo, sceleratissimo, contaminatissimo: quis illam opimam fertilemque Syriam, quis bellum pacatissimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros constitutam, ereptam vi ex Caesaris rebus actis 4),

1) *Proconsule)* Sic tempore Ciceronis loquebantur, Prima editio, et multae aliae, *Proconsuli*, quod est aevi posterioris. *Graev. Proconsuli*, male: Pertinet enim ad Caesarem vox illa, quemadmodum alia *Pulchro*. Victorius, in *Fam.* V. 19.

2) *Libertatem ademisses)* Catoni: ne posset in posterum contra extraordinarias potestates verba facere. Quod enim ipse accepisset, in aliis reprehendere nonposset. Huc illud pertinet ex oratione pro Sextio: *Qui in concione palam dixerint, linguam se evellisse M. Catoni, qua semper contra extraordinarias potestates libera fuisset.* Manut.

3) *Homini)* Gabinio.

4) *Ereptam vi ex Caesaris rebus actis)* Locus est contaminatus, qui sive melioris libri ope non potest purgari *Actis* quid tibi velit, nemo dixerit. *Graevius*.

ANALYSIS.

a) *Sed omitto)* Secundum de Provinciis Consulum sic pertractat *ab Adjunctis*.

„ Provincias pacatas, et liberos Populos sceleratis homi-
„ nibus contra legem Semproniam tradidisti extra or-
„ dinem;

„ Ergo extraordinariam curationem non debes in Pompe-
„ jo reprehendere.

quis Imperium infinitum dedit? Cui quidem cum Ciliciam dedisses, mutasti pactionem, et Ciliciam ad Praetorem item extra ordinem transtulisti: Gabinio, pretio amplificato, Syriam nominatim dedisti. Quid? homini teterrimo, crudelissimo, fallacissimo, omnium scelerum, libidinumque maculis notatissimo, L. Pisoni nonne nominatim Populos liberos, multis Senatusconsultis, etiam recenti lege soceri ipsius liberatos, vinctos, et constrictos tradidisti? nonne, cum ab eo merces tui beneficii, pretiumque Provinciae meo sanguine tibi esset persolutum, tamen aerarium cum eo partitus es.

Itane vero? tu Provincias consulares, quas C.Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit ab Senatu, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per Senatum, decreta lege sanxit 1): eas lege Sempronia per Senatum decretas rescidisti? extra ordinem, sine sorte nominatim dedisti, non Consulibus, sed Reipublicae pestibus? nos, quod nominatim rei maximae pene jam desperatae summum virum, saepe ad extrema Reipublicae discrimina delectum, praefecimus, a te reprehendemus?

X. Quid tandem a)? si quae tum illis Reipublicae tenebris, caecisque nubibus, et procellis, cum Senatum a gubernaculis dejecisses, Populum e navi exsturbasses, ipse archipirata cum grege praedonum impurissimo plenissimis velis navigares: si quae tum promulgasti, constituisti, promisisti, vendidisti, perferre potuisses, qui locus in Orbe terrarum vacuus exstraordinariis fascibus, atque Imperio Clodiano fuisset. Sed exscitatus aliquando Cn. Pompeji (dicam

a) *Decreta lege* sanxit) Legendum, *decreta*, libris omnibus invitis: subintelligitur autem, *Provincias*. Lambinus. Mihi videtur *decreta* delendum esse, aut pro *decreta* legendum *lata lege*. Graev.

ANALYSIS.

a) *Quid laudem?)* Innuit multa alia innovaturum fuisse Clodium, nisi Pompejus adversari eidem coepisset.

ipso audiente, quod sensi, et sentio, quoque animo me auditurus est) exscitatus inquam, aliquando Cn. Pompeji nimium diu reconditus, et penitus abstrusus animi dolor subvenit subito Reipublicae, Civitatemque fractam malis, mutam debilitatam, abjectam metu, ad aliquam spem libertatis, et pristinae dignitatis erexit. Hic vir a) extra ordinem b) rei frumentariae praeficiendus non fuit? Scilicet tu belluoni spurcissimo, praegustatori libidinum tuarum homini egentissimo, et facinorosissimo Sex. Clodio, socio tui sanguinis 1), qui sua lingua etiam sororem tuam a te abalienavit 2), omne frumentum privatum, et publicum, omnes Provincias frumentarias, omnes mancipes, omnes horreorum claves lege tua tradidisti. Qua ex re primum caritas nata est: deinde inopia: impendebat fames, incendia, caedes, direptio: imminebat tuus furor omnium fortunis, et bonis.

Queritur etiam importuna pestis ex ore impurissimo Sex. Clodii rem frumentaria esse ereptam summisque in periculis ejus viri auxilium implorasse Rempublicam, a quo saepe se et servatam, et amplificatam esse meminisset. Extra ordinem ferri ni-

1) *Socio tui sanguinis*) Qui tibi socius esset in turpi consuetudine sororis tuae. *Manutius*.

2) *Abalienavit*) Effecit, ut ipsa magis eum diligeret, quam te. *Idem*.

ANALYSIS.

a) *Hic vir*) Tertium de Sex. Clodio hoc modo *a Comparatione Dissimilium*:

„ Minus reprehendendum est, dari extra ordinem rem fru-
„ mentariam Viro innocenti, quam belluoni spurcissimo;
„ Sed tu dedisti tua lege Sex. Clodio rem frumentariam
„ extra ordinem;
„ Ergo reprehendere non debes, si nunc detur Pompejo
„ Viro innocenti.

b) *Extra ordinem*) Quartum etiam de se ipso sic ostendit; Tu de me extra ordinem, hoc est nominatim tulisti; Ergo etiam ego potui sine reprehensione praeficere Pompejum extra ordinem rei frumentariae.

hil placet Clodio. Quid? de me quod tulisse te dicis parricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti? An de peste Civis quemadmodum omnes jam Dii, atque homines judicaverunt, Conservatoris Reipublicae, quemadmodum autem tute ipse confiteris, non modo indemnati, sed ne accusati quidem, licuit tibi ferre non legem, sed nefarium privilegium, lugente Senatu, moerentibus bonis omnibus, totius Italiae precibus repudiatis, oppressa, captaque Republica: mihi, Populo Romano implorante, Senatu poscente, temporibus Reipublicae flagitantibus, non licuit de salute Populi Romani sententiam dicere? Qua quidem in sententia, si Cn. Pompeji dignitas aucta est, conjuncta cum utilitate communi, certe laudandus essem, si ejus dignitati suffragatus viderer, qui meae saluti opem, et auxilium tulisset.

XI. Desinant a), desinant homines iisdem machinis sperare me restitutum posse labefactari, quibus antea stantem perculerunt. Quod enim par amicitiae consularis fuit umquam in hac Civitate conjunctius, quam fuimus inter nos, ego, et Cn. Pompejus? Quis ad Populum Romanum de illius dignitate industrius 1), quis Senatui saepius dixit? qui tantus fuit labor, quae simultas, quae consentio, quam ego non pro illius dignitate susceperim? qui ab illo in me honos, quae praedicatio de mea laude, quae remuneratio benevolentiae praetermissa est? Hanc nostram conjunctionem, hanc conspirationem in Republica bene

1) *De illius dignitate industrius*) P. Manutius ac Lambinus *illustrius*, sed non suffagantur libri editi, scriptive. *Gruter*. Hunc locum explicat, *Ad Att.* II 21. quo dicit, Pompejum *omnibus a se pictum, et politum artis coloribus*. Anonymus.

ANALYSIS.

a) *Desinant*) *Ab Effectibus* probat, maximam sibi cum Pompejo amicitiam fuisse ante exilium; qua ratione diremta fuerit exponit: quanta ille deinde in se restituendo fecerit, narrat, et amplificat.

gerenda, hanc jucundissimam vitae, atque officiorum omnium societatem, certi homines fictis sermonibus, et falsis criminibus diremerunt: cum iidem illum, ut me metueret, me caveret, monerent: iidem apud me, mihi illum esse uni inimicissimum dicerent: ut neque ego ab illo quae mihi petenda essent, satis audaciter petere possem: neque ille, tot suspicionibus certorum hominum, et scelere exsulceratus, quae meum tempus 1) postularet, satis prolixe mihi polliceretur.

Data merces est erroris mei magna, Pontifices, ut me non solum pigeat stultitiae meae, sed etiam pudeat: qui cum me non repentinum aliquod meum tempus, sed veteres multo ante suscepti, et provisi labores, cum viro fortissimo, et clarissimo conjunxissent, sim passus a tali amicitia distrahi; neque intellexerim, quibus aut ut apertis inimicis obsisterem, aut ut insidiosis amicis non crederem. Proinde desinant aliquando me iisdem inflammare verbis: Quid sibi iste vult? nescit quantum auctoritate valeat, quas res gesserit, qua dignitate sit restitutus: cur ornat eum, a quo desertus est? Ego vero neque me tum desertum puto, sed pene deditum 2): nec quae sint in illa Reipublicae flamma gesta contra me, neque quomodo, neque per quos, patefaciendum mihi esse arbitror. Si utile Reipublicae fuit, haurire me unum pro omnibus illam indignissimam calamitatem: etiam hoc utile sit, quorum id scelere conflatum sit, me occultare, et tacere. Illud vero est hominis ingrati, tacere. Itaque libentissime praedicabo, Cn. Pompejum studio, et auctoritate aeque, ut unumquemque vestrum, opibus contentione, precibus, periculis denique, praecipue pro salute mea laborasse.

1) *Meum tempus*) Et hic, et paullo post, tempus accipe pro adverso tempore, ut in proemio Manilianae, *amicorum temporibus*. Manutius.

2) *Pene deditum*) Gravius est, *deditum*, quam desertum. *Idem.*

XII. Hic tuis, P. Lentule, cum tu nihil aliud dies, et noctes, nisi de salute mea cogitares, consiliis omnibus interfuit: hic tibi gravissimus auctor ad instituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adjutor ad rem perficiendam fuit: hic municipia, Coloniasque adiit: hic Italiae totius auxilium cupientis imploravit: hic in Senatu princeps sententiae fuit: idemque cum dixisset, tum etiam pro salute mea Populum Romanum obsecravit.

Quare a) istam orationem, qua es usus, omittas licet: post illam sententiam, quam dixeram de annona, Pontificum animos esse mutatos: perinde, quasi isti aut de Cn. Pompejo aliter, atque ego existimo, sentiant: aut, quid mihi pro exspectatione Populi Romani, pro Cn. Pompeji meritis erga me, pro ratione mei temporis faciendum fuerit, ignorent: aut etiam, si cujus forte Pontificis animum, quod certo scio aliter esse, mea sententia offendit, alio modo sit constituturus aut de Religione Pontificum, aut de Republica, quam eum aut ceremoniarum jus, aut Civitatis salus coegerit.

CONTENTIONIS ALTERA PARS.

Intelligo b), Pontifices, me plura extra caussam dixisse, quam aut opinio tulerit, aut voluntas mea: sed cum me purgatum vobis esse cuperem, tum etiam vestra in me attente audiendo benignitas provexit

ANALYSIS.

a) *Quare*) *Epilogus* hujus disputationis.

b) *Intelligo*) Proposita divisione Pontificiae cognitionis in jus Religionis, et jus Reip., quo magis *dociles* faceret: ait se primum illud omittere ad evitandam notam arrogantiae, stultitiae, et curiositatis: licet fuse pertractet, cum agit de ipsa Dedicatione.

orationem meam. Sed hoc compensabo brevitate ejus orationis, quae pertinet ad ipsam cognitionem vestram: quae cum sit in jus Religionis, et in jus Reipublicae distributa, Religionis partem, quae multo est verbosior, praetermittens, de jure Reipublicae dicam. Quid est enim aut tam arrogans, quam de Religione, de rebus divinis, caeremoniis, sacris, Pontificum Collegium docere conari, aut tam stultum, quam si quis quid in vestris libris invenerit, id narrare vobis; aut tam curiosum, quam ea scire velle, de quibus majores nostri vos solos, et consuli, et scire voluerunt?

XIII. Nemo a) potuisse jure publico, legibus iis, quibus haec Civitas utitur, quemquam Civem ulla ejusmodi calamitate affici sine judicio: hoc juris in hac Civitate, etiam tum, cum Reges essent, dico fuisse: hoc nobis esse a majoribus traditum: hoc esse denique proprium liberae Civitatis, ut nihil de capite Civis, aut de bonis, sine judicio Senatus, aut Populi, aut eorum, qui de quaque re constituti judices sint, dethrai possit.

Videsne me non radicitus evellere omnes actiones tuas? neque illud agere, quod apertum est, te omnino nihil gessisse jure, non fuisse Tribunum Plebis? Hoc dico, * esse parricidium 1) dico apud Pon-

* Lamb. *te esse patricium*.

1) *Hoc dico, esse parricidium*) Ita scriptum est in vulgatis. Ant. Augustinus legit, hoc dico, *esse pontificium*. Sed non id agit nunc Cicero, ut probet caussam hanc esse pontificiam, quae profecto erat, et agebatur apud Pontifices: sed opponit illud *hoc* (quod demonstrat Clodii privilegium in Tullium sine judicio) ad illud *omnes actiones suas*, quas possum generatim, et communiter coarguere, non esse legitimas, quia specie, non re Tribunus eas egisti:

ANALYSIS.

a) *Nego*) Quod igitur spectat ad jus Reip. tribus rationibus contendit religionem suae domus nullam esse: 1. quia Tribuuus esse non poterat: 2. quia illegitime lex lata fuerat. 3. quia domum per vim everterat, et male dedicaverat. Secundam statim hic proponit, et ad primam deinde descendit per figuram *Praeteritionem*.

tifices: augeres adsunt: versor in medio jure publico. Quod est a), Pontifices, jus adoptionis 1)? Nempe ut is adoptet, qui neque procreare jam liberos possit, et, cum potuerit, sit expertus. Quae deinde caussa cuique sit adoptionis, quae ratio generum, ac dignitatis 2) quae sacrorum 3), quaeri a Pontificum Collegio solet. Quid est b) horum in ista adoptione quaesitum? Adoptat annos viginti natus, etiam minor, Senatorem. Liberorumne caussa? At procreare potest. Habet uxorem, suscepit etiam liberos. Exhaeredabit igitur Pater filium. Quid? sacra Clodiae

sti: sed nunc non ago id, ut redarguam illas omnes: hoc ago, ut etiam si legibus, aut re vera esset Tribunus Pl. tamen hoc tuum de me privilegium contra leges, contra jura, mores, et Religionem latum sit, atque ideo parricidium necesse sit fateare tute ipse. Vel igitur vulgatam lectionem *parricidium* retineamus, necesse est: vel pro ea, si magis placet, *parricidam* reponamus, quomodo alibi appellat Clodium. *Ursinus. Patricium*, sententia postulat. Nam si patricius est, sequitur, ut Tribunus Plebis esse non potuerit. Cur autem patricius sit, probatur in sequentibus. *Manutius*.

1) *Jus adoptionis*) De jure adoptionis vide Gellium lib. V. cap. 19. *Idem.*

2) *Generum, ac dignitatis*) Ne scilicet a genere clarissimo ad obscurissimum, a summa dignitate ad infimam conditionem adoptione transeatur. Infra: *Ita adoptet, ne quid aut de dignitate generum, aut de sacrorum religione minuatur.* Idem.

3) *Sacrorum*) Ne sacra intereant. Adoptati autem in aliena sacra transibant. Valerius Max. lib. VII. cap. 7. *M. Anneji filius in Suffenatis familiam, ac sacra transierat.* Pro Murena: *Sacra interire illi noluerunt.* Idem.

ANALYSIS.

a) *Quod est)* Probat igitur, Clodium non fuisse Tribunum Pl. quod jure non fuerit adoptatus: adoptionem autem nullam fuisse ostendit, tum ipse Pontificum, tum jure Augurum, tum etiam jure publico, hoc est legibus prima ratio sic se habet.

,, In qualibet adoptione Personae, et Caussa a Pontificibus examinantur.

,, Sed in tua adoptione nulla consideratio habita est:

,, Ergo non valet, adeoque non probanda.

Sola *Propositio* hic habetur.

b) *Quid est*) *Assumptio*, qua illegitimas fuisse probat Personas, et Caussam legitimam non affuisse, sed fraudem: hoc autem ultimum per *Ironiam* indignationis plenam.

gentis cur intereunt 1), quod in te est; quae omnis ratio Pontificum, cum * adoptarere, esse debuit.

Nisi forte ex te ita quaesitum est, num perturbare Rempublicam seditionibus velles: et ob eam caussam adoptari, non ut filius esses, sed ut Tribunus Plebis fieres et funditus everteres Civitatem. Respondisti, credo te ita velle, Pontificibus bona caussa visa est: approbaverunt. Non aetas a) ejus, qui adoptabat, quaesita est, ut in Cn. Aufidio, M. Pupio: quorum uterque nostra memoria summa senectute, alter Orestem, alter Pisonem, adoptavit. Quas adoptiones, sicut alias innumerabiles haereditates nominis 2), pecuniae, sacrorum sequutae sunt. Tu neque Fontejus es, qui esse debebas: neque patris haeres: neque, amissis sacris paternis, in haec adoptiva venisti. Ita b) perturbatis sacris, contaminatis gentibus, et quam deseruisti, et quam polluisti, jure Quiritum legitimo tutelarum, et haereditatum relicto, factus es ejus filius contra fas, cujus per aetatem pater esse potuisti.

XIV. Dico apud Pontifices. Nego, istam adoptionem Pontificio jure esse factam, primum, quod hae vestrae sint aetates, ut is, qui te adoptavit, vel filii tibi loco per aetatem esse potuerit; vel eo quo fuit 3). Deinde quod caussa quaeri soleat adoptan-

1) *Intereunt*) Quia, cum adopteris a Fontejo, ad Fonteiae gentis sacra transis. *Idem*.

* Vict. Man. *adoptaret*.

2) *Haereditates nominis*) Triplex adoptionis jus notat: Qui enim adoptabatur, adoptivi patris praenomen, nomen, et cognomen sic adsumebat, ut suum dumtaxat nomen, idque inflexum, atque immutatum retineret: ut apud Dion. libro XL., XLVI. *Hotoman.*

3) *Vel eo quo fuit*) Quadrigulam hanc verborum redono Ciceronianis, auctoritate omnium librorum, antiquitus editorum, ac mss. nisi quod illi habebant, *quod.* Et significat sane istis, loco Ganymedis fuisse Clodio Fontejum. *Grut.*

ANALYSIS

a) *Non aetas*) Eadem *Assumptio* amplificata *a Dissimilibus Exemplis*, quo ad personas, et caussam legitimam adoptionis.

b) *Ita*) *Complexio*; et idem deinde argumentum repetitur.

di, ut et is adoptet, qui, quod natura jam assequi non potest, et legitimo, et Pontificio jure quaerat, et ita adoptet, ut ne quid aut de dignitate generum, aut de sacrorum Religione minuatur. Illud in primis a), ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur: ut haec simulata adoptio filii, quam maxime veritatem illam suscipiendorum liberorum imitata esse videatur.

Quae major b) calumnia est, quam venire imberbem adolescentulum, bene valentem, ac maritum, dicere, filium Senatorem Populi Romani si velle adoptare: id autem scire, et videre omnes, non ut ille filius instituatur, sed ut e Patriciis exeat, et Tribunum Plebis fieri possit, idcirco adoptati? Neque id c) obscure: nam adoptatum emancipari statim 1), ne sit ejus filius, qui adoptarit. Cur ergo d), adoptatur? Probate genus adoptionis; jam omnium sacra interierint, quorum custodes vos esse debetis; jam Patricius nemo relinquetur. Cur enim quisquam vellet Tribunum Plebis se fieri non licere? angustiorem 2) sibi esse petitionem Consulatus? in Sacer-

1) Emancipari statim) *Emancipatio*, et suitatis, et agnationis jus exstinguit. Quomodo ergo plebejus manebat, cum adgnatio nihil aliud esse videatur, quam gens? Patet nimirum aliud esse gentem, aliud agnationem, ut *gens* ad patriciorum, et plebejorum qualitatem referatur: *adgnatio* ad propinquitatem. *Hotom.*

2) *Augustiorem*) Hujus loci sententiam, quia obscurio-

ANALYSIS.

a) *Illud in primis)* Fraudem latuisse ostendit quod erat *Assumptionis* tertium membrum, idque *a remotione Caussarum*:

„ Hac adoptione vel quaesitus est filius Fontejo, vel Clo-
„ dio haereditas, vel eidem Tribunatus:

„Sed neque Fontejo filius, neque Clodio haereditas quaesita est:

„ Ergo eidem Clodio Tribunatus.

b) *Quae major)* *Assumptionis* prima pars: cum enim Fontejus esset imberbis, et maritus poterat procreare filios: neque Senatorem, sed juniorem se adoptasset.

c) Neque id) prima rursus, et secunda pars, quia statim emancipatus fuerat.

d) *Cur ergo)* Haec est *Complexio:* deinde concludit *a Consequentibus*, non esse probandam hanc adoptionem.

dotium cum possit venire, quia Patricio non sit is locus, non venire? Ut cuique aliud acciderit, quare commodius sit esse Plebejum, simili ratione adoptabitur.

Ita Populus Romanus brevi tempore, neque Regem sacrorum 1), neque flamines, nec salios habebit; nec ex parte dimidia reliquos Sacerdotes? neque auctores 2) centuriatorum, et curiatorum comitiorum; auspiciaque 3) Populi Romani, si Magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est, cum interrex nullus sit, quod et ipsum Patricium esse, et a Patricio prodi necesse est. Dixi apud a) Pontifices, istam adoptionem nullo Decreto hujus Collegii probatam, contra omne Pontificium jus factam, pro nihilo esse habendam: qua sublata, intelligis, totum Tribunatum tuum concidisse.

rem plerisque videri scio, explicabo, Prius autem sciendum, plebejos binos Consules fieri potuisse; patricios, non item, sed singulos tantum, et patricio non licuisse fieri Tribunum. Tum hoc supponendum, omnes homines utile sequi. His positis, Ciceronis se usus planus est. Hoc enim significat. Si tales adoptiones probabuntur: omnes volent ex patriciis fieri plebeji. Cur enim quisquam tam stultus esset, ut vellet manere patricius, et ita non licere sibi fieri Tribunum? et angustiorem sibi locum esse ad Consulatum obtinendum, et sacerdotium optimum, ac fructuosum amittere, quia sit patricius? *Lamb.*

1) *Neque Regem sacrorum)* Enumerat eos sacerdotes, qui plebeji esse non poterant. *Manutius.*

2) *Auctores)* Qui probabant ea, quae centuriatis, curiatisque comitiis fiebant, quos ex antiquo more, cum Senatus e solis patriciis constabat, patricios esse oportebat. *Idem.*

3) *Auspiciaque)* Nam fieri potest, ut nulli creentur Magistratus Patricii, apud quos sunt auspicia: tunc, si nulli sint Patricii, a quibus, et ex quibus prodi possit Interrex ad habenda Comitia, Interrex nullus erit, sed neque Magistratus: nulla igitur auspicia. *Ferrat.*

ANALYSIS.

a) *Dixi apud)* Hactenus de jure Pontificio, nunc de jure Augurum sic disputat:

„ Non est fas agere cum Populo, cum de caelo servatum est:

„ Sed servatum est de caelo, cum lata est lex de tua adoptione:

„ Ergo ferri ea lex non poterat, adeoque nulla tua adoptio.

XV. Venio ad augures. Quorum ego libros, si qui sunt reconditi, non scrutor: non sum in exquirendo jure augurum curiosus. Haec, quae una cum Populo didici, quae saepe in concionibus responsa sunt, novi. Negat fas esse agi cum Populo 1), cum de caelo servatum sit 2). Quo die a) de te lex curiata lata esse dicatur, audes negare de caelo esse servatum? Adest praesens vir singulari virtute, constantia, gravitate praeditus, M. Bibulus. Hunc Consulem illo ipso die contendo servasse de caelo. Infirma b) sunt igitur, tua sententia, acta C. Caesaris, viri fortissimi? Minime. Neque enim mea jam quicquam interest, exsceptis his telis, quae ex illius actionibus in meum corpus immissa sunt.

Sed haec de auspiciis, quae ego nunc perbreviter attingo, acta sunt a te. Tu, tuo praecipitante jam et debilitato Tribunatu, auspiciorum patronus subito exstitisti: tu M. Bibulum in concionem, tu augures produxisti. Te interrogante augures responderunt: cum de caelo servatum sit, cum Populo agi non posse. Tibi M. Bibulus quaerenti, se de caelo servasse, respondit: idemque in concione dixit, ab Appio, fratre tuo, productus, te omnino, quod contra auspicia adoptatus esses, Tribunum Plebis non fuisse. Tua denique omnis actio posterioribus mensibus fuit: omnia, quae C. Caesar egisset, quod contra auspicia essent acta, per Senatum rescindi oportere. Quod si fieret, dicebas te tuis humeris me custodem Urbis in Urbem relaturum. Videte hominis

1) *Agi cum Populo*) Mitti in suffragia Populum. *Idem*.

2) *Cum de caelo servatum sit*) Servare de caelo, id est impedimento esse quominus lex ferretur, cunctis plane Magistratibus, tam plebeijs, quam patriciis, licebat. *Manut*.

ANALYSIS.

a) *Quo die*) *Assumptio* approbata M. Bibuli testimonio,

b) *Infirma*) *Prolepsis* de actis Caesaris, aitque sua jam nihil interesse, num illa rata forent, necne. Ab ipso tamen Clodio oppugnata Caesari acta ostendit quod facta fuissent contra auspicia; quamobrem ut amentem coarguit.

amentiam, * ubi per suum Tribunatum Caesaris actis illigatus teneretur. Si et sacrorum a) jure Pontifices, et auspiciorum Religione augures totum evertunt tribunatum tuum quid quaeris amplius? an etiam apertius 1) aliquod jus Populi, atque legum?

XVI. Hora fortasse b) sexta diei questus sum in judicio, cum C. Antonium, collegam meum, defenderem, quaedam de Republica, quae mihi visa sunt ad illius miseri caussam pertinere. Haec homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter atque a me dicta erant, detulerunt. Hora nona, illo ipso die, tu es adoptatus. Si, quod c) in ceteris legibus trinum nundinum esse oportet, id in adoptione satis est, trium esse horarum: nihil reprehendo. Si eadem observanda sunt: si decrevit Senatus, M. Drusi legibus, quae contra legem Caeciliam, et Didiam latae essent, Populum non teneri: jam intelligis d) omni

* Lamb. *qui tum demum suum tribunatum perire voluerit, ubi.*

1) *Apertius)* Vereor, ne accentu Tipograghus ultimam gratis honerarit; cum haec mihi sententia esse videatur: An quaeris etiam aliquod Populi jus, quod sic *magis apertum.* Jus autem illud quodnam esset, mox dicet *Olivetus.*

ANALYSIS.

a) *Si et sacrorum)* Tertio jure publico, hoc est legibus nullam esse Clodii adoptionem contendit, hoc modo:
„ Nulla est lex, quae non fuit promulgata per trinundinum;
„ Lex de adoptione Clodii non fuit per trinundinum pro-
„ mulgata.
„ Ergo nulla est.

b) *Hora fortasse) Assumptio*, quae si approbatur:
„ Caesar tulit legem Curiatam de Clodio iratus mihi, quod
„ in judicio C. Antonii quaedam de Rep. questus essem;
„ Sed haec questus fueram hora diei sex, et hora nona
„ illius diei lata est lex.
„ Ergo per tres horas tantum promulgata est: non per
„ trinundinum.

c) *Si quod) Propositio*, eaque confirmatur exemplo M. Drusi.

d) *Jam Intelligis)* Hujus disputationis *Epilogus*, quam

genere juris, quod in sacris, quod in auspiciis, quod in legibus sit, te Tribunum Plebis non fuisse?

Atque ego hoc totum non sine caussa relinquo: Video enim quosdam clarissimos viros, Principes Civitatis, aliquot locis judicasse, te cum plebe jure agere potuisse: qui etiam de me ipso, cum tua rogatione funere elatam Rempublicam esse dicerent, tamen id funus, etsi miserum, atque acerbum fuisset, jure indictum esse dicebant. Quod de me Cive, ac de Republica bene merito tulisses, funestum funus te indixisse Reipublicae: quod salvis auspiciis tulisses, jure egisse dicebant. Quare licebit ut opinor, nobis eas actiones non infirmare, quibus illi actionibus constitutum tribunatum tuum comprobaverunt. Fueris a) sane Tribunus Plebis tam jure, quam lege, quam fuit hic ipse Rullus, vir omnibus rebus clarissimus, atque amplissimus quo jure, quo more, quo exemplo legem nominatim de capite Civis indemnati tulisti.

XVII. Vetant b) leges sacratae, vetant XII. tabulae, leges privatis hominibus irrogari; id est enim privilegium. Nemo umquam tulit; nihil est crudelius, nihil perniciosius, nihil, quod minus haec Civitas ferre possit. Proscriptionis miserrimum nomen illud, et omnis acerbitas Syllani temporis, quid habet, quod maxime sit insigne ad memoriam crudelitatis? Opinor, poenam in Cives Romanos nominatim sine judicio constitutam.

ANALYSIS.

se omittere dicit, ne a M. Catone, aliisque dissentire videatur, qui acta Clodii defendebat.

a) *Fueris*) Transit ad secundam rationem, probatque legem de se latam fuisse illegitimam. et I. quidem a XII. Tabulis, et consuetudine:

„ Privilegia non possunt irrogari:
„ Lex de me lata fuit Privilegium:
„ Ergo illegitime lata fuit.

b) *Vetant*) *Propositio* approbata testimonio Tabularum, et exemplo Syllani temporis.

Hanc vos a) igitur, Pontifices, judicio, atque auctoritate vestra Tribuno Plebis potestatem dabitis, ut proscribere possit quos velit. Quaero enim b), quid sit, aliud proscribere? VELITIS, JUBEATIS, *ut M. Tullius in Civitate ne sit, bonaque ejus ut mea sint.* Ita enim fecit, etsi aliis verbis tulit. Hoc Plebiscitum est? haec lex? haec rogatio est? hoc vos pati potestis? hoc ferre Civitas, ut singuli Cives singulis versiculis e Civitate tollantur? Equidem c) jam perfunctus sum: nullam vim, nullum impetum metuo: explevi animos invidorum, placavi odia improborum: saturavi etiam perfidiam, et scelus proditorum: denique de mea caussa, quae videbatur perditis Civibus ad invidiam esse proposita, jam omnes Urbes, omnes Ordines, omnes Dii, atque homines judicaverunt.

Vobismetipsis, Pontifices, et vestris liberis, ceterisque Civibus, pro vestra auctoritate et sapientia consulere debetis. Nam cum d) tam moderata judicia Populi sint a majoribus constituta: primum ut ne poena capitis cum pecunia conjungatur: deinde, ne, nisi pro dicta die 1), quis accusetur: ut ter an-

1) *Pro dicta die*) Victorius, *praedicta:* quod eodem redit. *Prodicta* legitur in melioribus libris tam scriptis, quam editis. Et est hoc proprium in hac re verbum. Vide Festum. *Graev.*

ANALYSIS

a) *Hanc vos) Complexio*, quam infra etiam repetit aliis verbis.

b) *Quaero enim) Assumptio.*

c) *Equidem)* 2. Utitur argumento *ab Adjunctis*:

„ Pati non debetis, Civem indemnatum ejicii e Civitate,
„ Sed ego indemnatus, non servata forma judiciorum,
„ pulsus sum Civitate:
„ Ergo hoc probare vestra auctoritate non debetis.

Propositio confirmatur *a Consequentibus*; ostendit enim, hoc non amplius sibi, sed ipsis Pontificibus, eorumque filiis periculosum esse.

d) *Nam cum) Assumptio ab Adjunctis* judiciorum, sic amplificata *a Comparatione minorum:*

„ Haec omnia servanda sunt, cum quis legitime in judi-
„ cium vocatur:
„ Sed ego neque citatus sum, neque accusatus:
„ Ergo eadem in me condemnando multo magis servan-
„ da erant.

te Magistratus accuset, intermissa die, quam multam irroget, aut judicet: quarta sit accusatio trinum nundinum praedicta die, qua die judicium sit futurum: tum multa etiam ad placandum, atque ad misericordiam reis concessa sunt: deinde exorabilis Populus, facilis suffragatio pro salute: denique etiam si qua res illum diem aut auspiciis, aut exscusatione 1) sustulit, tota caussa, judiciumque sublatum est.

XVIII. Haec cum ita sint in re, ubi crimen est? ubi accusator? ubi testes? quid indignius 2), quam, qui neque adesse sit jussus, neque citatus, neque accusatus, de ejus capite, liberis, fortunis omnibus, conductos sicarios egentes, et perditos suffragium ferre, et eam legem putare? At, si hoc a) de me potuit, quem honos, quem dignitas, quem caussa, quem Respublica tuebatur, cujus denique pecunia non exspetebatur, cui nihil oberat praeter conversionem

1) *Aut exscusatione)* Exscusatio Jurisconsultis est, cum caussa affertur, per quam quis praestare non potuit, quod praestandum erat, ut si latrones, aut flumina, aut morbus sonticus, aut alia vis major impediret, ne quis praedicto die in judicio esset praesto. *Idem.*

2) *Haec cum ita sint in re, ubi crimen est? ubi accusator? ubi testes? Quid indignius)* Ita omnes, quas inspexi, editiones: a quarum consensu recedere, mihi religio fuit. Video tamen, sic fuisse scribendum: *Haec cum ita sint in re, ubi crimen est, ubi accusator, ubi testes: quid indignius* etc. Haec enim non est congeries interrogationum, urgendi caussa, ut saepe fit; sed mera enumeratio cum repetitione, hoc sensu: Si res ita se habet, et sic agitur in caussa, in qua crimen est, est accusator, sunt testes: *quid indignius, quam conductos sicarios egentes, et perditos suffragium ferre de capite, liberis, fortunis omnibus ejus* civis, *qui neque jussus sit adesse, neque citatus, neque accusatus, et putare legem* esse, legis loco esse habendum quod ejus generis suffragatoribus placuerit? *Olivetus.*

ANALYSIS.

a) *At, si hoc)* Eadem *Propositionis* approbatio *a Consequentibus*, illustrata *per Comparationem majorum*, si enim haec mihi accidit calamitas gratioso, et illustri, non autem diviti, quanto magis iis qui parum gratiae, et dignitatis, multum autem habent pecuniae?

status, et inclinationem communium temporum: quid tandem futurum est iis, quorum vita remota ab honere populari, et ab hac illustri gratia est: pecuniae autem tantae sunt, ut eas nimium multi, egentes, sumptuosi, nobiles, concupiscant? Date hanc Tribuno Plebis licentiam, et intuemini paullisper animis juventutem, et eos maxime, qui imminere jam cupiditate videntur in tribunitiam potestatem: Collegio, medius filius, Tribunorum Plebis tota reperientur, hoc jure firmato, quae coeant de hominum locupletissimorum bonis, praeda praesertim populari, et spe largitionis oblata.

At quid a) tulit legum Scriptor peritus, et callidus? VELITIS, JUBEATIS, *ut M. Tullio aqua, et ignis* 1) *interdicatur*? Crudele, nefarium, ne in sceleratissimo quidem Cive sine judicio ferendum. Non tulit, ut interdicatur. Quid ergo? *Ut interdictum sit.* O coenum, o portentum, o scelus! Hanc tibi legem Clodius scripsit, spurciorem lingua sua, ut interdictum sit, cui non sit interdictum? Sexte noster, bona venia, quoniam jam dialecticus es, et hoc quoque liguris: quod factum non est, ut si factum, ferri ad Populum, aut verbis ullis sanciri, aut suffragiis confirmari potest? Hoc tu b) Scriptore, hoc Consiliario, hoc Ministro,

1) *Aqua, et ignis*) Ita et veteres habent editiones, quas sequutus est Manutius, et in veteri codice reperit Lambinus: neque aliter legebat grammatici juris consultissimus Franc. Sanctius, *Minerv. lib.* III. *cap.* 3. Si quis tamen malit, *aqua*, *et igni*, non repugnabo. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *At quid*) 3. A verbis ipsius legis per *Apostrophen* ad Sex. Clodium:

„ Non potest ferri ad Populum, ut sic factum, quod
„ factum non est;

„ Sed nemo mihi aqua, et igni interdixerat:

„ Ergo non poterat ferri ad Populum, ut interdictum
„ esset.

b) *Hoc tu*) 4. ab *Adjunctis* hac ratione.

„ Eam legem probare non debetis, cujus omnes Ministri
„ improbissimi fuere:

„ Sed hujus legis Ministri omnes improbissimi homines
„ fuerunt:

omnium non bipedum solum, sed etiam quadrupedum impurissimo, Rempublicam perdidisti. Neque tu eras tam exscors, tamque demens, ut nescires hunc Clodium esse, qui contra leges faceret; alios, qui leges scribere solerent. Sed neque eorum, neque ceterorum, in quibus esset aliquid modestiae, cujusquam tibi potestas fuit, neque tu legum scriptoribus iisdem potuisti uti, quibus ceteri, neque operum architectis 1), neque Pontificem adhibere quem velles postremo ne in praedae quidem societate 2) mancipem, aut praedae socium, extra tuorum gladiatorum numerum: aut denique suffragii latorem in ista tua proscriptione quemquam, nisi furem, aut sicarium, reperire potuisti.

XIX. Itaque cum tu florens ac potens per medium forum 3) popularis volitares: amici illi tui

1) *Operum architectis)* Proprio, non translato, utitur sermone: non enim, *operum*, pro actionum dixisset: quod Latini sermonis elegantia respueret: sed *operum* dixit, Libertatis aedem significans, a Clodio in eversa Ciceronis domo exstructam. Ex quo infra: *Quid operum publicorum exactio*? Manutius.

2) *In praedae quidem societate)* Non adhibere potuisti in praedae societate praedae socium, absurde dicitur, non equidem ore Tulliano. Pro *societate* scribendum censeo *sectione*. Quid et Pithoeo in mentem venisse deprehendo. Cum bona mea diriperes, nullum potuisti invenire, qui vellet particeps esse hujus cruentae praedae, qui vellet esse sector, et emptor, nisi ex sceleratorum tuorum satellitum numero. *Graevius*.

3) *Per medium forum)* Vera lectio est servata in Francii primo: *Per medium cohortis popularis*. Cohortem popularem vocat illos Clodii socios, ac satellites, quorum opera, et audacia omnia turbabat sub praetextu libertatis Populi tuendae. Cum te illis, inquit jactares, ac iis commendares tuos amicos, ut eorum suffragatione ad Magistratus proveherentur. In Pall. S. Victorius, et Dresdensi sunt vestigia veri. *Graevius*.

ANALYSIS.

„ Ergo vos non debetis eam probare.

Assumptio patet, nam eam scripsit Sex. Clodius, Servi Clodii aram Libertati construxerunt, ejus affinis Pontifex dedicavit, satellites in praedae societate fuerunt, perditissimi tantum homines tulere suffragium. Idem confirmatur Populi, et Judicum auctoritate.

1), te uno amico tecti, et beati, qui se Populo commiserant, ita repellebantur, ut etiam Palatinam 2) tuam perderent. Qui in judicium venerant, sive accusatores erant, sive rei, te deprecante damnabantur. Denique etiam ille novitius Ligur 3), venalis adscriptor, et subscriptor tuus, cum M. Papirii, sui fratris, esset testamento, et judicio improbatus 4), mortem ejus se velle persequi dixit 5) nomen Sexti Propertii detulit. Accusare alienae damnationis, scelerisque socius, propter calumniae metus, non est ausus 6).

De hac a) igitur lege dicimus, quae jure rogata videatur: cujus quam quisque partem tetigit, digito, voce 7), praeda, suffragio; quocumque venit, repu-

1) *Amici illi tui)* Ad Vatinium hoc pertinet, qui, aedilitatem petens, repulsam tulerat. *Manutius*.

2) *Palatinam)* Tribum, in qua Clodius censebatur, et suffragium ferebat. Quam in oratione pro Sextio, hanc ipsam rem commemorans, nominat. *Idem*.

3) *Novitius Ligur)* Novus Cives ex Liguria: hic fuerat Tribunus Pl. cum Clodio, et cognomen sibi assumpserat ex Ælia gente. *Ferratius*.

4) *Improbatus)* Papirius suo judicio fratrem Ligurem improbaverat, quod non reliquisset haeredem omnium bonorum. *Idem*.

5) *Mortem ejus se velle persequi dixit)* Quasi veneno sublatus esset. *Manut.*

6) *Accusare ... non est ausus)* Nominis delationem accusatio sequebatur: sed legitur, cum nomen jam detulisset, accusationem omisit, veritus, ne calumniae damnaretur, qui accusaret eum, in quo culpa non esset, cum in ipso potius crimen haereret, qui Papirium, fratrem suum, haereditatis cupiditate, et spe tollendum curasset. Ideo subjungitur: *Alienae damnationis scelerisque socius*: quia damnari nemo vere posset, nisi simul, sceleris ejusdem socius, Ligur damnaretur. *Idem*.

7) *Digito, voce)* Qui eam scripsit, et qui laudavit ad Populum. *Idem*.

ANALYSIS.

a) *De hac)* 5. Transitio a superiori ad aliud argumentum sumptum *a Caussis:*

„ Ideo Urbe pellor, quod dicit me falsum S. C. retulisse :
„ Sed falsum S. C. non retuli:
„ Ergo male, et illegittime pulsus fui in exilium.

diatus, convictusque, discessit. Quid si iis verbis scripta est ista proscriptio, ut se ipsa dissolvat? Est enim, *Quod M. Tullius falsum Senatusconsultum* 1) *retulerit*. Si igitur retulit falsum Senatusconsultum, tum est rogatio: si non retulit, nulla est. Satisne a) tibi videtur a Senatu judicatum, me non modo non ementitum esse auctoritatem ejus ordinis, sed etiam unum post Urbem conditam diligentissime Senatui paruisse? Quot modis b) doceo, legem istam, quam vocas, non esse legem? Quid, si etiam pluribus de rebus uno sortitu 2) retulisti? tamen ne c) arbitraris, id, quod M. Drusus in legibus suis plerisque, bonus ille vir M. Scaurus, et L. Crassus Consularis non obtinuerunt, id te posse, omnium facinorum, et stuprorum omnium Decumis 3), et Clodiis 4) auctoribus obtinere?

XX. Tulisti d) de me, ne, reciperer, non ut exi-

1) *Falsum S. C.)* De afficiendis ultimo supplicio conjuratis. *Idem.*

2) *Uno sortitu)* Contra legem Caeciliam Didiam, ne una rogatione, diversis de rebus ad Populum ferretur. *Hotom.*

3) *Decumis)* Opinor hunc esse Decimum illum, de quo sic epist. 3. lib. IV. ad Attic. *Vix jam Decimum designatorem, vix Gellium retinet.* Manutius.

4) *Clodiis)* Sex. Clodio scriba, quem paullo ante dixit legem illam P. Clodio de Ciceronis exilio tulisse. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Satisne)* *Assumptio* approbata testimonio Senatus.

b) *Quot modis)* 6. Quod contra legem Caeciliam Didiam lata sit:

„ Illa lex est improbanda, quae simul de rebus diversis fertur:

„ Sed eadem lege tum de me, tum de aliis etiam rebus Clodius tulit;

„ Ergo ea lex est improbanda.

c) *Tamen ne)* *Propositionis* approbatio *ab Exemplis*, et illius approbationis *Complexio*.

d) *Tulisti)* *Assumptio*, eadem enim rogatione tulerat 1. ut Ciceroni aqua, et ignis interdictum esset, 2. ne reciperetur, idque coarguit, quia ferre debuerat, ut exiret, cum ei Romae liceret esse, quippe neque damnato, neque expulso: 3. ut constructionem arae exigeret a Conductoribus tamquam publicum opus: 4. ut sibi ea curatio demandaretur, quod non licebat per legem Liciniam: 5. ut consecraretur domus, exstructo monumento,

rem: quem tu ipse non poteras dicere non licere esse Romae. Quid enim diceres? Damnatum? certe non exspulsum? qui licuit? Sed tamen ne id quidem est scriptum, ut exirem. Poena est, qui receperit: quam omnes neglexerunt. Ejectio nusquam est. Verum sit. Quid? operum publicorum exactio 1): quid? nominis inscriptio, tibi num aliud videtur esse, ac meorum bonorum direptio: praeterquam quod ne id quidem per legem Liciniam, ut ipse tibi curationem ferres, facere potuisti? Quid hoc ipsum, nunc apud Pontifices agis, te meam domum consecrasse, te monumentum fecisse, in meis aedibus te signum dedicasse, eaque te ex una rogatiuncula fecisse: unum et idem videtur esse, atque id, quod de me ipso nominatim tulisti?

Tam hercule a) est unum, quam quod idem tu lege una tulisti: ut Cyprius Rex, cujus majores huic Populo socii, atque amici semper fuerunt, cum bonis omnibus sub praecone subjiceretur, et exules 2) Byzantium reducerentur. Eidem, inquit, utraque de re negotium dedi. Sed quid, si eidem negotium dedisses, ut in Asia cistophorum 3) flagitaret, inde iret in

1) *Quid? operum publicorum exactio*) Obscurum est, quid dicat: dici tamen hoc arbitror: Cum id, quod in publicata, et eversa Ciceronis domo aedificatum fuerat, (id autem quid esset, satis infra ostenditur) Clodius a conductoribus exegisset, id ei facere non licuisse: cum opera publica ab iis exigi solerent, qui ei muneri publice praepositi essent. *Manutius*. Quid sibi velit operum publicorum exactio, quaerant doctiores. P. Manutius quem sensum eis affinxerit, in ejus commentario licet videre. Si Clodius locavit illa opera, cur non exigeret? Suspicor Ciceronem scripsisse, *Quid operum publicorum exstructio?* quae nimirum in area domus Ciceronis dirutae Clodius aedificarat. *Graevius*.

2) *Exules*) Vide Or. pro Sext.

3) *Cistophorum*) Asiatici nummi species hic ponitur pro tributo Asiae. *Ferr*.

ANALYSIS.

a) *Tam hercule*) Idem vitium ostendit fuisse, et in ea lege, quam de Rege Cyprio, et de Byzantiis Exulibus tulerat. *Prolepsi* autem, quod eidem utrumque negotium commissum sit, respondet *ab absurdo*, additque interpretationem legis Caeciliae Didiae.

Hispaniam, cum Roma decessisset, Consulatum ei petere liceret: cum factus esset, Provinciam Syriam obtineret? quoniam de uno homine scriberes, una res esset?

Quod si jam Populus Romanus de ista re consultus esset, et non omnia per servos, latronesque gessisses, nonne fieri poterat, ut Populo de Cyprio Rege placeret, de exulibus Byzantinis displiceret? Quae est quasi alia vis, quae sententia Caeciliae legis, et Didiae, nisi haec, ne Populo necesse sit in conjunctis rebus compluribus, aut id, quod nolit, accipere: aut id, quod velit, repudiare? Quid, si a) per vim tulisti? tamenne lex est? aut quicquam jure gestum videri potest, quod per vim gestum esse constet: An, si b) in ipsa latione tua, capta jam Urbe, lapides jacti, si manus collata non est, idcirco tu ad illam labem, atque eluviem Civitatis, sine summa vi pervenire potuisti?

XXI. Cum in tribunali Aurelio conscribebas palam non modo liberos, sed etiam servos, ex omnibus vicis concitatos, vim tum videlicet non parabas. Cum edictis tuis tabernas claudi jubebas, non vim imperitae multitudinis, sed hominum honestorum modestiam, prudentiamque quaerebas. Cum arma in aedem Castoris comportabas, nihil aliud, nisi uti ne quid per vim agi posset, machinabare. Cum vero gradus Castoris convellisti, ac removisti: tum, ut modeste tibi agere liceret, homines audaces ab ejus templi aditu, atque adscensu repulisti. Cum eos, qui in Conventu virorum bonorum verba de salute mea fece-

ANALYSIS.

a) *Quod, si*) Probat legem Clodiam nullam esse, quippe latam per vim.

„ Lex per vim lata nulla est:

„ Lex Clodia per vim lata est,

,, Ergo nulla.

Propositio praecedit, sequitur *Assumptio per Distributionem.*

b) *An si*) 1. Refert *ironice*, quae per vim Clodius fecerit, dum legem ferret.

rant, adesse jussisti; eorumque advocationem, manibus, ferro, lapidibus discussisti: tum profecto ostendisti, vim tibi maxime displicere. Verum haec a) furiosa vis vesani Tribuni Plebis facile superari, frangique potuit virorum bonorum vel virtute, vel multitudine.

Quid? cum Gabinio Syria dabatur, Macedonia Pisoni, utrique infinitum Imperium, ingens pecunia, ut tibi omnia permitterent, te adjuvarent, tibi manum, copias, tibi suos paratos centuriones, tibi pecunias, tibi familias compararent: te suis sceleratis concionibus sublevarent, Senatus auctoritatem irriderent, Equitibus Romanis mortem, proscriptionemque minitarentur: me terrerent minis: mihi caedem, et dimicationem denuntiarent: meam domum, refertam viris bonis, per amicos suos complerent 1): proscriptionis metu me frequentia nudarent virorum bonorum, me praesidio spoliarent: Senatum pro me non modo pugnare, amplissimum ordinem; sed etiam plorare, et supplicare, mutata veste, prohiberent: ne tum quidem vis erat?

XXII. Quid igitur b) ego gessi, aut qui timor

1) *Per amicos suos complerent*) Locus suspectus. Putabam legendum, *compilarent*. Et vocem, *viri*, delendam. Verumtamen judicet lector. *Lamb. Compilarent* habet vetus liber. *Ursinus*, *Complerent.* Uti fieret, quod de domo Anci, ut dispari plane habitaretur domino. Ego nihil muto, sequutus mss. Pall. meliores. *Gruter*. Dresd. et ed. prim. *per amicos suos compellerent.* Forte vocula excidit, et Cicero scripsit: *per amicos suos terrore complerent*. Videntur id suadere sequentia. *Graevius.*

ANALYSIS.

a) *Verum haec*) 2. Ea recenset, quae Consules a Clodio corrupti fecerant per vim.

b) *Quid igitur*) Confirmat autem hoc argumento *ab Effectibus*:

„ Neque ego timuissem, neque omnes boni, si vis abfuisset:

„ Sed et ego timui, et omnes boni mecum timuerunt:

„ Non abfuit igitur vis.

Se quidem neque judicium timuisse ostendit, quia

fuit? non dicam in me; fac me timidum esse naturae; quid? illa tot virorum fortissimorum millia: quid? nostri Equites Romani; quid? Senatus: quid? denique omnes boni, si nulla erat vis, cur me flentes prosequuti sunt: quam aut increpantes retinuerunt, aut irati reliquerunt? An hoc timebam, si mecum, ageretur more, institutoque majorum, ut possem praesens sustinere?

Utrum si dies dicta esset, judicium mihi fuit pertimescendum? an sine judicio privilegium? Judicium in caussa tam turpi? Scilicet is homo sum, qui etiam si caussa esset ignota, dicendo non possem exsplicare. An eam caussam probare non poteram, cujus tanta bonitas est, ut ea ipsa non modo se, sed etiam me absentem per se probarit? An Senatus, an ordines, an ii, qui cuncta ex Italia ad me revocandum convolaverunt, segniores me praesente ad me retinendum, et conservandum fuissent in ea caussa, quam ipse jam parricida talem dicat fuisse, ut me ab omnibus ad meam pristinam dignitatem expeditum, atque revocatum quaeratur?

An vero in judicio periculi nihil fuit, privilegium pertimui, ne mihi praesenti si multa irrogaretur, nemo intercederet? Tam inops autem ego eram ab amicis, aut tam nuda Respublica a Magistratibus? Quid? si vocatae tribus essent, proscriptionem, non dicam in me, ita de sua salute merito, sed omnino in ullo Cive comprobavissent? An, si ego a) praesens fuissem, veteres illae copiae conjuratorum tui-

ANALYSIS.

caussam optimam Vir eloquens, faventibus omnibus bonis, facile defendisset: neque privilegium, quia non defuisset Tribunus Intercessor, et ipsae Tribus tam justae caussae favissent.

a) *An, si ego)* 3. Ad vim paratos ostendit illos etiam fuisse, qui supererant ex Conjuratis: argumentum est *a Comparatione minorum*:

„ Conjuratorum copiae multo magis in me resistentem
„ insurrexissent, quam in meos insurrexerunt, me jam
„ pulso in exilium:

que perditi milites, atque egentes, et nova vis sceleratissimorum Consulum corpori meo pepercissent? Qui cum eorum omnium crudelitati, scelerique cessissem, ne absens quidem luctu meo mentes illorum satiare potui.

XXIII. Quid enim vos uxor mea misera violarat? quam vexavistis, raptavistis, omni crudelitate laceravistis. Quid mea filia? cujus fletus assiduus, sordesque lugubres vobis erant jucundae; ceterorum omnium mentes oculosque flectebant. Quid parvus filius? quem quamdiu abfui, nemo nisi lacrymantem, confectumque vidit: quid fecerat, quod eum toties per insidias interficere voluistis? Quid frater meus? qui cum aliquanto post meum discessum ex provincia venisset, neque sibi vivendum, nisi me restituto, putaret, cum ejus moeror, squalor incredibilis, et inauditus, omnibus mortalibus miserabilis videretur, quoties ex vestro ferro, ac manibus est elapsus?

Sed quid a) ego vestram crudelitatem exspromo, quam in ipsum me, ac meos adhibuistis: qui parietibus, qui tectis, qui columnis, ac postibus meis horrificum quoddam, et nefarium, omni imbutum odio bellum intulistis? Non enim b) te arbitror, cum post meum discessum, omnium locupletium fortunas, omnium Provinciarum fructus, Tetrarcharum, ac Regum bona spe, et avaritia devorasses, et suppellectilis meae cupiditate esse caecatum: non existimo, Cam-

ANALYSIS.

„ Sed, me exulante, uxori, filiis, et fratri meo vim
„ intulerunt:
„ Ergo mihi multo magis, si restitissem.

a) *Sed quid*) Vim, et crudelitatem inimicorum amplificat *a. Caussis*, quo manifestius appareat, se justo timore adductum cessisse:

„ Vis jure ab iis timetur, qui non avaritia, sed odio
„ ducuntur;
„ Sed Clodius, Consules, aliique non avaritia, sed odio
„ in me exarserunt:
„ Ergo jure ab iis vim timebam.

b) *Non enim Assumptionis* approbatio, quod non ea fecerint ducti avaritia: quam deinde illustrat *a Simili*:

panum 1) illum Consulem cum Saltatore Collega, cum alteri totam Achajam, Thessaliam, Boeotiam, Graeciam, Macedoniam, omnemque Barbariam, bona Civium Romanorum condonasses: alteri Syriam, Babylonem, Persas, integerrimas, pacatissimasque gentes ad diripiendum tradidisses: illos tam cupidos liminum meorum, et columnarum, et valvarum fuisse. Neque porro illa manus, copiaeque Catilinae, caementis, ac testis tectorum 2) meorum se famem suam exspleturas putaverunt. Sed, ut hostium Urbes, nec omnium hostium, verum eorum, quibus cum acerbum bellum, intestinumque 3) suscepimus, non praeda adducti, sed odio solemus exscipere, quod in quos propter eorum crudelitatem inflammatae mentes nostrae fuerunt, cum horum etiam tectis, ac sedibus residere aliquod bellum semper videtur ***.

XXIV. Nihil erat a) latum de me; non adesse eram jussus; non citatus. Abfueram: eram etiam tuo judicio Civis incolumis, cum domus in Palatio, Villa in Tusculano, altera ad alterum Consulem transfere-

*** *Deest nonnihil.*

1) *Campanum*) L. Piso Consul erat inter eos, qui Capuam ex lege C. Caesaris Coloniam deduxerant. *Idem.*

2) *Testis tectorum) Testae*, sunt *testacei lateres*, ut vocantur a Vitruvio, qui Graecis dicuntur ~ έςαμον quod coquerentur. Iis nonnumquam domus tegebantur, unde et tecum κέ αμ vocarunt, ut docuit Salmasius, cui haec debes, ad Solinum. *Idem.*

3) *Intestinumque*) Certe τῶ *intestinum* hic nullus locus est. In bellis intestinis si Urbes, cum quibus bellum gerimus, evertimus, nobis ipsis oculos custodimus. Sequutus igitur sum Palatinum nonum, quia hanc vocem non agnoscit. Si addicerent libri, illorum qui legendum censent *internocivum* emendationem arripuissem. Plane sic Ciceronem scripsisse mihi est persuasissimum. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Nihil erat*) Eadem *Assumptio* approbata *ab Effectibus* odii, et crudelitatis.

batur; Senatum Consules vetabant 1): columnae marmoreae ex aedibus meis, inspectante Populo Romano, ad socrum consulis portabantur, in fundum autem vicini Consulis non modo instrumentum, aut ornamenta villae, sed etiam arbores transferebantur: cum ipsa Villa non praedae cupiditate, (quid enim erat praedae?) sed odio, et crudelitate funditus everteretur: domus ardebat in Palatio non fortuito, sed oblato incendio: Consules epulabantur, et in conjuratorum gratulatione versabantur, cum alter se Catilinae delicias, alter Cethegi consobrinum fuisse diceret.

Hanc ego a) vim, Pontifices, hoc scelus, hunc furorem, meo corpore opposito, ab omnium bonorum cervicibus depuli, omnemque impetum discordiarum, omnem diu collectam vim improborum, quae inveterata, compresso odio, atque tacito, jam erumpebat, nacta tam audaces Duces, excepi meo corpore. In

1) *Senatum Consules vetabant)* Hoc quid sit non intelligo, nisi verbum *haberi*, aut subaudiendum sit, aut potius adhibendum. *Hotom. Senatum Consules pro me deprecari edictis, atque imperio vetabant)* Cum ita scriptum olim reperissem in codicibus manusc.. *Senatus Consules vocabant*: videremque hic aliquid deesse, sic enim vulgo legitur, *Senatum Consules vetebant*, nihil me temere facturum existimavi, si hunc locum ex ipso Cicerone supplevissem.Itaque feci. Supplevi autem ex princip. orat. de Harusp. resp. ubi haec leguntur: *cumque ad Consulare off. insign.ill. imp. ad meam salutem non solum auct. sed etiam pr. vest. voc.* Itaque sic olim edideram: *Senatus Consules ad meam salutem non solum auctoritate, verum etiam precibus vocabat.* Quod si malit sequi libros vulgatos, qui sic habent, *Senatum Consules vetabant*, ut diximus licebit item probabilem sententiam exsprimere, paucis additis ex loco huic simillimo, qui est novem circiter post paginis hac eadem oratione, ibi, *qui pro me patres conscriptos deprecari, et Populo supplices esse edictis, atque imperio vetarent*. Ex illo igitur loco sic hunc licebit legere. *Senatum Consulem pro me deprecari, edictis, atque imperio vetabant*. Lambinus. Exhibui *Senatus consulta volabant*, quod erat in Erfurd. *Gr.*

ANALYSIS.

a) *Hanc ego)* Concludit proinde, se optimo consilio cessisse, tum ne Remp. in periculum adduceret, tum ut majore cum gloria rediret: quam gloriam amplificat ab *Exemplo Dissimili* utriusque Decii.

me uno consulares faces jactae manibus tribunitiis: in me omnia, quae ego quondam retuderam, conjurationis nefaria tela adhaeserunt. Quod si, ut, multis fortissimis Viris placuit, vi, et armis contra vim decertare voluissem: aut vicissem cum maxima internecione improborum, sed tamen Civium; aut, interfectis bonis omnibus, quod illis optatissimum erat una cum Republica concidissem.

Videbam, vivo Senatu, Populoque Romano, celerem mihi summa cum dignitate reditum: nec intelligebam fieri diutius posse, ut mihi non liceret esse in ea Republica, quam ipse servassem. Quod si non liceret: audieram, et legeram, clarissimos nostrae civitatis Viros se in medio hostes ad perspicuam mortem pro salute exercitus injecisse. Ego pro salute Reipublicae universae dubitarem hoc 1) meliore conditione esse, quam Decii? quod illi ne auditores quidem suae gloriae, ego etiam spectator meae laudis esse potuissem.

XXV. Itaque infractus 2) furor tuus inanes faciebat impetus. Omnem enim vim omnium sceleratorum acerbitas mei casus exsceperat. Non erat in tam immani injuria, tantisque ruinis novae crudelitati locus, Cato fuerat a) proximus. Quid ageres, non erat: nisi, ut, qui mihi dux omnibus in rebus fuerat, idem esset injuriae socius. Quid posses? exstrudere ad Cy-

1) *Dubitarem hoc)* Editio prima, et ceterae omnes ante Victorianam: *Dubitarem; hoc melior conditione quam Decius, quod ille ne auditor quidem suae gloriae, ego etiam spectator meae laudis esse potuissem?* Idem.

2) *Infractus)* Fractus, ut supra.

ANALYSIS.

a) *Cato fuerat)* Exemplis Catonis, et Pompeii vim contra se adhibitam exagerat *per Comparationem minorum*: Minor fuit Clodii vis in Catonem, et Pompejum, quam in me;

„ Sed Cato ejicitur per speciem Provinciae, Pompejus „ foro, et curia privatur;

„ Ergo maxima fuit in me Clodii vis.

priam pecuniam 1). Praeda perierit 2). Alia non deerit: hunc modo amandandum esse 3). Sic M. Cato, invisus, quasi per beneficium, Cyprum relegatur. Ejiciuntur duo, quos improbi videre non poterant: alter per honorem turpissimum: alter per honestissimam calamitatem.

Atque, ut sciatis, non hominibus istum, sed virtutibus hostem semper fuisse: me exspulso, Catone amandato, in eum ipsum se convertit, quo auctore, quo adjutore, in concionibus, ea, quae gerebat, omnia, quaeque gesserat, se fecisse, et facere dicebat. Cn. Pompejum, quem omnium judicio longe principem esse civitatis videbat, diutius furori suo veniam daturum non arbitrabatur. Qui ex ejus custodia, per insidias Regis amici 4) filium, hostem captivum, surripuisset, et ea injuria virum fortissimum lacessisset: speravit iisdem se copiis cum illo posse confligere, quibuscum ego noluissem, bonorum periculo, dimicare: et primo quidem, adjutoribus Consulibus: postea fregit foedus Gabinius 5): Piso tamen in fide mansit. Quas iste tum caedes, quas lapidationes, quas fugas fecerit, quam facile ferro, quotidianisque insidiis, cum jam a firmissimo robore 6) copiarum suarum relictus esset, Cn. Pompejum foro, curiaque

1) *Exstrudere ad Cypriam pecuniam*) Ad vendenda Ptolemaei Cyprii Regis bona, ex quibus pecuniam exactam Romam retulit. *Manutius*.

2) *Praeda perierit*) Verba Clodii: si Catonem, virum optimum, ad Cypriam pecuniam mitto, haec mihi praeda omnino peribit. *Idem*.

3) *Hunc modo amandandum esse*) Subaudi, stet, fixum sit, deinde aliam praedam quaeremus. *Idem*.

4) *Regis amici*) Tigranis historiam narrat Pedianus pro Milone. *Idem*.

5) *Fregit foedus Gabinius*) Conspirationi de necando Pompejo renuntiavit, consilium mutavit. *Hotom*.

6) *A firmissimo robore*) Cum jam Gabinius defecisset. *Ferratius*.

privarit, domumque conjecerit, vidistis. Ex quo a) judicare potestis quanta vis illa fuerit oriens, et congregata, cum haec Cn. Pompejum terruerit jam distracta, et exstincta.

XXVI. Hoc vidit b) in sententia dicenda Kalendis Januariis Vir prudentissimus, et cum Reipublicae, tum mihi, tum etiam veritati amicissimus » L. Cotta, » qui legem de meo reditu ferendam non censuit: » qui me consuluisse Reipublicae, cessisse tempesta- » ti; amiciorem vobis ceterisque Civibus, quam mi- » hi ac meis exstitisse; vi, armis dissensione ho- » minum ad caedem instituta, novoque dominatu » pulsum esse dixit: nihil de meo capite potuisse » ferri: nihil esse inscriptum 1), aut posse valere: » omnia contra leges, moresque majorum temere, » turbulenter, per vim, per furorem esse gesta. Quod » si illa lex esset, nec referre ad Senatum Consules, » nec sententiam dicere sibi licere: quorum utrum- » que cum fieret, non oportere, ut de me lex fer- » retur, decerni: ne illa, quae nulla esset, esse lex » judicaretur ».

Sententia verior, gravior, utilior, melior Reipublicae nulla esse potuit. Hominis enim scelere, et furore notato, similis a Republica labes in posterum demovebatur.

Neque hoc c) Cn. Pompejus, qui ornatissimam de me sententiam, vosque, Pontifices, qui me vestris sententiis, auctoritatibusque defendistis non vidistis, illam esse nullam, atque esse potius flammam tem-

1) *Nihil esse inscriptum*) Opinor legendum, *Nihil esse jure scitum.* Manutius.

ANALYSIS.

a) *Ex quo*) *Complexio.*

b) *Hoc vidit*) Tandem testimonio L. Cottae ostendit legem Clodiam latam fuisse per vim, qui negabat Ciceronem nulla lege fuisse damnatum.

c) *Neque hoc*) *Prolepsis*, nam si lata est lex de restituendo Cicerone, lata igitur et altera fuerat de illius exilio. Huic respondet, et exponit, quo consilio lata sit ea lex de suo reditu, ad evitandam Popularem invidiam.

poris, interdictum sceleris, vocem furoris: sed prospexistis, ne qua popularis in vos aliquando invidia redundaret, si sine Populi judicio restituti videremur. Eodemque consilio, M. Bibuli, fortissimi viri, Senatus sententiam sequutus est, ut vos de mea domo statueretis: non quod dubitaret, quin ab isto nihil legibus, nihil religionibus, nihil jure esset actum: sed ne quis oriretur aliquando in tanta ubertate improborum, qui in meis aedibus aliquam Religionem residere diceret. Nam legem quidem istam nullam esse, quotiescumque de me Senatus sententiam dixit, toties judicavit: quoniam quidem 1) scripto illo istius sententiam dicere vetabatur. Atque hanc rem par illud simile, Piso, et Gabinius, vidit. Homines legum, judiciorumque metuentes, cum frequentissimus Senatus eos, ut de me referrent, quotidie flagitaret, non se rem improbare dicebant, sed lege istius impediri. Erat hoc verum. Nam impediebantur, verum ea lege 2), quam idem iste de Macedonia, Syriaque tulerat.

XXVII. Hanc tu, P. Lentule, neque privatus, neque Consul legem esse umquam putasti. Nam, Tribunis Plebis referentibus, sententiam de me designatus Consul saepe dixisti: ex Kalendis Januariis, quoad perfecta res est, de me retulisti: legem promulgasti, tulisti: quorum tibi, si esset illa lex, nihil diceret. At etiam Q. Metellus, collega tuus, vir clarissimus, quam legem esse homines alienissimi a P. Clodio judicarent, Piso, et Gabinius, eam nullam esse frater P. Clodii, cum de me ad Senatum tecum una retulit, judicavit.

1) *Quoniam quidem)* Scripto, hoc est, lege sua Clodius prohibuerat, dici sententiam in Senatu pro Cicerone: quoties igitur sententia dicta est, toties judicatum est, nullam eam legem esse. *Ferratius.*

2) *Verum ea lege)* Qua tamquam empti Consules Clodio promiserant, se legem illius observaturos, id est, de Ciceronis reditu non esse ad Senatum relaturos. *Manut.*

Sed isti, qui Clodii leges timuerunt, quemadmodum ceteras observarunt? Senatus quidem cujus est gravissimum judicium de jure legum, quotiescumque de me consultus est, toties eam nullum esse judicavit. Quod idem tu, Lentule vidisti, in ea lege, quam de me tulisti. Nam non est ita latum, tu mihi Romam venire liceret, sed UT VENIREM. Non enim voluisti, id quod licebat, ferre, ut liceret: sed me ita esse in Republica, magis ut arcessitus imperio Populi Romani viderer, quam ad administrandam civitatem restitutus.

Hunc tu a) etiam, portentosa pestis, exulem appellare ausus es, cum tantis sceleribus esses, et factis notatus, ut omnem locum, quo adisses, exilii simillimum redderes? Quid est enim b) exul? ipsum per se nomen calamitatis, non turpitudinis. Quando igitur est turpe? re vera, quando est poena peccati: opinione autem hominum, etiam si est poena damnati 1). Utrum c) igitur peccato meo exulis nomen subeo, an re judicata? Peccato? Jam neque tu id dicere audes, quem isti satellites tui felicem 2) Catilinam nominant, neque quisquam eorum, qui sole-

1) *Poena damnati*) Utcumque et injuste damnati, ex vi rei judicatae. *Ferrat.*
2) *Felicem*) Tacite significat, non puniri Clodium, hostem Reipublicae, cum penitus Catilina sit. *Manut.*

ANALYSIS.

a) *Hunc tu*) Clodius exulem appellaverat, Ciceronem; quod convicium hoc diluit, et sic arguit *a Caussis:*

„ Exul dicitur vel qui peccavit, vel qui condemnatus est;
„ Sed neque ego peccavi, neque me quisquam
„ condemnavit:
„ Ergo falso me exulem appellas.

b) *Quid est enim*) *Propositio.*

c) *Utrum*) *Assumptio*; cujus primam partem sic probat *a Repugnantibus.*

„ Ille non peccavit, cujus res gestas omnes homines com-
„ probarunt:
„ Sed omnes homines res a me gestas in Consulatu
„ comprobarunt:
„ Ergo in me peccatum non est.

bant. Non modo jam nemo est tam imperitus, qui ea, quae gessi in Consulatu, peccata esse dicat, sed nemo est tam inimicus patriae, qui non meis consiliis patriam conservatam esse fateatur.

XXVIII. Quod enim est in terris commune tantum, tantulumve consilium, quod non de meis rebus gestis ea, quae mihi essent optatissima, et pulcherrima judicarit? Summum est populi Romani, Populorumque, et gentium omnium, ac Regum consilium. Senatus decrevit, ut omnes, qui Rempublicam salvam esse vellent, ad me unum defendendum venirent: ostenditque, nec stare potuisse Rempublicam, si ego non fuissem restitutus, nec futuram esse ullam si non rediissem. Proximus est huic dignitati ordo Equester. Omnes omnium Publicanorum societates de meo Consulatu, ac de meis rebus gestis amplissima, atque ornatissima Decreta fecerunt. Scribae, qui nobiscum in rationibus, monumentisque publicis versantur, non obscurum de meis in Rempublicam beneficiis suum judicium, decretumque esse voluerunt. Nullum est in hac Urbe Collegium, nulli Pagani, aut Montani, (quoniam Plebi quoque urbanae majores nostri Conventicula, et quasi consilia quaedam esse voluerunt) qui non amplissime non modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreverint.

Nam quid ego illa divina, atque immortalia Municipiorum, et Coloniarum, et totius Italiae decreta commemorem, quibus tamquam gradibus, mihi videor in caelum ascendisse, non solum in patriam revertisse? Ille vero dies quis fuit, cum te, P. Lentule legem de me ferentem Populus Romanus ipse vidit, sensitque, quantus, et quanta dignitate esses? Constat enim nullis unquam comitiis, campum Martium tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, aetatum, ordinum floruisse. Omitto Civitatum, Nationum, Provinciarum, Regum, Orbis denique terrarum de meis in omnes mortales meritis unum judicium, unumque consensum. Adventus meus, atque introitus in Urbem qui fuit? Utrum me patria sic accepit, ut lucem, salutemque redditam sibi, ac restitutam accipere debuit, an ut crudelem tyrannum? quod vos Catilinae gregales de me dice-

re solebatis. Itaque a) ille unus dies, quo die me Populus Romanus a porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate, laetitiaque comitatum honestavit, tantae mihi jucunditati fuit, ut tua mihi conscelerata illa vi non modo non propulsanda, sed etiam emenda fuisse videatur. Quare illa calamitas, (si ita est appellanda) excussit hoc genus totum maledicti, ne quisquam audeat jam reprehendere Consulatum meum tot, tantis, tam ornatis judiciis, testimoniis, auctoritatibus comprobatum.

Quod si in isto tuo maledicto probrum non modo mihi nullum objectas, sed etiam laudem illustras meam: quid te aut fieri, aut fingi dementius potest. Uno enim maledicto, bis a me patriam servatam esse concedis: semel, cum id feci, quod omnes non negent immortalitati, si fieri potest, mandandum, tu supplicio puniendum putasti, iterum, cum tuum, multorumque propter te inflammatum in bonos omnes impetum, meo corpore exscepi ne eam civitatem, quam servassem inermis, armatus in discrimen adducerem.

XXIX. Esto b), non fuit in me poena ulla peccati: At fuit judicii. Cujus? quis me umquam ulla lege interrogavit? quis postulavit? quis diem dixit? Potest igitur damnati poenam sustinere indemnatus?

ANALYSIS.

a) *Itaque)* Concludit *Assumptionem* per *Epiphonema.*

b) *Esto) Assumptionis* secunda pars, quam 1. tali ratione pertractat;

„ Qui nulla lege interrogatus est, non fuit damnatus;
„ Sed ego nulla lege fui interrogatus;
„ Ergo neque damnatus.

hoc tribunitium est? hoc populare? quamquam ubi tu te popularem, nisi cum pro Populo fecisti 1), potes dicere? Scilicet a) cum hoc juris a majoribus proditum sit, ut nemo Civis Romanus aut libertatem, aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit 2): quod tu b) ipse potuisti in tua caussa discere. Credo enim quamquam in illa adoptione legittime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, *Auctorne esses, ut in te P. Fontejus vitae, necisque potestatem haberet, ut in filio*. Quaero, si aut negasses, aut tacuisses, si tamen id xxx Curiae jussissent, num id jussum esse ratum? Certe non. Quid ita? quia jus a majoribus nostris, qui non ficte, et fallaciter populares, sed vere, et sapienter fuerunt, ita comparatum est, ut Civis Romanus libertatem nemo possit invitus amittere. Quin etiam, si Decemviri Sacramentum 3) in libertatem injustum judicassent, tamen, quotiescumque vellet quis, in hoc genere solo rem judicatam referre posse voluerunt. Ci-

1) *Nisi cum pro Populo fecisti)* Pro Populo facere non solum est, Populi rem, caussamque tueri, sed etiam pro Populo sacra facere, quod Sacerdotum est. Ludit igitur Cicero in ambigua sententia: sed re vera pungit acerbe Clodium renovata illius temporis memoria; cum Pompejae, Caesaris Pont. Max. uxoris, amore flagrans, ad sacra Bonae Deae, quae in domo Pontificis Max. a mulieribus pro salute Populi fiebant, muliebri vestitu, quasi et ipse pro Populo facere vellet, accessit. *Idem.*

* Lamb. *dicere? Potest desinere civis esse, cum hoc juris.*

2) *Nisi ipse auctor factus sit)* Nisi ipse consenserit. *Idem.*

3) *Sacramentum)* Sacramentum sumitur pro lite: proprie significat pecuniam certam, quam utraque pars ad Pontificem deponebat ea conditione, ut illius qui victus fuisset; pecunia ad aerarium referretur. *Ferrat.*

ANALYSIS.

a) *Scilicet)* 2. Idem confirmat ab instituto Majorum:
„ Nullus Civis R. potest amittere libertatem, vel Civi-
„ tatem, nisi ipse auctor factus sit;
„ Sed ego auctor non fui amittendae Civitatis, deque
„ ea re perditi homines tulerunt;
„ Ergo jure non fui damnatus.

b) *Quod tu) Propositionis* approbatio; et de libertate quidem, eam non posse ab invito amitti, ostendit duobus exemplis, Adoptionis, et Judicii.

vitatem a) vero nemo unquam ullo Populi jussu amittet invitus.

XXX. Qui Cives Romani in Colonias Latinas proficiscebantur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, nomenque dederant. Qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc Civitatem amittebant, quam erant in eam decepti, quo vertendi, hoc est, mutandi soli caussa venerant. Id autem ut esset faciendum, non ademptione Civitatis, sed tecti: et aquae, et ignis interdictione faciebant.

Populus Romanus, L. Sylla Dictatore ferente, comitiis centuriatis, municipiis Civitate ademit: ademit iisdem agros. De agris ratum est: fuit, enim Populi potestas. De civitate, ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Syllani temporis arma valuerunt. Hanc vero Volaterranis, cum etiam tum esset in armis, L. Sylla victor, Republica recuperata, comitiis centuriatis, Civitatem eripere non potuit: hodieque Volaterrani non modo Cives, sed etiam optimi Cives; fruuntur nobiscum simul hac Civitate. Consulari b) homini P. Clodius, eversa Repub., Civitatem adimere potuit, concilio advocato, conductis operis non solum egentium, sed etiam servorum, Sedulio Principe 1); qui se illo die confirmavit Romae non fuisse? Quod si non fuit, quid te audacius, qui in ejus

1) *Sedulio Principe)* Primo suffragium ferente. Pro Plancio: *Primus scivit legem etc. Manut.*

ANALYSIS.

a) *Civitatem)* De Civitate tribus probat exemplis, Colonorum, Damnatorum, et Volaterranorum.

b) *Consulari) Assumptio* cum *Complexione:* et exprobrat Clodio, quod contra veterem morem, paucis egentibus suffragium ferentibus Sedulio Principe, tentaverit eripere Civitatem Viro Consulari.

nomen incideris 1)? quid desperatius, qui ne ementiendo quidem potueris auctorem adumbrare meliorem? Sin autem is primum scivit, quod facile potuit, propter inopiam tecti, in foro pernoctans: cur non juret se Gadibus fuisse, cum tu te fuisse Interamnae 2) probaveris? Hoc tu igitur, homo popularis, jure munitam Civitatem, et libertatem nostram putas esse oportere, ut si, Tribuno Plebis rogante, VELITIS, JUBEATISNE. Sedulii centum se velle, et jubere dixerint, possit unusquisque nostrum amittere Civitatem? Tum igitur majores nostri populares non fuerunt, qui de Civitate, et libertate ea jure sanxerunt, quae nec vis temporum, nec potentiam Magistratuum, nec res tum judicata; nec denique universi Populi Romani potestas, quae] ceteris in rebus est maxima, labefactare possit.

At ut a) etiam, ereptor Civitatis, legem de injuriis publicis 3) tulisti Anagnino nescio cui Menulae, per gratiam, qui tibi ob eam legem statuam in meis aedibus posuit; ut locus ipse in tua tanta injuria legem, et inscriptionem statuae 4) refelleret. Quae res municipibus Anagninis ornatissimis multo majori dolori fuit, quam quae idem ille gladiator scelera Anagniae fecerat.

1) *In ejus nomen incideris)* Mihi legendum videtur, *In aes ejus nomen incideris?* aeneis enim tabulis incidebantur leges, et cum iis corum nomina, qui primi scivissent. *Idem.*

2) *Interamnae)* Probaverat Clodius, se fuisse Interamnae illo die, quo Bonae Deae sacra Romae polluerat. *Ferrat.*

3) *Legem de injuriis publicis)* Videtur, cum Menulae cuidam civi Anagnino injuria publice facta esset, P. Clodius in ejus gratiam legem aliquam de injuriis publicis tulisse, qua gravem poenam constituerat. *Hotomanus.*

4) *Inscriptionem statuae)* Inscripserat Menula P. Clodio, oblatam legem de publicis injuriis. *Manutius.*

ANALYSIS.

a) *At tu)* Legem etiam obiter coarguit latam a Clodio de publicis injuriis.

XXXI. Quid si a), ne scriptum quidem 1) umquam est in ista ipsa rogatione, quam se Sedulius negat scivisse: tu hujus, ut acta tui praeclari Tribunatus hominis dignitate cohonestes, auctoritatem amplecteris? Sed, tametsi nihil de me tulisti, quo minus essem non modo in Civium numero, sed etiam in eo loco, in quo honores Populi Romani collocaverunt; tamenne eum tua voce violabis, quem post nefarium scelus Consulum superiorum, tot vides judiciis Senatus, Populi Romani, totius Italiae honestatum? quem ne tum quidem, cum aberam, negare poteras esse tua lege Senatorem? Ubi enim tuleras, ut mihi aqua, et ignis interdiceretur? Quod Graccus de P. Popillio, Saturninus de Metello tulit. Homines seditiosissimi de optimis, ac fortissimis Civibus non, ut esset interdictum, quod ferri non poterat, tulerunt, sed ut interdiceretur. Ubi cavisti ne meo me loco censor in Senatum legeret? quod de omnibus, etiam quibus damnatis 2) interdictum est, scriptum est in legibus.

Quaere hoc e Sex. Clodio, Scriptore legum tuarum: jube adesse: latitat omnino, sed si requiri jusseris, invenient hominem apud sororem tuam, occultantem se capite demisso 3). Sed si patrem b)

1) *Ne scriptum quidem)* Ut exularem. *Ferratius.*

2) *Etiam quibus damnatis)* Cum ego damnatus non sim. *Manutius.*

3) *Occultantem se capite demisso)* Significat eam obscoenitatem, quam superius notavit. *Hotomanus.*

ANALYSIS.

a) *Quid si)* 3. Ex verbis ipsius legis deducit argumentum, quo probat se non posse appellari exulem: est autem hujusmodi:

„ Ea lege non sum exul: qua nec Civitate privor, nec „ Senatu:

„ Sed tua lex neque Civitate me privat, neque Senatu:

„ Ergo tua lege numquam fui exul.

Quid si) Assumptio, et ejusdem approbatio illustrata quibusdam *Exemplis.*

b) *Sed si patrem) Complexio,* quam urget exemplo

tuum, Civem medius fidius, egregium dissimilemque vestri, nemo umquam sanus exulem appellavit, qui, cum de eo Tribunus Plebis promulgasset, adesse propter iniquitatem illius Cinnani temporis noluit, eique Imperium est abrogatum 1), si in illo poena legitima turpitudinem non habuit propter vim temporum: in me, cui dies dicta numquam est, qui reus non fui qui, numquam sum a Tribuno Plebis citatus: damnati poena esse potuit, ea praesertim, quae ne ipsa quidem rogatione perscripta est?

XXXII. At vide a), quid intersit inter illum iniquissimum patris tui casum, et hanc fortunam, conditionemque nostram. Patrem tuum, civem optimum, clarissimi viri filium, qui si viveret, qua severitate fuit, ut profecto non viveres, L. Philippus censor avunculum suum praeteriit in recitando Senatu. Nihil enim poterat dicere, quare rata non essent, quae

1) *Eique imperium est abrogatum)* Amplificat iniquitatem legis Clodiae exemplo Appii Clodii. Hic iratus Cinnae, in eum reliqua nobilitate conspiravit, dictaque die a Tribuno Plebis, anno sequenti, cum noluisset adesse, imperium sibi abrogari passus est. Hanc poenam legitimam vocat Cicero, quia juxta leges die dicta citatus a Tribuno cum sibi neque diem dixerit Clodius, neque jusserit adesse: et hoc illud est, quod maxime queritur. *Ferr.*

ANALYSIS.

Ap. Claudii, qui Pater fuerat P. Clodii, *per comparatione minorum*:

„ Patrem tuum nemo Exulem appellavit propter vim „ temporum: licet legitime damnatum:

„ Ergo me multo minus, quem neque tu jussisti a- „ desse, neqne Populus damnavit.

a) *At vide)* 4. Eodem utitur argumento, quo supra probavit legem Clodiam latam fuisse per vim, quod sic se habet:

„ Ille exul non fuit, quem nemo exulem judicavit:

„ Sed nemo me judicavit esse exulem:

„ Ergo exul non fui.

Assumptionem amplificat testimonio maxime L. Cottae. quod illustrat *Exemplo Dissimili* Patris Clodii, et auctoritate Senatus.

erant acta in ea Republica, in qua se illis ipsis temporibus Censorem esse voluisset. Me L. Cotta, homo censorius, in Senatu juratus dixit, se, si Censor tum esset, cum ego aberam, meo loco senatorem recitaturum fuisse.

Quis in meum locum judicem subdidit? Quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod et si adessem? Quis me non modo Civis, sed socius recipere contra tuam legem, et juvare dubitavit? Denique universus Senatus multo ante, quam est lata lex, de me GRATIAS AGENDAS CENSUIT CIVITATIBUS IIS, QUAE M. TULLIUM; tantumne? immo etiam, CIVEM OPTIME DE REPUBLICA MERITUM, RECEPISSENT. Et tu unus pestifer civis, eum restitutum negas esse Civem, quem ejectum universus Senatus non modo Civem, sed etiam egregium Civem semper putavit.

At vero a), ut annales Populi Romani, et monumenta vetustatis loquuntur, Caeso ille b) Quintius, et M. Furius Camillus, et M. Servilius Ahala, cum essent, optime de Republica meriti, tamen Populi incitati vim, iracundiamque subierunt: damnatique Comitiis Centuriatis cum in exilium profugissent, rursus ad eodem Populo placato sunt in suam pristinam dignitatem restituti. Quod si iis damnatis non modo non imminuit calamitas clarissimi nominis gloriam, sed etiam honestavit: (nam, etsi optabilius est, cursum vitae conficere sine dolore, et sine injuria, tamen ad immortalitatem gloriae plus affert

ANALYSIS.

a) *At vero)* 5. Sic argumentatur *a Comparatione majorum:*

„ Si jure damnatus, restitutus deinde fuissem a Populo,
„ hoc mihi gloriae esset, non dedecori:
„ Sed ne damnatus quidem umquam fui;
„ Ergo id mihi multo magis gloriae esse debet, non de-
„ decori.

b) *Caeso ille) Propositionis* approbatio *ab Exemplis.*

desideratum esse a suis Civibus, quam omnino numquam esse violatum) mihi sine ullo judicio Populi profecto, tum amplissimis omnium judiciis restituto, maledicti locum, aut criminis obtinebit?

Fortis, et constans in optima ratione Civis P. Popillius semper fuit. Tamen ejus in omni vita nihil est ad laudem illustrius, quam calamitas ipsa. Quis enim jam meminisset, cum bene de Republica meritum, nisi et ab improbis exspulsus esset, et per bonos restitutus? Q. Metelli praeclarum imperium in re militari fuit, egregia censura, omnis vita plena gravitatis: tamen hujus viri laudem ad sempiternam temporis calamitas propagavit.

XXXIII. Quod si a) et illis, qui exspulsi sunt inique, sed tamen legibus reducti, inimicis interfectis, rogationibus tribunitiis, non auctoritate Senatus, non Comitiis centuriatis, non decretis Italiae, non desiderio Civitatis, inimicorum injuria probro non fuit: in me, qui profectus sum integer, abfui simul cum Republica, redii maxima cum dignitate, te vivo, fratre tuo altero Consule reducente, altero Praetore petente: tuum scelus, meum probrum putas esse oportere?

Ac, si me Populus Romanus, incitatus iracundia, aut invidia, e Civitate ejecisset, idemque postea mea in Rempublicam beneficia recordatus, se collegisset, temeritatem, atque injuriam suam restitutione mea reprehendisset: tamen profecto nemo tam esset amens, qui mihi Populi tale judicium non dignitati potius, quam dedecori, putaret esse oportere. Nunc vero, cum me in judicium Populi nemo omnium vocarit: condemnari non potuerim, qui accusatus non sim: denique ne exspulsus quidem ita sim, ut, si conten-

ANALYSIS.

a) *Quod si) Assumptio* cum *Complexione*, quam iterum, et tertio infra repetit.

derem, superare non possem: contraque a Populo Romano semper sim defensus, amplificatus, ornatus: quid est, quare quisquam mihi se ipsa populari ratione anteponat?

An tu a) Populum Romanum esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur? qui impelluntur, ut vim afferant Magistratibus? ut obsideant Senatum? optent quotidie caedem, incendia, rapinas? quem tu tamen Populum, nisi tabernis clausis, frequentare non poteras: cui Populo duces Lentidios, Lollios, Plagulejos, Sergios praefeceras. O speciem, dignitatemque Populi Romani; quam Reges, quam Nationes exsterae, quam gentes ultimae pertimescunt, multitudinem hominum ex servis conductis, ex facinorosis, ex egentibus congregatam!

Illa fuit pulchritudo Populi Romani, illa forma, quam in campo vidisti tum, cum etiam tibi contra Senatus, totiusque Italiae auctoritatem, et studium, dicendi potestas fuit. Ille, ille Populus est dominus Regum, victor, atque Imperator omnium gentium, quem illo clarissimo die, scelerate, vidisti tum, cum omnes principes Civitatis, omnes ordinum, atque aetatum omnium, suffragium se non de Civis, sed de Civitatis salute ferre censebant: cum denique homines in campum non tabernis, sed municipiis clausis venerunt.

XXXIV. Hoc ego Populo b), si tum Consules aut fuissent in Republica, aut omnino non fuissent: nullo labore, tuo praecipiti furori, atque impio sceleri restitissem. Sed publicam caussam contra vim arma-

ANALYSIS.

a) *An tu*) *Prolepsis*, quae refertur ad ea verba: *Populari ratione*; cur enim Ciceronem Populus non damnavit; cujus exilium lata lege probavit? Respondet igitur comparando Comitia Clodii Tribuni cum Lentuli Consulis Comitiis, quorum frequentiam, et amplitudinem amplificat.

b) *Hoc ego Populo*) Caussam affert cur noluerit Clodianis resistere.

tam, sine Populi praesidio suscipere nolui: non quo mihi a) P. Scipionis, fortissimi viri, vis intima 1) privati hominis displiceret, sed Scipionis factum statim P. Mucius Consul, qui in gerenda Republica putabatur fuisse segnior, quam gesta, multis Senatusconsultis non modo defendit, sed etiam ornavit: mihi aut, te interfecto, cum Consulibus; aut, te vivo et tecum, et cum illis, armis decertandum fuit.

Erant eo tempore multa etiam alia metuenda. Ad servos, medius fidius, res pervenisset. Tantum homines impios ex vetere illa conjuratione injustum nefariis mentibus, bonorum odium retinebat. Hic tu me b) etiam gloriari vetas: negas esse serenda, quae soleam de me praedicare, et homo facetus, inducis etiam sermonem urbanum, ac venustum; me dicere solere, esse me Jovem: eumdemque dictitare, Minervam esse sororem meam. Non tam insolens sum, quod Jovem esse me dico, quam eruditus, quod Minervam sororem Jovis esse existimo 2). Sed tamen ego mihi sororem virginem adscisco: tu sororem tuam

1) *Vis intima*) Cum Ti. Gracchum privatus, et P. Mutii segnitiem detestatus, sua manu interfecit. Vide Valer. lib. 3. cap. 2. *Hotom.* Pal. nonus non agnoscit illud *intima.* Guilelmius mutat in *incita,* aut *legitima.* P. Manutius conjiciebat *ultima.* Quod non displicet. *Gruter.*

2) *Non tam insolens sum, quod Jovem esse me dico, quam eruditus, quod Minervam sororem Jovis esse existimo)* Sic edidit Victorius. Qui omnem emendandi occasionem captant, sensum ajunt hic esse nullum. Atqui et aliquem video, et valde Ciceronianum, hoc est, falsum ac facetum. Age, veniamus quasi in rem praesentem. Oratori de suo Consulatu, et Republica conservata, saepius

ANALYSIS.

a) *Non quo mihi)* Alteri occurrit *Prolepsi* de P. Scipione; ille enim privatus Ti. Gracchum interfecit, sed probante Mucio Consule; sibi et cum Tribuno, et cum Consulibus pugnandum fuisset.

b) *Hic tu me)* Tria praeterea Clodius Ciceroni objecerat; arrogans quoddam dictum, inanem jactantiam, et turpem discessum. Primum in Clodii contumeliam retorquet-

virginem esse non sivisti. Sed vide, ne tu te debeas Jovem dicere, quod tu jure eamdem sororem, et uxorem appellare possis.

XXXV. Et quoniam a) hoc reprehendis, quod solere me dicas de me ipso gloriosius praedicare: quis umquam audivit, cum ego de me, nisi coactus, ac necessario dicerem? Nam si, cum mihi furta, largitiones, libidines objiciuntur, ego respondere soleo, meis consiliis, periculis, laboribus, patriam esse conservatam; non tam sum existimandus de gestis rebus gloriari, quam de objectis non confiteri. Sed si mihi ante haec durissima Reipublicae tempora nihil

quam aures hominum ferre possent, glorianti hoc objicit Clodius: *Ista gloriatione tu te Jovem esse dicis; Minervam tibi facis sororem*. Imperite dictum: non enim Minerva Jovis soror, sed filia. Sui sane, atque artis immemor Cicero sit, neque minus Clodio fatuus, si stolidam criminationem serio depellat. Joco mavult agere, et jocandi erat locus. An vero, inquit, dicere soleo, esse me Jovem? Idem dictito; Minervam esse sororem; meam eo nimirum, quod ego sim Jupiter? Arroganter dictum; sed tamen docte. Immo docte magis, quam arroganter: ut non tam culpanda videatur insolentia dicentis Jovem me esse, quam suspicienda eruditio existimantis Minervam esse sororem Jovis. Sum insolens, sed *non tam insolens sum, quam eruditus*. Hic ergo *tam* comparationem continet, ut in aliis plerisque locis, in quibus assumit *quam*. Unde autem fatua haec manarit accusatio, si quis forte quaerat: inde opinor, quod se *Urbis servatorem* esse jactaret Cicero: et *Servator Conservator*, titulus sit Jovis proprius. De Minerva narrat Plutarchus in vita Ciceronis, quod hic, cum amicorum sequutus consilium, decrevisset cedere Clodiano furori, atque abire, signum Minervae, quod magna in veneratione diu habueram domi, in Capitolio posuit, ibique dedicavit, cum hac inscriptione MINERVAE URBIS ROMAE PRAESIDI. Quae quidem de Minerva animadversio an huc fortasse faciat, videbunt Critici. Quid tamen emendatores attulerint, videas licet apud Graevium. *Olivetus.*

ANALYSIS

a) *Et quoniam*) Secundum diluit *a Caussis* hac ratione:

„ Quod mihi objecta refellam, et Reip. dignitatem tuear,
„ non sum reprehendendus:

„ Sed iis de caussis res meas gestas commemorare saepe
„ soleo;

Assumptionis probat utramque partem.

umquam aliud objectum est, nisi crudelitas illius temporis, cum a patria perniciem depuli: quid? me huic maledicto utrum non respondere, an demisse respondere decuit? Ego vero etiam Reipublicae semper interesse putavi, me illius pulcherrimi facti, quod ex auctoritate Senatus, consensu bonorum omnium, pro salute patriae gessissem, splendorem verbis divinitatemque retinere: praesertim cum mihi uni in hac Republica, audiente Populo Romano, opera mea hanc Urbem, et hanc Rempublicam esse salvam jurato dicere fas fuisset.

Exstinctum est a) jam illud maledictum crudelitatis, quod me non ut crudelem tyrannum, sed ut mitissimum parentem, omnium Civium studiis desideratum, repetitum, arcessitum vident. Aliud exortum est. Objicitur mihi meus ille discessus: cui ego crimini respondere sine mea maxima laude non possem. Quid enim b), Pontifices, debeo dicere? Peccati me conscientia profugisse? Ad id, quod mihi criminì dabatur, non modo peccatum non erat, sed erat res, post natos homines pulcherrima. Judicium Populi pertimuisse? At id, nec propositum ullum fuit; et, si fuisset, duplicata gloria 1) discessissem 2). Bonorum mihi praesidium defuisse? Falsum est. Me mortem timuisse? Turpe est.

1) *Duplicata gloria*) Una pulcherrimi facti, altera judiciis Populi factum comprobantis. *Manut.*

2) *Discessissem*) Ex judicio: absolutus essem. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Exstinctum est*) Tertium objectum, quod item refellit *a Caussa finali* :

,, Dignus est laude, qui Reip. caussa amittit omnia, quae
,, habet carissima;
,, Sed ego omnia mihi carissima abjeci Reip. caussa;
,, Ergo dignus sum laude, non reprehensione.

b) *Quid enim*) *Assumptionis* approbatio ab aliarum *Caussarum* remotione, statimque sequitur *Assumptio* ipsa eleganter amplificata.

XXXVI. Dicendum igitur est id, quod non dicerem, nisi coactus, (nihil enim umquam de me dixi sublatius adsciscendae laudis caussa potius, quam criminis depellendi) dico igitur, et quam possum maximâ voce dico: Cum omnium perditorum, et conjuratorum incitata vis, duce Tribuno Plebis, Consulibus auctoribus, afflicto Senatu, perterritis Equitibus Romanis, suspensa, ac sollicita tota Civitate, non tam in me impetum faceret, quam per me in omnes bonos: me vidisse, si vicissem, tenues Reipublicae reliquias; si victus essem, nullas futuras. Quod cum judicassem, deflevi conjugis miserae discidium 1), liberorum carissimorum solitudinem, fratris absentis amantissimi, atque optimi casum, subitas fundatissimae familiae 2) ruinas. Sed his omnibus rebus vitam anteposui meorum Civium: remque publicam concidere unius discessu, quam omnium interitu occidere malui. Speravi, id quod accidit, me jacentem posse a vivis viris fortibus excitari; si una cum bonis interiissem, nullo modo posse recreari.

Accepi a), Pontifices, magnum, atque incredibilem dolorem: non nego: neque istam mihi ascisco sa-

1) *Conjugis miserae discidium)* *Dissidium* animi est: *discidium* vero corporis *Gifanius* in Lucret.

2) *Fundatissimae familiae)* Fundari familia dicitur liberis susceptis. Sed hoc loco non jam ad liberos respicitur, quos jam ante nominavit, quam ad rem familiarem, quae et ipsa fundari, constitui dicitur. Sic Orat. pro Rabirio Post. cap. 1. *fundatae fortunae*. Ernestus. *Fundare* non signicat condere, aut statuere, sed firmare, ac stabilire. *Colonis urbem fundare*, est urbem stabilire, urbis statum confirmare, colonia eo deducta. *Scioppius*.

ANALYSIS.

a) *Accepi)* Suum porro in ea calamitate nimium dolorem exscusat primo *a Caussa formali*, quod ita ferat communis naturae sensus; deinde etiam *ab Effectibus*:

„ Ex magnitudine doloris colligitur magnitudo beneficii „ a me in Remp. collati;

„ Ergo magnitudo periculi factum meum magis laudabile praestat.

pientiam, quam nonnulli in me requirebant, qui me animo nimis fracto esse, atque afflicto loquebantur. An ego poteram, cum a tot rerum tanta varietate divellerer, (quas idcirco praetereo, quod ne nunc quidem sine fletu commemorare possum) inficiari me esse hominem, et communem naturae sensum repudiare? Tum vero neque illud mecum factum laudabile, nec beneficium ullum a me, in Rempublicam profectum dicerem, siquidem ea Reipublicae caussa reliquissem, quibus aequo animo carerem: eamque animi duritiem, sicut corporis quod cum uritur, non sentit, stuporem potius, quam virtutem putarem.

XXXVII. Suscipere tantos animi dolores, atque ea, quae, capta Urbe, accidunt victis, stante Urbe unum perpeti, et jam se videre distrahi a complexu suorum, disturbari tecta, diripi fortunas, patriae denique caussa patriam ipsam amittere, spoliari Populi Romani beneficiis amplissimis, praecipitari ex altissimo dignitatis gradu, videre praetexstatos inimicos, nondum morte complorata, arbitria potentes funeris: haec omnia subire conservandorum Civium caussa, atque ita, ut dolenter absis, non tam sapiens, quam ii, qui nihil curant, sed tam amans tuorum, ac tui, quam communis humanitas postulat: ea laus praeclara, atque divina. Nam, qui ea, quae numquam cara, ac jucunda duxit, animo aequo Reipublicae caussa deserit, nullam benevolentiam insignem in Rempublicam declarat. Qui autem ea relinquit, Reipublicae caussa, a quibus cum summo dolore divellitur, ei patria cara est, cujus salutem caritati anteponit suorum.

Quare Rempublicam (disrumpatur licet ista furia, atque audiat haec ex me, quoniam lacessivit) bis servavi; ut Consul togatus armatos vicerim: privatus Consulibus armatis cesserim. Utriusque temporis fructum tuli maximum: superioris, quod ex Senatus auctoritate, et Senatum, et omnes bonos, meae salutis caussa, mutata veste vidi: posterioris, quod et Senatus, et Populus Romanus, et omnes mortales, et privatim, et publice judicarunt, sine meo reditu Rempublicam salvam esse non posse.

Sed hic a) meus reditus, Pontifices, vestro judicio continetur. Nam, si vos me in meis aedibus collo-

catis, id quod in omni mea caussa semper studiis, consiliis, auctoritatibus, sententiisque fecistis: video me plane, ac sentio restitutum. Sin mea domus non modo mihi non redditur, sed etiam monumentum praebet inimico doloris mei, sceleris sui, publicae calamitatis: quis erit, qui hunc reditum potius, quam poenam sempiternam putet? In conspectu b) praeterea totius Urbis domus est mea, Pontifices, in qua si manet illud non monumentum Urbis, sed sepulchrum inimico nomine inscriptum; demigrandum potius aliquo est, quam habitandum in ea Urbe, in qua trophaea et de me, et de Republica videam constituta.

XXXVIII. An ego tantam aut animi duritiem habere, aut oculorum impudentiam possim, ut, cujus Urbis servatorem me esse Senatus omnium assensu toties judicarit, in ea possim intueri domum meam eversam non ab inimico meo, sed ab hoste communi, et ab eodem aedem exstructam, et positam in oculis civitatis, ne umquam conquiescere possit fletus bonorum? Sp. Melii c), regnum appetentis

ANALYSIS.

a) *Sed hic*) Accedit ad ipsam eversionem, et dedicationem domus: cumque neget, se sibi restitutum videri, nisi et domum suam recuperaverit, ita illius eversionem queritur *ab Adjunctis;*

„ Turpe est, illius domum eversam in oculis esse Civium,
„ qui Remp. servavit:

„ Sed mea domus, qui Remp. servavi, in conspectu est
„ totius Urbis;

„ Ergo turpe est pati, eam esse eversam, ac dirutam.

b) *In conspectu*) Attingitur *Assumptio*, ac deinde *Propositio* exsponitur.

c) *Sp. Melii*) *Propositio* approbata *a Contrariis Exemplis* Melii, Cassii, Vacci, Manlii, et Flacci.

domus est complanata. Ecquid aliud? Aequum accidisse Melio Populus Romanus judicavit; nomine ipso Aequimelii, stultitia poenae 1) comprobata est. Sp. Cassii domus ob eamdem caussam eversa, atque in eodem loco aedes posita Telluris. In Vacci pratis domus fuit M. Vaccii, quae publicata memoria, et nomine loci notaretur. M. Manlius, cum ab adscensu Capitolii Gallorum impetum repulisset, non fuit contentus beneficii sui gloria: regnum appetisse est judicatus. Ergo ejus domum eversam, duobus lucis convestitam videtis. Quam igitur majores nostri sceleratis, ac nefariis Civibus maximam poenam constitui posse arbitrati sunt, eamdem ego subibo, ac sustinebo, ut apud posteros nostros non exstinctor conjurationis, et sceleris, sed auctor, et dux fuisse videar?

Hanc vero, Pontifices, labem turpitudinis, et inconstantiae poterit Populi Romani dignitas sustinere vivo Senatu, vobis principibus publici consilii, ut domus M. Tullii Ciceronis cum domo Fulvii Flacci, ad memoriam poenae publice constitutae, conjuncta esse videatur? M. Flaccus, quia cum Graccho contra salutem Reipublicae fecerat, et Senatus, et interfectus, et ejus domus eversa, et publicata est: in qua porticum post aliquanto Q. Catulus de manubiis Cimbricis fecit. Ista aut fax, ac furia patriae, cum Urbem, Pisone, et Gabinio ducibus, coepisset, occupasset, teneret: uno eodemque tempore et clarissimi viri mortui monumenta delebat, et meam domum

1) *Stultitia, poena)* Puto legendum *stultitiae* in secundo casu. *Hotom.* Mihi videtur *stultitia* nescio quo casu irrepsisse, et *Melii*, ex vestigiis veterum codicum colligo exscidisse. Num Cicero scelus, et flagitium Melii regnum affectantis stultitiam vocet? Caecina apud Cic vi. ad Famil. epist. 7. stultitiam vocat, cum quis contra potentes scribit: sed affectationem tyrannidis nemo sanae mentis, nedum Tullius, stultitiam dixerit. Ciceronis manus fuit: *Nomine ipso Equimelii Melii poena est comprobata*. Graevius.

cum M. Flacci domo conjungebat: ut, qua poena Senatus affecerat eversorem Civitatis, eadem iste, oppresso Senatu, afficeret eam; quem patres conscripti custodem patriae judicassent.

XXXIX. Hanc vero a) in Palatio, atque in pulcherrimo Urbis loco porticum esse patiemini, furoris tribunitii, sceleris Consularis, crudelitatis conjuratorum, calamitatis Reipublicae, doloris mei defixum indicium ad memoriam omnium gentium sempiternam? Quam porticum pro amore, quem habetis in Rempublicam, et semper habuistis, non modo sententiis, sed, si opus esset, manibus vestris disturbare cuperetis: nisi quem b) forte illius castissimi Sacerdotis 1) superstitiosa dedicatio deterret.

O rem, quam homines soluti ridere non desinant: tristiores autem sine maximo dolore audire non possint? Publiusne Clodius, qui ex Pontificis Maximi domo religionem eripuit: is in meam intulit? Hunc in vos, qui estis antistites caeremoniarum, et sacrorum, auctorem habetis, et magistrum publicae reli-

1) *Castissimi Sacerdotis)* Acerba in Clodium Ironia qui, tamquam Sacerdos, noctu, libidinis caussa domum C. Caesaris Pont. Max. in qua mulieres pro Populo faciebant, muliebri vestitu introivit. *Manut.*

ANALYSIS.

a) *Hanc vero)* Exemplum M. Flacci urget *ab Adjuncto* loci, quod vicinae essent domus Flacci, et Ciceronis, adeoque major inde sibi turpitudo emanaret.

b) *Nisi quem* Dedicationem ipsam *ab Adjunctis* multipliciter exsplodit: et 1. quidem a persona Clodii consecrantis hoc Syllogismo.

„ Ea consecratio non valet, quae fit ab impio, et Deorum „ comtemptore;

„ Sed Clodius, qui domum meam consecravit, impius „ est, et Deorum contemptor;

„ Ergo ea Consecratio non valet.

Assumptio confirmatur ex incestu, quem Clodius admiserit in sacris Bonae Deae, eamque illustrat duplici *Apostrophe* ad Deos, et ad Clodium, et *dissimili Comparatione* Ap. Claudii Caeci.

gionis? O Dii immortales! (vos enim haec audire cupio) P. Clodius vestra sacra curat? vestrum numen horret? res omnes humanas religione vestra contineri putat? hic non illudit auctoritati horum omnium, qui adsunt, summorum virorum? non vestra, Pontifices, gravitate abutitur? Ex isto ore religionis verbum exscidere, aut elabi potest? cum tu eodem ore, accusando Senatum quod severe de religione decerneret 1), impurissime, teterrimeque violasti.

XL. Adspicite, adspicite, Pontifices, hominem religiosum, et, si vobis videtur, quod (est bonorum Pontificum) monete eum, modum quendam esse religionis: nimium esse superstitiosum non oportere. Quid tibi necesse fuit anili superstitione, homo fanatice, sacrificium, quod alienae domi fieret, invisere? Quae autem te tanta mentis imbecillitas tenuit, ut non putares Deos satis posse placari, nisi etiam muliebribus Religionibus te implicuisses? Quem umquam audisti majorum tuorum, qui et sacra privata coluerunt, et publicis sacerdotiis praefuerunt, cum sacrificium Bonae Deae fieret, interfuisse? neminem,

1) *Quod severe de religione decerneret)* Cum de incestu Clodius est accusatus, qui spe corrumpendi judicii, contendit, et obtinuit, adjuvante in primis M. Pupio Pisone Consule, ne suam caussam senatus judicaret. Ep. 14. lib. 1. ad Att. *Idem.*

2) *Qui caecus est factus)* Appium Caecum denotari, et Hotomanus, et Manutius, et quotquot sunt Interpretes, existimarunt. Sed is senectute caecus factus est. At cur hic ex gente Appia, is quem aetas longa oculorum usu privavit, nominaret inter illos, qui sacris interfuissent, quibus interesse illis non licebat? Absurde hic mentio fieret Appii Caecilium Metellum. Is e flammis cum Palladium eripuit, caecus factus est. Compendium Livii lib. 19. *Cum templum Vestae arderet, Caecilius Metellus Pont. Max. ex incendio sacra rapuit.* Ob illam caussam, orbam luminibus illum exegisse senectutem, quae ille amisisset incendio, cum Palladium raperet ex aede Vestae, Plinius docet Hist. Nat. VII. 42. Sed et multi alii

ne illum quidem, qui coecus est factus 2). Ex quo intelligitur, multa in vita falso homines opinari: cum ille, qui nihil viderat sciens quod nefas esset, lumina, amisit; istius, qui non solum adspectu, sed etiam incesto flagitio, et stupro polluit caeremonias, poena omnis oculorum ad caecitatem mentis est conversa. Hoc auctore tam casto, tam religioso, tam sancto, tam pio, potestis, Pontifices, non commoveri, cum suis dicat se manibus domum Civis optimi evertisse, et eam iisdem manibus consecrasse?

Quae tua fuit a) consecratio? Tuleram, inquit, ut mihi liceret. Quid non exsceperas, ut si quod jus non esset rogare, ne esset rogatum? Jus igitur b) statuetis esse uniuscujusque vestrum sedes, aras, focos, deos Penates, subjectos esse libidini tribunitiae? In quem quisque per homines concitatos irruerit,

hoc commemorant. Vide Ovid. vi. Fast. Credebatur igitur punitus esse a Diis coecitate, quod, licet fuisset maxime pius, vidisset Palladium, quod viro videre non liceret. Vide Ovid. vi. Fast. Clodius autem materna stirpe fuit ex Metellorum familia. Mater enim ejus fuit Caecilia Metella, cujus pater exul Q. Metellus Numidicus, qui anno U. C. DCLIII. exilio, a Saturnino Tribuno Pl. Adjuvante Glaucia Praetore, fuit multatus. Hunc vocavit paullo superius in hac oratione, patrem Clodii. *Sed si patrem tuum, civem, medius fidius, egregium, dissimilemque vestri, nemo umquam sanus exulem appellavit*, et quae ibi sequuntur. Sic in oratione post reditum in Senatu Q. Metellum Consulem, collega Lentulo, appellat fratrem Clodii: *Q. Metellus, et inimicus, et fratres inimici prospecta vestra voluntate, omnia privata odia deposuit*, cum esset frater patruelis. *Graev.*

ANALYSIS.

a) *Quae tua fuit)* 2. Quod non fuerit ante inspecta voluntas Deorum, hujusmodi ratione.

„ Ea consecratio non valet, quae Diis non est grata:
„ Sed consecratio meae Domus non fuit grata Diis:
„ Ergo non valet.

b *Jus igitur) Propositionis* approbatio *a consequentibus:* cujus enim domus tuta erit, quam etiam contra Deorum voluntatem consecrare possint Tribuni?

quem impetu perculerit, hujus domum non solum affligere, quod est praesentis insaniae, quasi tempestatis repentinae, sed etiam in posterum tempus religione sempiterna obligare?

XLI. Equidem sic accepi, Pontifices, in religionibus suscipiendis, caput, esse, interpretari, quae voluntas Deorum immortalium esse videatur: nec est ulla erga Deos pietas, nisi honesta de numine eorum, ac mente opinio, cum exspeti nihil ab iis quod sit injustum, atque inhonestum, arbitrere. Hominem a) invenire ista labes tum, cum omnia tenebat, neminem potuit, cui meas aedes addiceret, cui traderet, cui donaret: ipse cum loci illius, cum aedium cupiditate flagraret, ob eamque caussam unam, una justa illa rogatione sua vir bonus dominum se in meis bonis esse voluisset: tamen illo ipso in furore suo non est ausus meam domum, cujus cupiditate inflammatus erat, possidere. Deos immortales existimatis, cujus labore, et consilio sua ipsi templa tenuerunt, in ejus domum afflictam, et eversam per unius hominis sceleratissimi nefarium latrocinium immigrare voluisse?

Civis est nemo in tanto Populo, extra contaminatam illam, et cruentam P. Clodii manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit, qui non pro suis opibus in illa tempestate defenderit. At qui aliqua se contagione praedae, societatis, emptionis, contaminaverunt, nullius neque privati, neque publici judicii poenam effugere potuerunt. Ex his b) igitur bonis, quorum nemo rem ullam attigit, qui non om-

ANALYSIS.

a) *Hominem) Assumptionis* approbatio a *Comparatione minorum*:

„ Boni Cives non sunt ausi aliquid attingere ex meis bo-
„ nis, sed neque Clodium ipse domum meam possidere:
„ Ergo multo minus Dii domum meam concupierunt.

b) *Ex his) Complexio.*

nium judicio sceleratissimus haberetur, Dii immortales domum meam concupiverunt? Ista tua a) pulchra Libertas Deos Penates, et familiares meos Lares expulit, * ut a te ipsa, tamquam in captivis sedibus collocaretur? Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam domus uniuscujusque civium? Hic arae sunt, hic foci; hic Dii Penates, hic sacra, religiones, caeremoniae, continentur: hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.

XLII. Quo magis est furor istius ab auribus vestris repellendus, qui quae majores nostri religionibus tuta nobis, et sancta esse voluerunt, ea iste non solum contra religionem labefactavit, sed etiam ipsius religionis nomine evertit. At quae b) Dea est? Bonam esse oportet 1), quandoquidem est abs te dedicata. Libertas, inquit, est. Eam tu igitur domi meae collocasti, quam ex Urbe tota sustulisti? Tu, cum collegas tuos, summa potestate praeditos, negares liberos esse 2): cum in templum Castoris 3)

1) *Bonam esse oportet*) Renovat memoriam Bonae Deae, cujus caeremonias nefario stupro Clodius polluerat. *Manut.*

2) *Negares liberos esse*) Intercedentes, aut obnuntiantes contemneres. *Idem.*

3) *In templum Castoris*) In quo legem Clodius, revulsis gradibus, ne quis introire posset, contra Ciceronem tulit. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Ista tua*) 3. A sanctitate cujusque domus sic arguit:
„ Sancta, et antiqua Religio nova Religione violari non
„ debet,
„ Sed uniuscujusque domus sancta est, et religione mu-
„ nita:
„ Ergo nova Religione violari non debet:
b) *At quae*) 4. *a Contrariis.*
„ Ille non potest Libertatis signum dedicare, qui liberta-
„ tem sustulit e Civitate;
„ Sed tu Libertatem e Civitate sustulisti;
„ Ergo non poteras Libertatis signum dedicare.
Assumptio amplificatur ab enumeratione eorum, quae tyrannice Clodius fecerat.

* Lamb. Grut. *ut te ipsa, tamquam in captivis sedibus collocaret.*

aditus esset apertus nemini: cum hunc 1) clarissimum virum, summo genere natum, summis Populi beneficiis usum, Pontificem, et Consularem, et singulari bonitate, et modestia praeditum, quem satis mirari quibus oculis adspicere audeas non queo, audiente Populo Romano a pedissequis conculcari juberes: cum indemnatum exsturbares, privilegiis tyrannicis irrogatis: cum principem 2) Orbis terrae virum, inclusum domi contineres: cum forum armatis catervis perditorum hominum possideres: Libertatis simulacrum in ea domo collocabas, quae domus erat ipse indicio tui crudelissimi dominatus, et miserrimae Populi Romani servitutis? Eumne potissimum Libertas domo sua debuit pellere, qui nisi fuisset, in servorum potestatem Civitas tota venisset?

XLIII. At unde a) inventa est ista Libertas? quaesivi enim diligenter. Tanagraea quaedam meretrix fuisse dicitur. Ejus non longe a Tanagris 3) simulacrum e marmore in sepulcro positum fuit. Hoc quidam homo nobilis 4), non alienus 5) ab hoc re-

1) *Hunc)* M. Lucullum, ut opinor. *Idem.*

2) *Principem)* Cn. Pompejum.

3) *Tanagris)* Tanagra Boeotiae Civitas fuit non ignobilis.

4) *Homo nobilis)* Is fuit Appius Claudius, P. Clodii frater, qui praetermissa aedilitate L. Pisonis Consulis gratia, et suffragatione Praeturam est adeptus, et olim docuit St. Pighius ad annum U. C. DCXCVI, quem vide. *Graevius.*

5) *Non alienus)* Jocus quidam est: loquitur enim de fratre. *Frugaliter*; Appii rapinas notat *Manutius.*

ANALYSIS.

a) *At unde)* 5. Utitur argumento *a Cuussa materiali*, quia cum esset illud simulacrum meretricis sepulchro sublatum, turpe erat dedicari Libertati.

ligioso Libertatis Sacerdote, ad ornatum aedilitatis suae deportavit. Etenim cogitarat omnes superiores muneris splendore superare. Itaque omnia signa, tabulas, ornamentorum quod superfuit insanis, et communibus locis, tota e Graecia, atque Insulis omnibus, honoris Populi Romani caussa, sane frugaliter domum suam deportavit. Is posteaquam intellexit, posse se, interversa aedilitate 1), a L. Pisone Consule Praetorem renuntiari, si modo eadem prima litera, 2) competitorem habuisset aliquem: aedilitatem duobus in locis, partim in arca, partim in hortis 3) suis collocavit signum de busto mere-

1) *Interversa aedilitate)* Appius Claudius, Publii frater, eo anno, quo Cicero exulabat, aedilitatem petebat, signaque, ac tabulas ex tota Graecia, atque omnibus Insulis, deportaverat Romam: *Etenim cogitarat omnes superiores muneris splendore superare.* Sed mutata repente sententia, et omissa aedilitatis petitione, per fraudem factus est Praetor. Qua vero id ratione contigerit, Orator sic exponit: *Is posteaquam intellexit* (sic enim inter Appium, et Pisonem convenerat) *posse se interversa aedilitate* (fraudebat Populum aedilitate quam pollicitus fuerat, eamque quasi debitam avertere videbatur) *a L. Pisone Consule* (qui Magistratuum omnium habiturus erat comitia) *Praetorem renuntiari, si modo eadem prima litera competitorem habuisset aliquem.* Hoc eodem anno petiisse praeturam A. Postumium quemdam, cum tabellis nequaquam inscriberentur integra nomina candidatorum, sed brevitatis caussa, primae tantum literae nominis cujusque, necesse erat, Praetoriis Comitiis, praeter alias aliorum multas, duas etiam tabellas dari, quarum una A. P. haberet pro Postumio, altera A. C. pro Clodio. Promiserat autem Piso Consul, se in examinandis uniuscujusque centuriae suffragiis, tabellas omnes inscriptas A. P. pro Appio accepturum; quorum punctorum accessione facta ad ea, quae ipse tulisset, dubium non erat, quin Praetor fieret. *Ferratius.*

2) *Eadem prima litera)* In tabellis scribebantur solum primae literae nominum. hoc modo, A. C. P. Poterat igitur Piso Consul, qui habebat comitia, pro A. Postumio, vel A. Manlio, Ap. Claudium falso renuntiare Praetorem. *Idem.* Vide Schott. lib. 1. Nodor. cap. 18.

3) *Partim in arca, partim in hortis)* Ea, quae ad suam aedilitatem ornandam paraverat, duobus in locis collocavit, alia in arca, alia in hortis suis. Paraverat autem pecunias, et signa. His suos ornavit hortos; illis arcam

tricis ablatum isti dedit, quod esset signum magis istorum, quam publicae Libertatis. Hanc Deam quisquam violare audeat, imaginem meretricis, ornamentum sepulcri, a fure sublatam, a sacrilego collocatam? Haec me domo mea pellet? haec ultrix afflictae Civitatis, Reipublicae spoliis ornabitur? haec erit in eo monumento, quod positus est, ut esset indicium oppressi Senatus ad memoriam sempiternam turpitudinis?

O Q. Catule a), (patremne appellem, an filium? Recentior memoria filii est, et cum rebus meis gestis conjunctior:) tantumne te fefellit, cum mihi summa, et quotidie majora praemia in Republica fore putabas. Negabas fas esse, duos Consules esse in hac Civitate inimicos Reipublicae. Duo sunt, inventi, qui Senatum Tribuno furenti constrictum traderent: qui pro me patres conscriptos deprecari, et Populo supplices esse, edictis, atque imperio vetarent: quibus inspectantibus domus mea disturbaretur, diriperetur: qui denique ambustas fortunarum mearum reliquias, suas in domos comportari juberent.

Venio nunc ad patrem. Tu, Q. Catule, M. Fulvii domum, cum is fratris tui socer fuisset, monumentum tuarum manubiarum esse voluisti, ut ejus, qui perniciosa Reipublicae consilia coepisset omnis memoria funditus ex oculis hominum, ac mentibus tolleretur. Hoc si quis tibi aedificanti illam porticum diceret, fore tempus, cum is Tribunus Plebis, qui auctoritatem Senatus, judicium bonorum omnium neglexisset, tuum monumentum, Consulibus non modo inspectantibus, verum adjuvantibus, disturbaret, everteret, idque cum ejus civis, qui Rempublicam

implevit. Porro ut *horti* dicantur numero multitudinis, necesse non est esse plures. Hortum unum spatiosiorem, arborum proceritate, corticibus, statuis, etc. ad delicias ornatum, *Hortos* vocabant. Haec animadversio est Franc. Mar. Grapaldi, lib. de partibus aedium. *Anon.*

ANALYSIS.

a) *O Q. Catule*) Per *Apostrophen* ad duos Catulos, Pontifices ad *Misericordiam* movet, ex Arist. lib. 2. c. 8. tex. 89.

ex Senatus auctoritate Consul defendisset, domo conjungeret, nonne responderes, id, nisi eversa Civitate, accidere non posse?

XLIV. At videte a) hominis intolerabilem audaciam cum projecta quadam, et effrenata cupiditate. Monumentum iste numquam, aut religionem ullam exscogitavit: habitare laxe, et magnifice voluit; quasque et magnas, et nobiles domos conjungere. Eodem puncto b) temporis, quo meus discessus isti caussam caedis eripuit, a Q. Sejo contendit, ut Q. Postumius sibi domum venderet. Cum ille id negaret, primo se luminibus 1) ejus esse obstructurum minabatur. Affirmabat Postumius, se vivo, illam domum istius numquam futuram. Acutus adolescens ex ipsius sermone intellexit, quid fieri oporteret: hominem veneno apertissime sustulit: emit domum, licitatoribus defatigatis, prope dimidio carius, quam aestimabat.

Quorsum igitur haec oratio pertinet? Domus mea illa prope tota vacua est (2): vix pars aedium mea-

1) *Luminibus*) Fenestrarum illius domus lumina se impediturum minabatur Clodius, structo contra pariete. *Ferrat.*

2) *Vacua est*) Cur vacua dicitur Ciceronis domus? an quod eam Clodius possidere ausus non fuerit, ut aliquis existimavit? Atqui de Clodio dictum fuit paullo ante; *Habitare laxe, et magnifice voluit, duasque et magnas, et nobiles domos* (Sejanam, et Ciceronianam) *conjungere*. Quae ergo *illa* res est, qua *domus* Ciceronis *prope tota vacua* esse affirmatur? Religio, sive consecratio. Clodius

ANALYSIS.

a) *At videte*) 6. *A Caussa finali* Dedicationem nullam esse probat:

,, Ea dedicatio nulla est, quae fit propter cupiditatem,
,, non caussa religionis;
,, Sed cupiditas, non religio Clodii dedicatione in meae
,, domus exscogitavit:
,, Ergo nulla est.

b) *Eodem puncto*) Narratio rei, ut gesta est, *Assumptionem* confirmat: Clodius enim ut conjungeret Ciceronis domum cum sua, et sic magnifice habitaret, domum etiam Q. Seji Postumii mediam inter utramque occupavit: Tullianae domus decimam partem conjunxit cum porticu Catulli, ut amplum haberet locum ad ambulandum, ceteras sibi retinuit, parte tamen inferiori illius domus Clodiae genti assignata.

rum decima ad Catuli porticum accessit. Caussa fuit 1) ambulatio, et monumentum, et ista Tanagraea, oppressa libertate, Libertas. In Palatio pulcherrimo prospectu, porticum cum conclavibus pavimentatam trecentum pedum concupierat, amplissimum peristylum; cetera ejusmodi, facile ut omnium domos, et laxitate, et dignitate superaret. Et homo religiosus, cum aedes meas idem emeret, et venderet: tamen illis tantis tenebris non est ausus suum nomen emptioni illi adscribere. Posuit scilicet Statonem illum, hominem sua virtute egentem, ut is, qui in Marsis, ubi natus est, tectum, quo imbris vitandi caussa succederet, nullum haberet, aedes in Palatio nobilissimas emisse se diceret. Inferiorem aedium partem assignavit non suae genti Fontejae, sed Clodiae 2), quam reliquit. Quem in numerum ex multis Clodiis nemo nomen dedit, nisi aut egestate, aut scelere perditus.

XLV. Hanc vos, Pontifices tam variam, tam novam in omni genere voluntatem, impudentiam, au-

enim disjecit porticum Catuli, partemque aliquam illarum aedium, quae fuerant Ciceronis, atque in eadem area novam exstruxit porticum, dedicavitque Libertati. Pars illa Tullianarum aedium, quae *ad Catuli porticum accessit*, *vix* eorum *pars* erat *decima*. Haec pars tantummodo religioni poterat esse obnoxia, et, an posset restitui, necne, cognoscere Pontifices debebant. Reliqua domus ab omni religione vacua erat. Partem eam ad porticum Catuli addiderat Clodius, ut domus Ciceronis videretur dedicata Liberati, utque porticum ipsa haberet amplam magis, ac splendidam. *Idem.*

1) *Caussa fuit*) Duas caussas assignat, cur partem suarum aedium cum porticu Catuli Clodius conjunxerit: tum ut Ciceronis etiam domus videretur Libertati consecrata: tum etiam ut porticum haberet amplam, et splendidam, columnis ex parte clausam, ad deambulandum. *Idem.*

2) *Assignavit ...... genti Clodiae)* Assignabantur in testamento liberti certis haeredibus. Sic puto Clodii testamentum significari, quo quemdam ex Clodiis haeredem ex ista aedium parte instituerat, et proximum quemque ei succedere jusserat, ne ea res e sua familia exiret. Videtur autem moris fuisse, ut quibus testamentum illud non displiceret, ii nomen suum profiterentur. *Hotoman.*

daciam, cupiditatem, comprobabitis? Pontifex a), inquit, affuit. Non te b) pudet, cum apud Pontifices res agatur, Pontificem dicere, non collegium pontificum affuisse: praesertim cum Tribunus Plebis, vel denuntiare potueris, vel etiam cogere? esto: collegium non adhibuisti. Quid? de collegio quis tandem affuit? Posuerat enim auctoritatem in uno, quae est in his omnibus: sed tamen c) auget et aetas, et honos dignitatem. Opus erat etiam scientia: quam etsi omnes consequuti sunt, tamen certe peritiores vetustas facit.

Quis ergo affuit? Frater d), inquit, uxoris meae 1). Si auctoritatem quaerimus, etsi id est aetatis, ut nondum consequutus sit: tamen quanta est in adolescente auctoritas, ea, propter tantam conjunctionem affinitatis, minor est putanda. Sin autem scientia est quaesita: quis erat minus peritus, quam is, qui paucis illis diebus in collegium venerat? Qui etiam tibi erat magis obstrictus beneficio recenti, cum se fratrem uxoris tuae, fratri tuo germano antelatum 2) videbat. Etsi in eo providisti, ne frater

1) *Frater, inquit, uxoris meae)* Non Fulviae, sed Pinariae, cujus frater fuit L. Pinarius Natta, ut ostendit Jac. Perizonius in Animadvers. Historicis cap. 5.

2) *Antelatum*) In petitione Pontificatus adjuvit Clodius Nattam potius, quam Ap. Claudium, cui tamen aliqua alia ratione satisfecit. *Ferratius.*

ANALYSIS.

a) *Pontifex*) 7. Arguit a persona Pontificis, qui affuerat in dedicando.

„ Dedicationi adesse debet aut collegium Pontificum,
„ aut aliquis ex Pontificibus, in quo magna sit auctoritas, et scientia:
„ Sed neque adhibuisti Collegium Pontificum, et illum
„ ex toto Collegio, in quo parum est auctoritatis, et scientiae:
„ Ergo non bene facta est ea dedicatio.

b) *Non te*) *Assumptionis* prima pars, qua in re co magis reprehendendus Clodius, quod jure Tribunitiae potestatis cogere poterat Pontifices, ut adessent.

c) *Sed tamen*) *Propositionis* secunda pars.

d) *Frater*) *Assumptionis* pars secunda, parum enim auctoritatis in eo erat, tum ob aetatem, tum ob affinitatem: parum scientiae, quia paucis ante diebus creatus fuerat Pontifex.

te accusare posset. Hanc tu a) igitur dedicationem appellas, ad quam non collegium, non honoribus Populi Romani ornatum Pontificem, non denique adolescentem quemquam 1), cum haberes in collegio familiarissimos, adhibere potuisti? Affuit is, si modo affuit, quem tu impulisti, soror rogavit, mater coegit.

Videte igitur b), Pontifices, quid statuatis in mea caussa de omnium fortunis. Verbone c), Pontifices, putatis, si is postem tenuerit, et aliquid dixerit, domum uniuscujusque consecrari posse? An istae dedicationes, et templorum, et delubrorum religiones, ad honorem Deorum immortalium, sine ulla civium calamitate a majoribus nostris constitutae sunt? Est inventus Tribunus Plebis, qui consularibus copiis instructus, omni impetu furoris in eum civem irruerit, quem perculsum ipsa Respublica suis manibus extolleret.

XLVI. Quid, si quis similis istius (neque enim jam deerunt, qui imitari velint) aliquem mei dissimilem, cui Respublica non tantum debeat, per vim afflixerit, domum ejus per Pontificem dedicarit: id vos ista actoritate constituetis ratum esse oportere? Dicetis, quem reperiet Pontificem? Quid? et Tribunus Plebis idem esse non potest Pontifex? M. Drusus, ille clarissimus Tribunus Plebis, Pontifex

1) *Adolescentem quemquam*) Qui tibi non esset affinis. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Hanc tu*) *Complexio*.

b) *Videte igitur*) 8. Hoc ultimum argumentum est eorum, quae spectant ad jus religionis, et ita se habet *a Comparatione majorum*:

„ Etiamsi Pontifex rite postem tenuisset, tamen non va-
„ leret dedicatio:

„ Sed Pontifex rite postem non tenuit:

„ Ergo multo minus valere debet.

c) *Verbone*) *Propositionis* approbatio, tum quia debet esse dedicatio sine ulla civium calamitate, tum *a Consequentibus*, quia omnibus idem periculum immineret.

fuit. Ergo, si is Q. Caepionis, inimici sui, postem aedium tenuisset, et pauca verba fecisset aedes Caepionis essent dedicatae?

Nihil loquor a) de Pontificio jure, nihil de ipsius verbis dedicationis, nihil de religione, caeremoniis: non dissimulo me nescire ea, quae etiam si scirem, dissimularem, ne aliis molestus, vobis etiam curiosus viderer: etsi effluunt multa ex vestra disciplina, quae etiam ad nostras aures saepe permanant. Postem teneri in dedicatione oportere videor audisse templi 1): ibi enim postis est, ubi templi aditus est, et valvae. Ambulationis postes nemo umquam tenuit in dedicando. Simulacrum b) autem, aut aram si dedicasti, sine religione loco moveri potest 2). Sed jam hoc dicere tibi non licebit, quoniam Pontificem tenuisse dixisti.

XLVII. Quamquam c) quid ego de dedicatione loquar? aut quid de vestro jure, et religione, contra quam proposueram, disputabo? Ego vero, si omnia sollemnibus verbis, veteribus, et priscis institutis

1) *Templi)* Cum dicunt postem esse tenendum, intelligunt postem templi, non postem porticus, et loci ad ambulandum exstructi.

2) *Sine religione loco moveri potest)* Auferatur simulacrum, aut ara Libertatis: si modo ea sunt a te per Pontificem dedicata. Potest enim id fieri religione salva; *Manut.*

ANALYSIS.

a) *Nihil loquor Assumptio* approbata per *Praeteritionem*; nam cum postem alicujus templi tenere Pontifex debeat in dedicando, locus autem ille sit ad deambulandum, non templum ambulationis postem tenuerat, non templi, adeoque non rite facta erat dedicatio.

b) *Simulacrum) Prolepsis* de Simulacri dedicatione, cui dupliciter respondet, 1. posse illud Simulacrum loco moveri, in templo aliquo collocari: 2. hoc nullum esse Clodio perfugium, qui jam dixerat illatam fuisse religionem non per dedicationem simulacri, sed Pontifice postem tenente.

c) *Quamquam)* Cum supra de jure religionis disputaverit, nunc agit de jure Reip., et hoc modo arguit *a Pari*:
,, Eodem modo se habet Dedicatio, ac Consecratio:
,, Sed Consecratio non valet, si Civibus sit perniciosa:
,, Ergo neque Dedicatio, si perniciem afferat Civibus.

acta es dicerem, tamen me Reipublicae jure defenderem. An cum a) tu, ejus civis discessus, cujus unius opera Senatus, atque omnes boni Civitatem esse incolumem toties judicassent, oppressam teterrimo latrocinio cum duobus sceleratissimis Consulibus Rempublicam teneres: domum ejus, qui patriam a se servatam perire suo nomine noluisset, per Pontificem aliquem dedicasses: posset recreata Respublica sustinere? Date huic religioni aditum, Pontifices: jam nullum fortunis communibus exitum reperietis. An, si b) postem tenuerit Pontifex, et verba ad religionem Deorum immortalium composita, ad perniciem civium transtulerit: valebit ad injuriam nomen sanctissimum religionis, si Tribunus Plebis verbis non minus priscis, et pene sollemnibus bona civis cujuspiam consecrarit, non valebit? Atqui c) C. Atinius, patrum memoria, bona Q. Metelli, qui eum ex Senatu Censor ejecerat, avi tui, Q. Metelle, et tui, P. Servili, et proavi tui, P. Scipio, consecravit foculo posito in Rostris, adhibitoque tibicine. Quid tum? num ille furor Tribuni Plebis, ductus, ex nonnullis veterum temporum exemplis, fraudi Metello fuit, summo illi, et clarissimo viro? Certe non fuit.

Vidimus, hoc idem Cn. Lentulo Censori Tribunum Plebis facere. Numquid igitur is bona Lentuli religioni obligavit? Sed quid ego ceteros? Tu, tu, inquam, capite velato, concione advocata, foculo posito, bona tui Gabinii, cui, regna omnia Syrorum, Arabum, Persarumque donaras, consecrasti.

ANALYSIS.

a) *An, cum)* Rem ipsam in primis generaliter detestatur *a Consequentibus*.

b) *An, si) Propositio*: negando enim per *Interrogationem* affirmat.

c) *Atqui)* Assumptionem confirmat *Exemplis* C. Atinii, innominati, tribuni ipsius Clodii, et L. Ninnii, quorum consecrationes non valuerunt.

Quod si tum nihil est actum, quid in meis bonis agi potuit? Sin est ratum, cur ille gurges, helluatus tecum simul Reipublicae sanguinem, ad caelum tamen exstruxit villam in Tusculano visceribus aerarii, mihi meas ruinas, quarum ego similem totam Urbem esse passus non sum, adspicere non licuit?

XLVIII. Omitto Gabinium: quid? exemplo tuo bona tua nonne L. Mummius, vir omnium fortissimus, atque optimus, consecravit? Quod si, quia ad te pertinet, ratum esse negas oportere: ea jura constituisti, in praeclaro tribunatu tuo, quibus in te conversis, recusares, alios everteres? Sin ista consecratio legitima est: quid est, quod profanum in tuis bonis esse possit? An consecratio a) nullum habet jus, dedicatio est religiosa 1)? Quid ergo illa tua

1) *An consecratio nullum habet jus, dedicatio est religiosa?* Ad hunc locum disputat Graevius de discrimine inter *consecrationem, et dedicationem.* Quae tota disputatio hanc summam habet, ut *consecrationem locorum, arearum, agrorum* dicat; *dedicationem* autem *templorum, ararum, simulacrorum.* Sic a Clodio dicit *consecratam* esse *aream Ciceronianae domus*, at *simulacrum Libertatis in aream dedicatum.* Tamen in hac ipsa oratione potuerat videre Graevius *consecrare*, *et dedicare*, iisdem in rebus dici nullo discrimine. *In dedicatione*, inquit, *postis tenebatur.* Etiamne cum ara, simulacrum dedicaretur? *Dedicatio*, inquit fiebat Populi jussu. An non et *consecratio*? Infra *cap.* 49. *Video esse legem veterum tribunitiam, quae vetet, injussu Plebis, aedes, terram, aram consecrare.* Graevium decepit locus initio propositus, in quo *consecratio* et *deditatio* distingui videntur. Atqui sensus ejus hic est: An *consecratio?* aedium, bonorum, nullum habet jus, si injussu Populi facta est: *dedicatio* autem, sive consecratio simulacri Libertatis tantam religionem affert, tantaque religione obligat aream? Scilicet Cicero non distinguit consecrationem a dedicatione in genere; sed absurdum esse dicit ejusdem rei, hoc est, consecrationis, sive dedicationis, diversam vim statui pro diversis objectis; cum in hac caeremonia, non res in qua adhibeatur, sed ipsa consecrandi dedicandique caeremonia, et sanctitas spectetur. *Ernesius.*

ANALYSIS.

a) *An consecratio*) *Propositionis* approbatio, et ostenditur *Paritas*, quod utraque certis caeremoniis, et sollemnibus verbis fiat.

tum obtestatio tibicinis? quid foculus? quid preces? quid prisca verba voluerunt? Ementiri, fallere, abuti Deorum immortalium numine ad hominum timorem voluisti? Nam si est illud ratum: mitto Gabinium: tua domus certe, et quicquid habes aliud est Cereri consecratum. Sin ille tibi ludus fuit, quid te impurius, qui religiones omnes pollueris, aut ementiendo, aut stuprando?

Jam fateor, inquit, in Gabinio me nefarium fuisse. Quippe vides, poenam illam a te in alium institutam, in te ipsum esse conversam. Sed homo omnium scelerum, flagitiorumque documentum, quod in Gabinio fateris, cujus impudicitiam pueritiae, libidines adolescentiae, dedecus, et egestatem reliquae vitae, latrocinium consulatus vidimus: cui ne ista quidem ipsa calamitas injuria potuit accidere: id in me infirmas 1)? et gravius esse dicis, quod uno adolescente, quam quod concione tota teste, fecisti? Dedicatio a) magnam, inquit, habet religionem.

XLIX. Nonne vobis Numa Pompilius videtur loqui? Discite orationem, Pontifices, et vos, Flamines, etiam tu, Rex 2), disce a gentili tuo: quamquam ille gentem istam reliquit: sed tamen disce ab homine religionibus dedito, justo, tum omnium religionum perito. Quid? in dedicatione nonne et quis dicit, et quid, et quomodo, quaeritur? An tu haec ita confundis, et perturbas, ut, quicumque velit, quod

1) *Id in me infirmas)* Non idem ais de mearum aedium consecratione. *Manutius.*

2) *Rex)* L. Claudius, Rex sacrorum. *Ferratius.*

ANALYSIS.

a) *Dedicatio)* Per Clodii reprehensionem transit ad aliud argumentum sumptum ex lege Papiria, quo praecipus adducti Pontifices domum Ciceroni adjudicarunt, ut patet ex Ep. 2. lib. 4. ad Att.

„ **Lex Papiria vetat quicquam consecrari injussu Populi;**
„ **Sed tu injussu Populi mea bona consecrasti;**
„ **Ergo ea consecratio nulla est.**

velit, quomodo velit, possit dedicare? Quis eras tu, qui dedicabas? quo jure? qua lege? quo exemplo? qua potestate? ubi te isti rei Populus Romanus praefecerat? Video enim a) esse legem veterum tribunitiam, quae vetet, injussu Plebis aedes, terram, aram consecrare. Neque tum hoc ille Q. Papirius, qui hanc legem rogavit, sensit neque suspicatus est, fore periculum, ne domicilia, aut possessiones indemnatorum civium consecrarentur. Neque enim id fieri fas erat, neque quisquam fecerat, neque erat caussa, cur prohibendo non tam deterrere videretur, quam admonere.

Sed quia consecrabantur aedes, non privatorum domicilia, sed quae sacrae nominantur: consecrabantur agri, non ita ut nostra praedia, si quis vellet, sed ut Imperator agros de hostibus captos consecraret: statuebantur arae, quae religionem afferrent, ipso si loco 1) essent consecratae, haec, nisi Plebs jussisset, fieri vetuit. Quae si tu b) interpretaris de nostris aedibus atque agris scripta esse non repugno. Sed quaero quae lex lata sit, ut tu aedes meas consecrares: ubi tibi haec potestas data sit

1) *Si loco)* Hoc est, Statuebantur arae, quae religiosum reddebant id, ubi erant constitutae, si loco, hoc est suo, seu commodo loco, jure, et legitime essent consecratae. Hanc enim vim *loco consecrare* habet Terent Adelph 11, 2. *Pecuniam loco negligere maximum interdum est lucrum* Cicero pro Milone: *Quem jure, quem tempore, quem impune non est ausus; hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere.* Graevius.

ANALYSIS.

a) *Video enim) Propositio*, quam urget allata vera ipsius legis interpretatione.

b) *Quae si tu) Assumptio*, cur autem Clodius hic dicitur consecrasse bona Ciceronis injussu Plebis, cum supra fateatur, se tulisse, ut sibi liceret consecrare? Forte generaliter tulerat, ut sibi de bonis Ciceronis, quippe exulis, statuere liceret, de ipsa consecratione, et simulacri dedicatione nihil tulerat.

quo jure feceris. Neque ego nunc de religione, sed de bonis omnium nostrum, nec de pontificio sed de jure publico disputo.

L. Lex Papiria vetat, aedes injussu Plebis consecrari. Sit sane hoc de nostris aedibus, ac non de publicis templis. Unum ostende verbum consecrationis in ipsa tua lege: si illa lex est, ac non vox sceleris et crudelitatis tuae. Quod si a) tibi tum in illo Reipublicae naufragio omnia in mentem venire potuissent, aut si tuus scriptor in illo incendio Civitatis non syngraphas 1) cum Byzantiis exulibus, et cum legatis Regiis faceret, sed vacuo, animo tibi ista non scita, sed portenta conscriberet: esses omnia, si minus re, at verbis legitimis consequutus. Sed uno tempore cautiones fiebant pecuniarum: foedera feriebantur provinciarum 2), regum appellationes venales erant, servorum omnium vicatim celebrabatur tota urbe descriptio; inimici in gratiam reconciliabantur: imperia adscribebantur novae juventuti 3): Q. Sejo venenum misero parabatur: de Cn. Pompejo, propugnatore, et custode imperii in-

1) *Syngraphas)* Quanta nimirum pecunia, et restituendi essent Byzantini exules, et alia quam plurima peragenda. *Ferrat.*

2) *Foedera feriebantur Provinciarum*) Sic omnes editi, quos inspexi. Sed quid sit, *foedera Provinciarum ferire*, non ego intelligo. Parva distinctione laborat hic locus, qui levissima transpositione virgulae post *foedera* restituetur sanitati: sic enim scripsit Cicero, *foedera feriebantur, Provinciarum, Regum appellationes venales erant.* Pretio feriebat cum exteris Populis foedera de societate: Provincias addicebat Romanis Magistratibus, qui maximam offerebant ei pecuniam, aut partibus ejus se addictissimos fore promittebant: Regum quoque nomen, et insigna conferebat iis, qui ejus gratiam sibi argento conciliarant. *Graev.*

3) *Imperia adscribebantur novae juventuti*) Est locus contaminatus, qui sine libri melioris ope non poterit purgari. *Graev.*

ANALYSIS.

a) *Quod si*) Caussam affert, cur hoc, et alia multa per inadvertentiam omiserint Publius, et Sex. Clodius legum illerum scriptor.

terficiendo consilia inibantur; Senatus ne quid esset, ut lugerent boni semper, ut capta Respublica consulum proditione, vi tribunitia teneretur: haec cum tot, tantaque agerentur non mirum est, praesertim in furore animi, et caecitate, multa illum et te fefellisse. At videte a), quanta vis sit hujus Papiriae legis in re tali; non qualem tu affers, sceleris plenam, et furoris. Q. Marcius, Censor, signum Concordiae fecerat, idque in publico collocarat. Hoc signum C. Cassius Censor cum in curiam transtulisset, collegium vestrum consuluit, num quid esse caussae videretur, quin id signum, curiamque Concordiae dedicaret.

LI. Quaeso, Pontifices, et hominem cum homine, et tempus cum tempore, et rem cum re comparate. Ille erat summa modestia, et gravitate Censor: hic Tribunus Plebis, scelere, et audacia singulari. Tempus illud erat tranquillum, et in libertate Populi, et gubernatione positum Senatus: tuum porro tempus, libertate Populi Romani oppressa, Senatus auctoritate deleta. Res illa plena justitiae, dignitatis. Censor enim; penes quem majores nostri id quod tu sustulisti 1) judicium Senatus de dignitate esse voluerunt,

1) *Tu sustulisti)* Censores in recitando Senatu, praeteritis indignis, eum cuique locum dabant, quem cujusque dignitas postularet. Hoc etiam Clodius lata lege sustulerat. *Ferrat.*

ANALYSIS.

a) *At videte)* Hanc eamdem rationem, quae lege Papiria nititur, *ab Exemplis dissimilibus* confirmat, quorum primum tale est:

„ Cassius Censor collegium Pontificum consuluit de Si-
„ gno, Curiaque Concordiae dedicanda:
„ Sed omnino huic dissimilis tua erat dedicatio:
„ Ergo eo magis reprehendendus, quod collegium Pon-
„ tificum non consuluisti.

Assumptionem amplificat *ab Adiunctis* per *Comparationem Dissimilium.*

Concordiae signum volebat in curia, curiamque ei Deae dedicare. Praeclara voluntas, atque omni laude digna. Praescribere enim se arbitrabatur, ut, sine studiis dissensionis, sententiae dicerentur, si sedem ipsam, ac templum publici consilii, religione Concordiae devinxisset. Tu cum ferro, cum metu, cum edictis, cum privilegiis, cum praesentibus copiis perditorum, absentis 1) exercitus terrore, et minis, Consulum societate, et nefario foedere, servitute oppressam Civitatem teneres: Libertatis signum posuisti magis ad ludibrium impudentiae, quam ad simulationem religionis. Ille in curia, quae poterat, sine cujusquam incommodo, dedicabat: tu in civis optime de Republica meriti cruore, ac pene ossibus, simulacrum non libertatis publicae, sed licentiae, collocasti. Atque ille tamen ad collegium retulit: tu ad quem retulisti?

Si quid a) deliberares; si quid tibi aut piandum, aut instituendum fuisset religione domestica, tamen instituto ceterorum vetere, ad Pontificem detulisses. Novum delubrum cum in Urbis clarissimo loco, nefando quodam, atque inaudito instituto, inchoares: referendum ad Sacerdotes publicos non putasti? At, si b) collegium Pontificum adhibendum non videbatur: nemone horum tibi idoneus visus est, qui aetate, honore, auctoritate antecellunt, ut cum eo dedi-

1) *Absentis)* C. Caesaris.

ANALYSIS.

a) *Si quid)* Idem urget hac altera *Comparatione minorum*:

,, Si quid tibi agendum fuisset religione domestica, debueras Pontifices consulere;

,, Ergo multo magis, cum novum delubrum inchoares:

b) *At, si)* Amplificatio *a Caussis*, cur non praestantem auctoritate Pontificem adhibuerit, quod nimirum nefaria haec esset dedicatio, et *Prosopopoeja* illustratus, deinde probat L. Pinarium coactum affuisse, et nihil rite fecisse, quippe imperitum, et memorem beneficii collati tum in Remp., tum in Murenam.

cationem communicares? quorum quidem tu non contempsisti, sed pertimuisti dignitatem.

LII. An tu auderes quaerere ex P. Servilio, aut ex M. Lucullo; quorum ego consilio, atque auctoritate Rempublicam Consul ex vestris manibus, ac faucibus eripui; quibusnam verbis, aut quo ritu, primum hoc dico, civis domum consecrares, deinde civis ejus, cui princeps Senatus, cui etiam Ordines omnes, deinde Italia tota, post cunctae gentes, testimonium hujus Urbis, atque imperii conservati dedissent? Quid diceres o nefanda, et perniciosa labes Civitatis? Ades, ades, Luculle, Servili, dum dedico domum Ciceronis, ut mihi praeeatis, postemque teneatis. Es tu quidem cum audacia, tum impudentia singulari, sed tibi tamen oculi, vultus, verba cecidissent, cum te viri, qui sua dignitate personam Populi Romani, atque auctoritatem imperii sustinerent, verbis gravissimis perterruissent: neque sibi fas esse dixissent, furori interesse tuo, atque in patriae parricidio et scelere.

Quae cum videres, tum te ad tuum affinem non delectum a te, sed relictum a ceteris contulisti. Quem ego tamen credo, si est ortus ab illis, quos memoriae proditum est ab ipso Hercule 1), perfuncto jam laboribus, sacra didicisse, in viri, fortis aerumnis non ita crudelem fuisse, in viri, et jam spirantis caput bustum 2) suis manibus imponere: qui aut nihil dixit, aut, si fecit, omnino poenam hanc maternae temeritatis tulit, ut mutam in delicto personam, nomenque praeberet aut, si dixit aliquid, verbis haesitantibus, postemque tremebunda manu tetigit. Certe nihil rite, nihil caste, nihil more, institutoque perfecit. Viderat ille Murenam, vitricum suum, Con-

1) *Ab ipso Hercule)* Pinarii, et Potitii sacra quaedam ab Hercule didicerant. Livius lib. I.

2) *Bustum)* Signum de busto meretricis ablatum. *Manutius.*

sulem designatum, ad me Consulem cum Allobrogibus communis exitii judicia afferre: audierat ex illo, se a me bis salutem accepisse, separatim 1) semel, iterum cum universis.

Quare quis est, qui existimare possit, huic novo Pontifici, primam hanc post sacerdotium initum religionem instituenti, vocemque mittenti, non, et linguam obmutuisse, et manum obtorpuisse: et mentem debilitatam metu concidisse: praesertim cum ex collegio tanto, non Regem, non flaminem, non Pontificem videret: fierique particeps alieni sceleris invitus cogeretur, et gravissimas poenas affinitatis impurissimae sustineret.

LIII. Sed, ut a) revertar ad jus publicum dedicandi, quod ipsi Pontifices semper non solum ad suas caeremonias, sed etiam ad Populi jussa accommodaverunt: habetis in commentariis vestris, C. Cassium Censorem de signo Concordiae dedicando ad Pontificum collegium retulisse, eique M. Aemilium, Pontificem Maximum, pro collegio respondisse, nisi eum Populus Romanus nominatim praefecisset, atque ejus jussu faceret: non videri ea recte posse dedicari. Quid, cum Licinia virgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio praedita, T. Flaminino, Q. Metello Consulibus, aram, et aediculam, et pulvinar sub saxo sacro 2) dedicasset, non eam rem ex auctoritate Senatus ad hoc collegium Sextus Ju-

1) *Separatim)* Cum de ambitu, Cicerone defendente, est absolutus. *Idem.*

2) *Sub saxo sacro)* Vide Guther. Jur. Pont. III. 5.

ANALYSIS.

a) *Sed, ut)* Prosequitur idem exemplum de C. Cassio, atque ita concludit, allato etiam altero exemplo Liciniae Vestalis:

„ Pontifices et voluerunt Cassium rogare Populum de
„ signo Concordiae dedicando, et quod injussu Plebis
„ dedicaverat Licinia, non esse Sacrum dixerunt:
„ Sed meam quoque domum injussu Plebis Clodius de-
„ dicavit:
„ Ergo nulla ea dedicatio judicanda est.

lius Praetor retulit? cum P. Scaevola, Pontifex Maximus, pro collegio respondit, quod in loco publico Licinia, Caji filia, injussu Populi dedicasset, sacrum non videri. Quam quidem rem quanta severitate, quantaque diligentia Senatus sustulerit, ex ipso Senatusconsulto facile cognoscetis. Recita. SENATUSCONSULTUM.

Videtisne, Praetori urbano negotium datum, ut curaret, ne id sacrum esset? et ut, si quae essent incisae, aut inscriptae literae, tollerentur? O tempora, o mores! Tum Censorem, hominem sanctissimum, simulacrum Concordiae dedicare Pontifices in templo inaugurato prohibuerunt: post autem Senatus in loco augusto consecratam eam aram, tollendam ex auctoritate Pontificum censuit, neque ullum est passus ex ea dedicatione literarum exstare monumentum. Tu, procella patriae, turbo ac tempestas pacis, atque otii, quod in naufragio Reipublicae tenebris offusis, demerso Populo Romano, everso, atque ejecto Senatu, dirueris, aedificaris, religione omni violata, Reipublicae tamen nomine contaminaris: in civis hujusce aedibus, et in Urbe, quam suis laboribus, ac periculis conservasset, monumentum deletae Reipublicae collocaris ad Equitum notam 1), ad dolorem bonorum omnium, sublatoque Q. Catuli nomine incideris 2): id sperasti Rempublicam diutius, quam, quoad mecum simul exspulsa careret his moenibus, esse laturam? At, si a), Pontifices, neque is, cui li-

1) *Ad equitum notam)* Aut locus mendo non caret, Aut inscriptio monumenti aliquid habebat, quod Equites Romanos tangere. *Ferratius.*

2) *Incideris)* Quid incidit? Credo *tuum* exscidisse, et sic olim fuisse: *sublatoque Q. Catuli nomine tuum incideris.* Quod, et Manutio in mentem venisse video. *Graev.*

ANALYSIS.

a) *At, si)* Disputationem concludit argumento *a Comparatione majorum*:

„Si Clodius adhibuisset Pontificem constantem, et „peritum, Dedicatio tamen illa non valeret:
„Sed Pontificem adhibuit imperitum, et adolescentem.
„Ergo multo minus valere debet.

cuit, neque id, quod fas fuit, dedicavit: qui me attinet jam illud tertium, quod proposueram, docere, non his institutis, ac verbis, quibus caeremoniae postulant, dedicasse.

LIV. Dixi a principio, nihil me de scientia vestra, nihil de sacris, nihil de abscondito jure Pontificum, dicturum. Quae sunt adhuc a me de jure dedicandi disputata, non sunt quaesita ex occulto aliquo genere literarum, sed sumpta de medio, ex rebus palam per magistratus actis, ad collegiumque delatis, ex Senatusconsulto, ex lege. Illa interiora, jam vestra sunt, quid dici, quid praecipere, quid tangi, quid teneri jus fuerit. Quae si omnia a) ex Coruncanii scientia, qua peritissimus pontifex fuisse dicitur, acta esse constarent: aut si M. Horatius ille Pulvillus, qui, cum ejus dedicationem multi, propter invidiam, fictis religionibus impedirent, restitit, et constantissima mente Capitolium dedicavit, hujusmodi alicui dedicationi praefuisset; tamen in scelere religio non valeret: ne dum b) valeat id, quod imperitus adolescens, novus sacerdos, sororis precibus, matris minis adductus, ignarus, invitus, sine collegis, sine libris, sine auctore, sine fictore 1), furtim, mente ac

1) *Fictore*) Fictores quid fuerint, Isidorus exsplicat: *Fictor a componendo, et fingendo, velut qui capillos mulierum linit, et pertractat, ungit, et nitidat.* Tales autem ministros habuisse paganos, ex Artemidoro II, 34. docet Lipsius II. Elect. cap. 18, cui haec debes. Sed Gutherius de vetere Jure Pontificio II, 14. putat fictores dici, qui in sacris simulata pro veris offerunt, videlicet pro animalibus, quae difficile inveniantur, de pane, vel cera facta, et pro veris accepta. Sic dixisse Poetam sacrorum peritissimum IV. Æneid. *laetices simulatos fontis Averni*. Hanc simulationem ait tenuioris fortunae hominibus concessam fuisse. Illos enim, cum nullum animal sacrificare possent, taurum e farina finxisse ut Sui-

ANALYSIS.

a) *Quae si omnia) Propositio.*
b) *Ne dum) Assumptio.*

lingua titubante fecisse dicatur: praesertim cum iste impurus atque impius hostis omnium religionum, qui contra fas inter viros saepe mulier, et inter mulieres vir fuisset, ageret illam rem ita raptim, et turbulente, ut neque mens, neque vox, neque lingua consisteret.

LV. Delatum tum est ad vos, Pontifices, et post omnium sermone celebratum, quemadmodum iste praeposteris verbis, ominibus obscoenis, identidem se ipse revocando, dubitans, timens, haesitans, omnia aliter ac vos in monumentis habetis et pronuntiarit, et fecerit. Quod quidem minime mirum est, in tanto scelere, tantaque dementia, ne audaciae quidem locum ad timorem comprimendum fuisse. Etenim, si nemo umquam praedo tam barbarus, atque immanis fuit, qui cum fana spoliasset, deinde aram aliquam in litore deserto, somniis stimulatus, aut religione aliqua, consecraret, non horreret animo, cum divinum numen scelere violatum placare precibus cogeretur: qua tandem istum perturbatione mentis, omnium templorum, atque tectorum, totiusque Urbis praedonem fuisse censetis, cum pro detestatione tot scelerum unam aram nefarie consecraret?

Non potuit ullo modo (quamquam et insolentia dominatus extulerat animos, et erat incredibili armatus audacia) non in agendo ruere; ac saepe peccare, praesertim a) illo Pontifice, et magistro, qui

das, prodiderit in Βοῦς ἕβδομος Et taurum. verbenasque in Commentario sacrorum significasse ficta farinacea, ut videre licet apud Festum in *Taurus* a quo fictores Pontificum dictos, qui de pane, vel cera simulatas hostias fecerint. Equidem *fictores* dicti sunt *a fingendis libis*, teste Varrone, lib. VI. de L. L. quae *libandi caussa fiebant*. *Graev.*

ANALYSIS.

a) *Praesertim*) *Propositio*, quae ex parte rei dedicatae satis multis rationibus supra confirmata est, hic approbatur ex parte Clodii dedicantis; *ab Adjunctis*, quod territus conscientia tantorum scelerum, raptim, turbulente, et imperite rem egerit, et verba in dedicando protulerit.

cogeretur docere, antequam ipse didicisset. Magna vis est cum in Deorum immortalium numine, tum vero in ipsa Republica. Dii immortales suorum templorum custodem, ac praesidem sceleratissime pulsum cum viderent, ex suis templis in ejus aedes immigrare nolebant. Itaque istius vecordissimi mentem cura, metuque terrebant. Res vero publica quamquam erat exterminata mecum, tamen observabatur ante oculos exstinctoris sui, et ab istius inflammato, atque ignito furore jam tum me, seque repetebat. Quare quid est mirum, si iste metu, si furore instinctus, scelere praeceps, neque institutas caeremonias persequi neque verbum ullum solemne potuit effari.

PERORATIO.

LVI. Quae cum ita a) sint, Pontifices revocare jam animos vestros ab hac subtili nostra disputatione ad universam Rempublicam, quam antea cum viris fortibus multis, in hac vero caussa solis vestris cervicibus sustinetis. Vobis universi Senatus perpetua auctoritas, cui vosmetipsi praestantissimi semper in mea caussa praefuistis; vobis Italiae magnificentissimus ille motus, municipiorumque concursus; vobis campus, Centuriarumque una vox omnium, quarum vos principes, atque auctores fuistis; vobis omnes societates, omnes Ordines, omnes, qui aut re, aut spe denique sunt boni, omne vobis erga meam dignita-

ANALYSIS.

a) *Quae cum ita)* 1. Pontifices precatur, ut sibi domum restituant, cui Patriam faventibus omnibus restituerant. 2. per *Apostrophen* ad Jovem, et reliquos Deos profitetur, se dignum esse, cui pro servata Rep. sua bona omnia restituantur: 3. negat sibi carum fore in Patriam reditum, nisi et suas aedes recuperet.

tem studium, et judicium non modo commissum, rerum etiam commendatum esse arbitratur 1).

Denique ipsi Dii immortales, qui hanc Urbem, atque hoc imperium tuentur, ut esset omnibus gentibus, posteritatique perspicuum, divino me numine esse Reipublicae redditum, idcirco mihi videntur fructum ipsum reditus, et gratulationis meae ad suorum Sacerdotum potestatem, judiciumque revocasse. Hic est enim reditus, Pontifices, haec restitutio, in domo, in sedibus, in aris, in focis, in Diis penatibus recuperandis. Quorum si iste suis sceleratissimis manibus tecta, sedesque convellit: ducibusque Consulibus, tamquam Urbe capta, hanc unam domum, quasi acerrimi propugnatoris, sibi delendam putavit: tamen illi Dii penates, ac familiares mei, per vos in meam domum mecum erunt restituti.

LVII. Quodcirca te, Capitoline, quem propter beneficia Populus Romanus Optimum, propter vim, Maximum nominavit, teque, Juno regina, et te, custos Urbis, Minerva, quae semper adjutrix consiliorum meorum, testis laborum exstitisti, precor, ac quaeso: vosque, qui maxime me repetistis, atque revocastis, quorum de sedibus haec mihi proposita est contentio, patrii penates, familiaresque, qui huic Urbi, et Reipublicae praesidetis, vos obtestor, quorum ego a templis, ac delubris pestiferam illam, et nefariam flammam depuli: teque, Vesta mater, cujus castissimas Sacerdotes ab hominum amentia, furore, et scelere defendi, cujusque ignem illum sempiternum non sum passus aut sanguine civium restingui, aut cum totius Urbis incendio commisceri: ut, si in illo pene fato Reipublicae objeci meum caput pro vestris caeremoniis, atque templis, perditissimorum civium furori, atque ferro: et, si iterum, cum ex mea contentione interitus bonorum omnium quaereretur, vos

1) *Arbitratur*) Tu lege cum Lamb. *arbitrantur*, vel cum aliis, si lubet, *arbitrabuntur*. At vobis male sit, mali Typographi. *Bas.*

sum testatus, vobis me, ac meos commendavi, meque ac meum caput ea conditione devovi, ut si, et eo ipso tempore, et ante, et in consulatu meo, commodis meis omnibus, emolumentis, praemiis praetermissis, cura, cogitatione, vigiliis omnibus, nihil, nisi de salute meorum civium laborassem; tum mihi Republica aliquando restituta liceret frui: sin autem mea consilia patriae non profuissent; ut perpetuum dolorem, avulsus a meis, sustinerem: hanc ego devotionem capitis mei, cum ero iu sedes meas restitutus, tum denique convictam 1) esse, et commissam putabo. Nam nunc quidem, Pontifices, non solum domo, de qua cognoscitis, sed tota Urbe careo, in quam videor esse restitutus. Urbis enim celeberrimae, et maximae partes adversum illud non monumentum, sed vulnus patriae contuentur. Quem cum mihi conspectum morte magis vitandum, fugiendumque esse videatis, nolite, quaeso, eum, cujus reditu restitutam Rempublicam fore putastis, non solum dignitatis ornamentis, sed etiam Urbis partibus velle esse privatum.

LVIII. Non me bonorum direptio, non tectorum exscisio, non depopulatio praediorum, non praeda Consulum ex meis fortunis crudelissimae capta permovet: caduca semper, et mobilia haec esse duxi: non virtutis, atque ingenii, sed fortunae et temporum munera: quorum ego non tam facultatem umquam et copiam exspetendam putavi, quam et in utendo rationem, et in carendo patientiam. Etenim ad nostrum usum propemodum jam est definita moderatio rei familiaris: liberis autem nostris satis amplum patrimonium paterni nominis, ac nostrae memoriae, relinquemus. Domo per scelus erepta, per latrocinium occupata, per religionis vim sceleratius etiam aedificata, quam eversa, carere sine maxima ignominia Reipublicae, meo dedecore, ac dolore non possum.

1) *Convictam)* Ad exitum perductam: exitu ipso comprobatam. Vide Orat. ad Quir. post red. *Manut.*

Quapropter si Diis immortalibus, Senatus, si Populo Romano, si cunctae Italiae, si Provinciis, si exsteris nationibus, si vobismetipsis, qui in mea salute principem semper locum, auctoritatemque tenuistis, gratum, et jucundum meum reditum intelligitis esse, quaeso, obtestorque vos, Pontifices, ut me, quem auctoritate, studio, sententiis restituistis, nunc, quoniam Senatus ita vult, manibus quoque vestris in sedibus meis collocetis.

PRO T. ANNIO MILONE.

ORATIO

Hanc dixit Cn. Pompejo III. *Consule, a. d.* VI. *Idus April, Quod judicium cum ageretur; exercitum in foro, et omnibus in templis, quae circum forum sunt, collocatum a Cn. Pompejo fuisse, non tantum ex Oratione, et annalibus, sed etiam ex libro apparet, qui Ciceronis nomine inscribitur* De optimo genere Oratorum. Asconius.

ARGUMENTUM.

Annius Milo, et P. Plautius Hypsaeus, et Q. Metellus Scipio Consulatum petierunt, non solum largitione palam profusa, sed etiam factionibus armatorum succincti. Miloni, et Clodio summae erant inimicitiae, quod et Milo Ciceronis erat amicissimus, in reducendoque eo enixe operam Reipublicae dederat, et P. Clodius restituto Ciceroni erat infestissimus, ideoque summe studebat Hypsaeo, et Scipioni contra Milonem. Ac saepe inter se Milo, et Clodius cum suis factionibus Romae depugnaverant: et erat uterque audacia par: sed Milo pro melioribus partibus stabat. Praeterea in eumdem annum Consulatum Milo, Clodius praeturam petebat: quam debilem futuram Consule Milone intelligebat. Deinde cum diu tracta essent comitia consularia perficique ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent et ob id mense Januario nulli dum neque Consules, neque Praetores essent; trahereturque dies eodem quo antea modo, dum Milo quamprimum comitia confici vellet, conficeretque cum bonorum studiis, qui obsistebant Clodio, tum etiam Populi, propter effusas largitiones, impensas quoque ludorum scenicorum, ac gladiatorii muneris maximas, in quas tria patrimonia effudisse eum Cicero significat: competitores vero ejus trahere vellent, ideoque Pompejus gener Scipionis, et T. Manutius Tribunus Plebis referri ad Senatum de patriciis convocandis, qui Interregem proderent, non essent passi, cum Integerrem prodere moris esset; a. d. XIII. Kal. Feb. (acta enim ma-

gis sequenda, et ipsam orationem, quae actis congruit, puto, quam Fenestellam, qui a. d. XIV. Kal. Feb. tradit) Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, et ibi tum Dictator, profectus est ad flaminem prodendum postera die. Occurrit ei circa horam nonam Clodius paullo ultra Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum, in quo Bonae Deae sacellum est. Erat autem alloquutus decuriones Aricinorum. Vehebatur Clodius equo. Servi XXX. fere exspediti, ut illo temporis mos erat iter facientibus, gladiis cincti sequebantur. Erant cum Clodio praeterea tres comites ejus, ex quibus Eques Romanus unus C. Cassinius Schola, duo de Plebe novi homines, P. Pomponius, C. Clodius. Milo rheda vehebatur, cum uxore Fausta filia L. Syllae Dictatoris, et M. Fusio familiari suo. Sequebatur eos magnum servorum agmen: inter quos gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti, Eudamus, et Birria. Hi in ultimo agmine tardius euntes, cum servis P. Clodii rixam commiserunt. Ad quem tumultum cum respexisset Clodius minitabundus, humerum ejus Birria romphaea trajecit. Inde cum orta esset pugna, plures Miloniani accurrerunt. Clodius vulneratus in tabernam proximam Bovillano delatus est. Milo, ut cognovit vulneratum Clodium, cum sibi periculosius illud etiam vivo eo futurum intelligeret, occiso autem magnum solatium esset habiturus, etiam si sebeunda esset poena, exsturbari tabernam jussit. Fit antesignanus servorum ejus M. Fustenus. Atque ita Clodius latens exstractus est, multisque vulneribus confectus. Cadaver ejus in via relictum, quia servi Clodii aut occisi erant, aut graviter saucii latebant. Sex. Tedius Senator, qui forte ex rure in Urbem revertabatur, sustulit, et lectica sua Romam ferri jussit. Ipse rursus eodem, unde venerat, gressum recepit. Perlatum est corpus Clodii ante primam noctis horam: infimaeque Plebis et servorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus positum circumstetit. Augebat autem facti invidiam uxor Clodii Fulvia, quae cum effusa lamentatione vulnera ejus ostendebat. Major postera die, luce prima, multitudo ejusdem generis confluxit, compluresque noti homines elisi sunt, inter quos C. Vibienus Senator. Erat domus Clodii, ante paucos menses empta de M. Scauro, in Palatio. Eodem

Plancus frater L. Planci Oratoris, et Q. Pompejus Rufus Syllae Dictatoris ex filia nepos, Tribuni Plebis accurrerunt: eisque hortantibus vulgus imperitum corpus nudum calceatum, sicut in lecto erat positum, ut vulnera videri possent, in forum detulit, et in Rostris posuit. Ibi pro concione Plancus, et Pompejus, qui competitoribus Milonis studebant, invidiam Miloni fecerunt. Populus, duce Sex. Clodio scriba, corpus P. Clodii in curiam intulit, cremavitque subselliis, et tribunalibus, et mensis, et codicibus librariorum. Quo igne et ipsa quoque curia flagravit, et item Porcia Basilica, quae erat ei juncta, ambusta est. Domum quoque M. Lepidi Interregis, (Is enim magistratus curulis erat creatus) et absentis Milonis, eadem illa Clodiana multitudo oppugnavit. Deinde sagittis repulsa est. Tum fasces ex lecto Libitinae raptos attulit ad domum Scipionis, et Hypsaei, deinde ad hortos Cn. Pompeii, clamitans eum modo Consulem, modo Dictatorem. Incendium curiae majorem aliquanto indignationem Civitatis moverat, quam interfectio Clodii. Itaque Milo, quem opinio fuerat ivisse in voluntarium exilium, invidia adversariorum recreatus, nocte ea redierat Romam, qua incensa erat curia, petebatque nihilo deterius Consulatum, aperte quoque tributim in singulos millia assium dederat. Concionem etiam ei post aliquot dies dedit M. Celius Tribunus Plebis, et Manilius Canianus ejus collega ipsiusque caussam etiam ad Populum probabant. Decebant utrique, Miloni a Clodio factas esse insidias. Fiebant interea alii ex aliis Interreges, qui Comitia Consularia, propter eorum candidatorum tumultus, et easdem manus armatas, habere non poterant: itaque primo factum erat S. C. ut Interrex et Tribuni Plebis, et Cn. Pompejus, qui pro Consule ad Urbem erat, viderent ne quid detrimenti Respublica caperet: delectus autem Pompejus tota Italia haberet. Qui cum summa celeritate praesidium comparasset, postulaverunt apud eum familiam Milonis, item Faustae uxoris ejus, exhibendam duo adolescentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur, qui erant C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii, et ob id illi patrui sui mortem, vel ut auctore fratre, persequebantur. Easdem Faustae, et Milonis familias postulaverunt duo Valerii, Nepos et Leo, et L. Herennius Balbus. P. Clo-

dii quoque familiam, et comitium ejus postulavit eodem tempore Celius: familiam Hypsaei, et Q. Metelli, Manilius Canianus ejus collega. Affuerunt Miloni Q. Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato, Faustus Sylla: Verba pauca Q. Hortensius dixit, quae sunt, liberos esse eos, qui pro servis postularentur: nam post recentem caedem manumiserat eos Milo sub hoc titulo, quod caput suum ulti essent. Haec agebantur mense intercalari: post diem trigesimum fere, quam erat Clodius occisus Q. Metellus Scipio in Senatu * M. Caepionem conquestus est, ac de caede P. Clodii falsum esse dixit, quod Milo sic se defenderet, et Clodium Aricinos Decuriones alloquendi gratia abiisse, profectum cum sex ac xx. servis: Milonem subito post horam quartam, Senatu misso, cum servis amplius ccc. armatis obviam ei contendisse, et supra Bovillas inopinantem in itinere aggressum: ibi P. Clodium tribus vulneribus acceptis, Bovillas perlatum: tabernam, in quam profugerat, exspugnatam a Milone: semianimem Clodium exstractum, in via Appia occisum esse annulumque ejus ei morienti exstractum: deinde Milonem cum sciret in Albano parvulum filium Clodii venisse ad villam, et cum puer ante subtractus esset, de servo Alicore quaestionem ita habuisse, ut eum articulatim consecaret: villicum et duos praeterea servos jugulasse: ex servis Clodii, qui dominum defenderint, undecim esse interfectos: Milonis duos solos saucios factos esse: ob quae Milonem postero die xii. servos, qui ei maxime operam navassent, manumisisse, Populoque tributim singula millia aeris ad defendendos de se rumores dedisse. Milo misisse ad Cn. Pompejum dicebatur, quod Hypsaeo summe studebat, quod fuerat ejus Quaestor, desistere se petitione Consulatus; si ita ei videretur: Pompejum respondisse, nemini se neque petendi, neque desistendi auctorem esse, neque Populi Romani potestatem, aut consilium, aut sententiam interpellaturum. Deinde per C. Lucilium, qui propter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni, egisse

* M. Caepionem) Aut accipe de M. Bruto, qui Caepio cognominatus est, ut epist. ad Att. lib. II., qui Milonem, et ipse scripta oratione defendit: aut lege M. *Ciceronem*. Manut.

quoque dicebatur, ne se de hac re consulendo invidia oneraret. Inter haec cum crebresceret rumor, Cn. Pompejum creari Dictatorem, neque opportune aliter mala Civitatis sedari posse: visum est optimatibus, tutius esse, eum Consulem sine collega creari: et cum tractata ea res esset in Senatu, facto in M. Bibuli sententiam S. C. Pompejus ab Interrege Ser. Sulpicio, v. Kal. Mar. mense intercalario, Consul creatus est, statimque consulatum iniit. Deinde post diem tertium de legibus novis ferendis retulit, duas ex S. C. promulgavit. Alteram de vi, qua nominatim caedem in Appia via factam, et incendium curiae, et domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehendit. Alteram de ambitu: poenam graviorem, et formam judiciorum breviorem. Utraque enim lex prius testes dari per triduum, deinde uno die atque eodem et ab accusatore, et ab reo perorari jubebat, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur. His legibus obsistere M. Celius Tribunus Plebis studiosissimus Milonis conatus est, quod et privilegium diceret in Milonem ferri, et judicia praecipitari: et cum pertinacius legem Celius vituperaret, eo processit irae Pompejus, ut diceret, si coactus esset, armis se Rempublicam defensurum: timebat autem Pompejus Milonem, seu timere se simulabat. Plerumque non domi suae; sed in hortis manebat, idque ipsum in superioribus, circa quos etiam magna manus militum exscubabat: Senatum quoque semel in porticu sua habuerat Pompejus, quod diceret timere se adventum Milonis. Deinde proximo Senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat. Postulaverat, ut femur nudaret: et ille sine mora levaverat. Tum M. Cicero exclamaverat, omnia illi similia crimina esse, quae in Milonem dicerentur alia. Deinde Munatius Plancus Tribunus Plebis produxerat in concionem M. Aemilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi. Is se dicebat, pariterque secum quatuor liberos homines iter facientes supervenisse, cum Clodius occideretur, et, ob id cum proclamassent, abreptos, et perductos in villam Milonis, ibique per duos menses praeclusos fuisse: eaque res, seu vera, seu falsa, magnam invidiam Miloni contraxerat. Iidemque Munatius, et Pompejus Tribuni Plebis in Rostra produ-

xerant triumvirum capitalem, eumque interrogaverant an Galatam Milonis servum caedes facientem deprehendisset. Ille dormientem in taberna pro fugitivo deprehensum, et ad se perductum esse responderat: denuntiaverat tamen triumviro, ne servum remitteret. Sed postera die Celius Tribunus Plebis, et Manilius Canianus collega ejus ereptum e domo triumviri servum Miloni reddiderunt. Etsi nullam de his criminibus mentionem fecit Cicero: tamen, quia ita compereram, putavi, exsponenda. Inter primos, et Q. Pompejus, et C. Sallustius, et T. Munatius Plancus Tribunus Plebis inimicissimas conciones de Milone habebant, invidiosas etiam de Cicerone, qui Milonem tanto studio defenderet. Eratque maxima pars multitudinis infensa non solum Miloni, sed ipsi etiam, propter invisum patrocinium, Ciceroni. Postea Pompejus, et Sallustius in suspicione fuerunt, in gratiam rediisse cum Milone ac Cicerone. Plancus autem infestissime perstitit, atque in Ciceronem quoque multitudinem instigavit: Pompejo autem suspectum faciebat Milonem, ad perniciem ejus comparari vim vociferatus: Pompejusque ob ea saepius querebatur, fieri sibi quoque insidias, ei id palam: ac majore manu se armabat. Dicturum quoque diem Ciceroni Plancus ostendebat: postea Q. Pompejus idem minitatus erat. Tanta tamen constantia, ac fides fuit Ciceronis, ut non Populi a se alienatione, non Cn. Pompeji suspicionibus, non periculi futuri metu, si sibi dies ad Populum diceretur, non armis, quae palam in Milonem sumpta erant, deterreri potuerit a defensione ejus, cum posset omne periculum suum, et offensionem inimica multitudinis declinare, redimere etiam Cn. Pompeji animum, si paullum ex studio defensionis remisisset. Perlata deinde lege Pompeji, in qua id quoque scriptum erat, ut quaesitor suffragio Populi ex iis, qui Consules fuerant, crearetur, statim comitia habuit, creatusque erat L. Domitius Aenobarbus quaesitor. Aliorum quoque judicum, qui de ea re judicarent, Pompejus tales proposuit, ut numquam neque clariores viros, neque sanctiores propositos esse constaret. Post quod statim nova lege Milo postulatus a duobus Appiis Clodiis adolescentibus, iisdem, a quibus antea familia ejus fuerat postulata, itemque de ambitu ab iisdem

Appiis: et praeterea de vi a Q. Petulcio, et L. Cornificio, de sodalitiis a P. Fulvio Nerato: postulatus autem erat et de sodalitiis, et de ambitu ea spe, quod primum judicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebant, nec postea responsurum. Divinatio de ambitu accusatorum facta est, quaesitore A. Torquato: atque ambo quaesitores, Torquatus, et Domitius, pridie Nonas Aprilis reum adesse jusserunt. Quo die Milo ad Domitii tribunal venit, ad Torquati amicos misit. Ibi, postulante pro eo M. Marcello, obtinuit, ne prius caussam de ambitu diceret, quam de vi judicium esset perfectum. Apud Domitium autem quaesitorem major Appius postulavit a Milone servos exhiberi numero IV et L et cum ille negaret, eos, qui nominabuntur, in sua potestate esse, Domitius ex sententia Judicum pronuntiavit, ut ex servorum eorum numero accusatos quot vellet, ederet. Citati deinde testes, secundum legem, quae, ut supra diximus, jubebat, *ut prius, quam caussa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum Judices consignarent, quarta die adesse omnes in diem posterum juberentur, ac coram accusatore, ac reo pilae, in quibus nomina Judicum inscripta essent, aequarentur, dein rursus postera die sortitio Judicum fieret unius et* LXXX*; qui numerus cum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent: tum ad dicendum accusator duas horas; reus tres haberet, reusque eodem die illo judicaretur: prius autem quam sententiae ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus rejiceret, ita ut numerus judicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta et unus.* Primo die datus erat in Milonem testis Cassinius Schola, qui se cum P. Clodio fuisse, cum is occisus est, dixit; atrocitatemque rei factae, quam maxime potuit, auxit. Quem cum interrogare M. Marcellus caepisset, tanto tumultu Clodianae multitudinis circumstantis exterritus est, ut vim ultimam timens in tribunal a Domitio reciperetur. Quam ob caussam M. Marcellus, et ipse Milo a Domitio praesidium imploraverunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompejus ad aerarium, perturbatusque erat eodem illo clamore: itaque Domitio promisit se postero die cum praesidio descensurum, idque fecit: quare territi Clodiani, silentio verba testium per biduum audiri passi sunt. Interrogaverunt

eos M. Cicero, M. Marcellus, et Milo ipse. Multi ex iis, qui Bovillis habitabant, testimonium dixerunt de iis, quae ibi facta erant, cauponem occisum, tabernam exspugnatam, corpus Clodii in publicum exstractum esse. Virgines quoque Vestales dixerunt mulierem ignotam venisse ad se, quae Milonis mandato votum solveret, quod Clodius occisus esset. Ultimae testimonium dixerunt Sempronia Tuditani filia, socrus P. Clodii, et uxor Fulvia, et fletu suo magnopere eos, qui adstabant, commoverunt. Dimisso circa horam decimam judicio, T. Munatius pro concione Populum adhortatus est, ut postero die frequens adesset, et elabi Milone non pateretur, judiciumque, et dolorem suum ostenderet. Euntibus ad tabellam ferendam postero die Judicibus, qui fuit judicii primus a. d. III. Idus Aprilis, clausae fuerunt tota urbe tabernae: praesidia in foro, et circa omnes fori aditus Pompejus disposuit: ipse pro aerario, ut pridie, consedit, septus delecta manu militum. Sortitio deinde Judicum, ut primo die facta est. Post, tantum silentium toto foro fuit, quantum esse in aliquo foro posset. Tum intra horam secundam accusatores caeperunt dicere, Appius major, et M. Antonius, et P. Valerius Nepos. Usi sunt ex lege horis duabus. Respondit his unus M. Cicero. Et cum quibusdam placuisset, ita defendi crimen, interfici Clodium pro Republica fuisse, quam formam M. Brutus sequutus est in ea oratione, quam pro Milone composuit, et edidit, quamvis non egisset; Ciceroni id non placuit, quod non qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus posset. Itaque, cum insidias Milonem Clodio fecisse posuissent accusatores, quia falsum id erat, (nam forte illa rixa commissa fuerat) Cicero apprehendit, et contra Clodium Miloni fecisse insidias disputavit: eoque tota oratio ejus spectavit: sed ita constitit, ut diximus, neutris consilio pugnatum esse eo die, verum forte occurrisse: ex ea rixa servorum ad eam caedem perventum. Notum tamen erat, utrumque mortem alteri saepe minatum esse: et sicut suspectum Milonem major, quam Clodii, familia faciebat, ita exspeditior, et paratior ad pugnam Clodianorum, quam Milonis fuerat. Cicero cum inciperet dicere, exsceptus est acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem circum-

stantium militum potuerunt: itaque non ea, qua solitus erat, constantia dixit. Manet autem illa quoque exscepta ejus oratio. Scripsit vero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut jure prima haberi possit. *Idem.*

ORATIONIS SYNOPSIS.

Haec Oratio est in genere *Judiciali*, intuleritne Milo vim Clodio, an illatam a Clodio repulerit. Quinque sunt partes, *Exordium, Confutatio, Narratio, Contentio, et Peroratio.*

In *Exordio* 1. exscusat suum timorem *a Caussis*, a nova judicii forma; *Etsi vereor*; timorem a Judicibus avertit, *Quae opposita Miloni*; 3. movet *misericordia*, et *attentionem* parat: *Nam, si umquam.* 4. Caussae fundamentum proponit; *Quamquam in hac.*

In *Confutatione* tres quaestiones pertractat; 1. posse aliquando hominem occidi probat *ab Exemplis*: *Negant intueri lucem*; maxime insidiatorem, idque confirmat *exemplo* et *auctoritate* naturae, et legis, *Atqui si tempus est ullum.*

2. Ostendit *a Repugnantibus*, non condemnasse Senatum factum Milonis, quod semper probaverat: *Illam vero Senatus*, et *ab Adjunctis* non fuisse a Senatu novam quaestionem constitutam: *Hanc vero quaestionem.*

3. Neque a Pompejo fuisse condemnatum Milonem, nova lege lata: *At enim*; neque ab eo in judicibus legendis omissos fuisse amicos Ciceronis: *Neque vero, quod nonnulli.*

Narratio sequitur, et ut fuerit occisus Clodius exponit: *P. Clodius cum statuisset. Contentionis* duae sunt partes; in quarum prima, praemissa constitutione Caussae: *Si id jure non posset;* probat Clodium insidiatum fuisse Miloni.

1. *A caussa finali*; tum utilitatis; *Quonam igitur pacto*; tum odii: *At valuit hodium.*

2. *Ab Adjunctis* personae, quae omnia fecit per vim: *Reliquum est, ut*; cum Milo nihil per vim fecerit. *Quid simile Milonis?*

3. Quia Clodius jam denuntiaverat mortem Miloni: *Sed quid ego.*

4. Ab aliis *Adjunctis*, quod Clodius Miloni poterat parare insidias, non Milo Clodio: *Quemadmodum igitur*, quorum omnium subdit *Epilogum*: *Video adhuc*.

5. *Ab Adjunctis* ipsius facti, et pugnae: *Videamus nunc id*; et *a Caussis* conglobatis tacitae *Prolepsi* occurrit: *Cur igitur victus est?*

Deinde duo diluit objecta; primum de servis manumissis, *a Caussis*: *Cur igitur eos*; alterum de quaestionibus *ab Adjunctis* per *Comparationem* minorum: *Sed quaestiones*.

Postremo Milonem defendit ab illius post factum constantia: *Quod si nondum*: et a ceteris in eum congestis criminibus, quae falsa fuerunt: *Quid quae postea*; purgat autem suspiciones Pompeji: *Cum tamen si metuitur*.

1. Altera *Contentionis* pars est extra caussam; potuisse jure occidi Clodium, hominem sceleratum, summorum virorum exemplo. *Nec vero me Judices*.

2. Cum omnes laudent Milonem non confitentem se id fecisse Reipublicae caussa, multo magis laudaturos, si confiteretur: *quamobrem si cruentum*.

3. Cum omnes Clodium oderint, amplissimam ex ea confessione Miloni gloriam consequuturam: *Non timeo, Judices*.

4. *Ab Adjunctis* loci probat ab ipsis Diis sumptum esse supplicium de Clodio: *Sed hujus beneficii*; sequitur *Epilogus* hujusce partis: *Dura mihi*.

In *Peroratione* movet *misericordiam ab Adjunctis*, constantiae: *Nolite si in nostro*; meritorum: *O frustra, inquit*; sapientiae: *Addit haec*; Oratoris: *Haec ego tecum Milo*; fortitudinis: *Sit hic ea mente*.

Tandem omnia haec simul complectitur: *O me miserum!*

EXORDIUM.

I. Etsi vereor a), Judices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem, timere; minimeque deceat, cum T. Annius Milo ipse magis de Reipublicae salute, quam de sua, perturbetur, me ad ejus caussam parem animi magnitudinem afferre non posse; tamen haec novi judicii nova forma 1) terret oculos, qui quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori, et pristinum morem judiciorum requirunt.

1) Novi judicii nova forma) Novum judicium dicebatur, quia erat extraordinarium, cum ordinario in judicio secundum leges, et morem judiciorum Romanorum de hoc crimine esset quaerendum a Praetore, qui quaestionem illo anno de vi sortitus erat. Nam extraordinaria judicia habebantur aut de crimine, de quo nulla lex erat, aut de crimine, quod atrocius existimabatur, quam quod secundum leges puniendum putabant, quale hoc fuit. Ideo Cicero queritur se novo judicio, hoc est extraordinario fuisse perturbatum, et praeterea nova illius forma propter praesidium militare. *Graevius.*

ANALYSIS.

a) *Etsi vereor)* Manifestum omnibus est, quam timuerit Cicero pro Milone dicturus; ne igitur putarent Judices, se quasi Caussae diffidentem timere, huic statim praejudicio tali ratione occurrit *a Caussis:*

Non enim a) corona consessus vester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus. Nam illa praesidia, quae pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata * sunt, non afferunt tamen Oratori aliquid; ut in foro et in judicio, quamquam praesidiis salutaribus, et necessariis septi sumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. Quae si b) opposita Miloni putarem: cederem tempori, Judices, nec inter tantam vim armorum existimarem oratori locum esse. Sed me recreat et reficit Cn. Pompeji sapientissimi et justissimi viri consilium: qui profecto nec justitiae suae putaret esse, quem reum sententiis judicium tradidisset, eumdem telis militum dedere; nec sapientiae, temeritatem concitatae multitudinis auctoritate publica armare.

* Lamb. *sunt, afferunt tamen Oratori horroris aliquid.*

ANALYSIS.

a) *Non enim) Assumptionis* approbatio: non de novo tamen judicio, quod in *Confutatione* pertractat, neque de pristino more judiciorum, ne legislatorem Pompejum offenderet, sed de veteri consuetudine fori: erant enim circa Judices milites, non, ut antea, Cives, iique contra vim Clodianorum comparati a Pompejo.

„ Inusitatam judicii formam non potest Orator non ti-
„ mere; Hoc judicium inusitatum, illius forma inusi-
„ tata est: Ergo non possum non timere:

b) *Quae si)* Deinde timorem a Judicibus avertit pariter *a Caussis.*

Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed praesidium denuntiant: neque solum, ut quieto, sed etiam ut magno animo simus, hortantur: neque auxilium modo defensioni meae, verum etiam silentium pollicentur. Reliqua vero a) multitudo, quae quidem est civium, tota nostra est: neque eorum quisquam, quos undique intuentes ex hoc ipso loco cernitis, unde aliqua pars fori adspici potest, et hujus exitum judicii exspectantes, non cum virtuti Milonis favet, tum de se, de liberis suis, de patria de fortunis hodierno die decertari putat.

II. Unus genus est adversum, infestumque nobis 1), eorum, quos P. Clodii furor rapinis, et incendiis, et omnibus exitiis publicis pavit: qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut vobis voce praeirent, quid judicaretis. Quorum clamor, si quis forte fuerit, admonere vos debetis ut eum civem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamoresque maximos

1) *Unum genus est adversum, infestumque nobis*) Ita ut in expositione argumenti diximus: Munatius Plancus pridie pro concione Populum adhortatus, erat ne pateretur elabi Milonem. *Asçon.*

ANALYSIS.

„In absolvendo Milone ea timere non debetis, quae „favent Miloni?

„Sed et praesidia militum, et reliqua civium multi„tudo Miloni favent.

„Ergo neque milites, neque tanta civium multitudo „vos ab absolvendo Milone deterrere debet.

Quae si) Assumptionis prima pars approbata tum a sua Confidentia, tum a Cn. Pompeji justitia et sapientia.

a) *Reliqua vero*) Altera pars de civibus; exsludit autem Clodianos.

pro vestra salute neglexit. Quamobrem a) adeste animis, Judices, et timorem, si quem habetis, deponite. Nam, si umquam de bonis, et fortibus viris; si umquam de benemeritis civibus potestas vobis judicandi fuit: si denique umquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, ubi sua studia erga fortes, et bonos cives, quae vultu, et verbis saepe significant, re et sententiis declararent: hoc profecto tempore eam potestatem omnes vos habetis, ut statuatis, utrum nos, qui semper vestrae auctoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus: an diu vexati a perditissimis civibus, aliquando per vos, ac vestram fidem, virtutem, sapientiamque recreemur.

Quid enim c) nobis duobus, Judices, laboriosius? quod magis sollicitum, magis exercitum, dici, aut fingi potest, qui spe amplissimorum praemiorum ad Rempublicam adducti, metu crudelissimorum suppliciorum carere non possumus? Equidem ceteras tempestates, et procellas in illis dumtaxat fluctibus concionem semper putavi Miloni esse subeundas, quod semper pro bonis contra improbos senserat: in judicio vero, et in eo consilio, in quo ex cunctis ordinibus amplissimi viri judicarent, numquam existimavi spem ullam esse habituros Milonis inimicos, ad ejus non salutem modo exstinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam.

ANALYSIS.

a) *Quamobrem)* Complexio.

b) *Nam, si umquam* Locus ad conciliandam Attentionem a magnitudine rei, de qua sententiam laturi erant. Arist. l. 3. c. 14 t. 104.

c) *Quid enim)* Misericordiam movet, ex Arist. l. 2. c. 8. t. 89. quod inde malum timendum esset Miloni, unde bonum provenire oportebat.

Quamquam a) in hac caussa, Judices, T. Annii tribunatu, rebusque omnibus pro salute Reipublicae gestis, ad hujus criminis defensionem non abutemur, nisi oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas: nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis multa propter praeclara in Rempublicam merita condonetis: nec postulaturi, ut si mors P. Clodii salus vestra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potius, quam Populi Romani felicitati, assignetis. Sed si illius insidiae clariores hac luce fuerint: tum denique obsecrabo, obtestaborque vos, Judices, si cetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia, telisque, vitam ut impune liceat defendere.

III. Sed, antequam b) ad eam orationem venio, quae est propria nostrae quaestionis, videntur ea esse refutanda, quae et in Senatu saepe ab inimicis, ab improbis saepe jactata sunt, et in concione etiam paullo ante ab accusatoribus: ut * omni terrore sublato, rem plane, quae venit in judicium, videre possitis.

CONFUTATIO

extra caussam.

Negant c) intueri lucem esse fas ei, qui a se ho-

ANALYSIS

a) *Quamquam)* Universalis *Propositio* orationis, qua se *Confidentem* exhibet.

* Vict. Man. Lamb. *omni errore.*

b) *Sed, antequam) Propositio Confutationis* extra caussam, quae statim sequitur.

c) *Negant)* Tribus *Praejudiciis* occurrit, quibus infirmari caussa Milonis videbatur. In primis igitur negabant adversarii, ullam defensionem superesse illi, qui, fateretur, a se hominem occisum esse, sive jure eum sive injuria occidisset: quibus respondet Cicero hoc argumento *a Genere per Comparatione minorum.*

„ Aliquando jure possumus hominem occidere:
„ Sed id maxime licet, cum vis vi repellitur:
„ Ergo non statim condemnandus, qui vim illatam re-
„ pulerit.

Haec autem generalis est quaestio, quae Thesis dicitur: in *Contentione* Hypothesis tractabitur, an potuerit Milo vim inferentem Clodium jure occidere.

minem occisum esse fateatur. In qua a) tandem Urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quae primum judicium de capite vidit M. Horatii, fortissimi viri: qui nondum libera Civitate, tamen Populi Romani Comitiis liberatus est, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur.

An est quisquam, qui hoc ignoret, cum de homine occiso quaeratur, aut negari solere omnino esse factum; aut recte, ac jure factum esse defendi? Nisi vero existimatis, dementem P. Africanum fuisse, qui cum a C. Carbone, Tribuno Plebis, in concione seditiose interrogaretur, quid de Tib. Gracchi morte sentiret, respondit jure caesum videri. Neque enim posset aut Ahala ille Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me Consule, Senatus non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset. Itaque hoc, Judices, non sine caussa etiam fictis fabulis, doctissimi homines memoriae prodiderunt, eum 1), qui patris 2) ulciscendi caussa matrem necavisset, variatis hominum sententiis 3), non solum * divina sed etiam sapientissimae Deae sententia liberatum. Quod si duodecim tabulae nocturnum furem, quoquo modo; diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt; quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet,

1) *Eum)* Orestem. *Manutius*.

2) *Patris)* Agamemnonis, ab uxore Clytemnestra, et ejus adultero Ægistho interfecti. *Idem*.

3) *Variatis hominum sententiis)* Areopagitarum, cum alii factum ejus probarent; alii vituperarent: quod Minerva discrimen sustulit. *Idem*.

* Vict. *humana*.

ANALYSIS.

a) *In qua) Propositio* nititur quinque rationibus. 1. Exemplo M. Horatii, qui Sororem levi de caussa occiderat: 2. consuetudine Judiciorum, cum saepe quaeri soleret, jure ne, an injuria quispiam interfectus esset: 3. multorum exemplis, qui Cives sceleratos occiderant: 4. testimonio veterum, 5. auctoritate XII. Tabularum.

cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus?

IV. At qui a) si tempus est ullum jure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo justum, verum etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur. Pudicitiam b) cum eriperet militi Tribunus Militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus Imperatoris interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille vir summus, scelere solutum, periculo liberavit. Insidiatori vero, et latroni quae potest afferri injusta nex?

Quid comitatus c) nostri, quid gladii volunt? quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est igitur haec d), Judices, non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum,

ANALYSIS.

a) *Atqui) Assumptio* confirmatur tum *ab Exemplo*, tum *ab auctoritate* naturae, et legis.

b) *Pudicitiam)* Exemplum hoc narrat Plut. in Mario, tractatur autem *per Comparationem minorum*: acrius enim repelli debet vis illata vitae, quam pudicitiae.

c) *Quid comitatus)* Idem illustrat *ab Adjunctis* tali ratione:

„ Non liceret comitatus, et gladios habere, nisi lice-
„ ret iis uti contra insidiatores;
„ Sed licet eos habere;
„ Ergo licet iis uti contra insidiatores.

Propositio manifesta est ex eo, quia contra neminem majori jure armis uti possumus, quam contra latrones, et insidiatores.

d) *Est igitur haec)* Ab auctoritate naturae sic arguit:
„ Majorem vim habere debet natura, quam lex;
„ Sed ipsa natura docet, vim vi repellendam esse;
„ Ergo vim vi repellere possemus, etiamsi lex contra-
„ rium praescriberet;
„ Sed lex etiam hoc permittit; Ergo multo magis.

aut inimicorum incidisset: omnis honesta ratio esset exspediendae salutis. Silent enim a) leges inter arma, nec se exspectari jubent, cum ei, qui exspectare velit, ante injusta poena luenda sit, quam justa repetenda.

Etsi b) persapienter, et quodam modo tacite, dat ipsa lex potestatem defendendi, quae non modo 1) hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi caussa vetat: ut, cum caussa, non telum quaereretur; qui sui defendendi caussa telo esset usus, non hominis occidendi caussa habuisse telum judi-

1) *Quae non modo).* Dictio *modo* sententiae nubeculam offundit: Itaque rescribit Guillelmus, *quae non omni modo*. Lambinus eam vocem delet. Et vero abest exemplari Basilicae Coloniensis. Perstat tamen in Palatinis novem, et Gruteriano. *Grut. Non modo est non, modo non*, ut saepe Cicero. Exempla colligit Muretus in Variis, et aliis. Cicero hinc argumentatur, esse caedem quamdam licitam, quia cum telo esse concedat se defendendi caussa, non autem alium insidiis occidendi. *Graevius.* Hic *non modo*, esse *non modo non*, nullus persuadebit mihi. Sane in exemplis quae collegit Muretus, *Var. Lect.* X. 7. post *non modo* sequitur vel *ne quidem*, vel *sed etiam*: quorum neutrum, aut quidpiam simile hic esse potest. Ego totum hunc locum sic opinor posse intelligi. *Dat ipsa lex tacite potestatem occidendi. Non* enim in ea est tantum *modo* caput id quod *hominem occidi vetat, sed* est alterum quoque quod vetat *esse cum telo hominis occidendi caussa*. Cum ergo quaeritur, an quispiam contra legem fecerit, in quaestionem non venit, telumne habuerit, sed qua caussa habuerit. Si hominis occidendi caussa, fecit contra legem. Si telum habuit, si telo hominem occidit, *sui defendendi caussa*, non fecit contra legem: non enim telum habuit *occidendi hominis caussa*, sed *sui defendendi*. Olivetus.

ANALYSIS.

a) *Silent enim) Propositio* (nam *Assumptionem* primo loco eleganter exsponit) eamque probat *a Consequentibus*; quia si metu legum vim inferenti pepercerimus, vita nobis erit amittenda.

b) Etsi*) Subsumptum,* quod sic exsplicatur per interpretationem ipsius legis:

„ Lex, quae caussam notat, non ipsam rem, sublata
„ caussa rem permittit:

„ Sed Lex de Sicariis vetat esse cum telo hominis oc-
„ cidendi caussa:

„ Ergo permittit esse cum telo caussa sui defenden-
„ di, non hominis occidendi.

caretur. Quapropter a) hoc maneat in caussa, Judices. Non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meam, si id memineritis quod oblivisci non potestis, insidiatorem jure interfici posse.

V. Sequitur b) illud, quod a Milonis inimicis saepissime dicitur, caedem, in qua P. Clodius occisus est, Senatum judicasse contra Rempublicam esse factam. Illam vero Senatus non sententiis suis solum, sed etiam studiis comprobavit. Quoties enim est illa caussa a nobis acta in Senatu? quibus assensionibus universi Ordinis? quam nec tacitis, nec occultis? Quando enim frequentissimo Senatu quatuor, ad summum quinque sunt inventi, qui Milonis caussam non probarent? Declarant hujus ambusti Tribuni Plebis illae intermortuae conciones, quotidie meam potentiam invidiose criminabatur 1), cum diceret, Senatum non quod sentiret, sed quod ego vellem, decernere.

1) Declarant hujus ambusti Tribuni Pl. illae intermortuae conciones, quibus quotidie meam potentiam invidiose criminabatur) T. Munatius Plancus. et Q. Pompejus Rufus Tribuni Pl. de quibus in argumento hujus orationis diximus, cum contra Milonem Scipioni, et Hypsaeo studerent, concionati sunt eo ipso tempore, plebemque in Milonem accenderunt, quo, propter Clodii corpus, curia incensa est: nec prius destiterunt, quam flamma ejus incendii fugati sunt e concione. Erant enim tunc Rostra non eo loco, quo nunc sunt, sed ad Comitium, prope juncta Curiae. Ob hoc T. Munatium ambustum Tribunum appellat. Fuit autem paratus ad dicendum. *Ascon.*

ANALYSIS.

a) *Quapropter*) Conclusio hujus primae disputationis.

b) *Sequitur*) Secundum *praejudicium:* a Senatu jam fuisse condemnatum Milonem. Duo enim decreta fecerat, alterum: Videri incendium Curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, et caedem in Appia via factam, esse contra Remp. Alterum, ut extra ordinem quaereretur de caede P. Clodii Cicero respondet primo *a Repugnantibus*:

„Id non potuit Senatus condemnare, quod semper „probavit:

„Sed factum Milonis in occidendo Clodio semper Se„natus probavit:

„Ergo idem Senatus condemnare non potuit.

Assumptionem confirmat ab evidentia ipsius rei, et a confessione Adversariorum, qui Senatum in gratiam Ciceronis favere Miloni quaerebantur.

Quae quidem si potentia est appellanda potius, quam propter magna in Rempublicam merita mediocris in bonis caussis auctoritas, aut propter officiosos labores meos nonnulla apud bonos gratia: appelletur, ita sane dummodo ea nos utamur pro salute bonorum contra amentiam perditorum.

Hanc vero a) quaestionem 1), etsi non est iniqua; numquam tamen Senatus constituendam putavit. Erant enim leges, erant quaestiones, vel de caede vel de vi: nec tantum moerorem, ac luctum Senatui mors P. Clodii afferebat, ut nova quaestio constitueretur. Cujus enim de illo incesto stupro judicium decernendi potestas Senatui esset erepta: de ejus interitu quis potest credere Senatum judicium novum constituendum putasse? Cur igitur b) incendium Curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam, contra Rempublicam Senatus factam esse decrevit 2)? Quia nulla vis umquam est in libera Ci-

1) *Quaestionem)* Novam, de qua Pompejus legem tulerat. *Manut.*

2) Cur igitur incendium curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam, contra Rempubl. Senatus factam esse decrevit? Post biduum medium quam Clodius occisus erat, Interrex primus proditus est M. Æmilius Lepidus. Non fuit autem moris, ab eo qui primus interrex proditus erat, Comitia haberi. Sed Scipionis, et Hypsaei factiones, quia recens invidia Milonis erat,

ANALYSIS.

a) *Hanc vero)* Secundo novam quaestionem de caede Clodii non fuisse constitutam ex auctoritate Senatus, cum essent leges veteres, ostendit *ab Adjunctis*.

„ Non est probabile, in ejus gratiam novam quaestio-
„ nem Senatum constituisse, in quem novum judi-
„ cium constituere non potuit, cum vellet:
„ Sed voluit Senatus novam quaestionem in Clodium
„ constituere accusatum de Sacris Bonae Deae vio-
„ latis, et non potuit per intercessionem Tribuni:
„ Ergo non est probabile, in gratiam Clodii novam a
„ Senatu quaestionem constitutam esse.

b) *Cur igitur)* Tertio primum illud S. C. interpretatur, aitque omnem caedem fieri contra Remp., quod probat exemplis: idem autem censuisse Senatum de caede Clodii, cum tamen non eum fecisse contra Remp. putaret, qui se telo defendisset, sed ipsum Clodium, qui Miloni insidias struxisset.

vitate suscepta inter cives, non contra Rempublicam: non enim est illa defensio contra vim umquam optanda: sed nonnumquam est necessaria. Nisi vero aut ille dies, in quo Tib. Gracchus est caesus, aut ille, quo Cajus, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiam si e Republica, Rempublicam tamen non vulnerarunt.

VI. Itaque ipse ego decrevi, cum caedem in Appia factam esse constaret, non eum, qui se defendisset, contra Rempublicam fecisse: sed, cum inesset in re vis, et insidiae; crimen judicio reservavi, rem notavi. Quod si a) per furiosum illum Tribunum Senatui, quod sentiebat perficere licuisset, novam quaestionem nullam haberemus. Decernebat enim, ut veteribus legibus tantummodo extra ordinem quaereretur. Divisa sententia est, postulante nescio quo. Nihil enim necesse est omnium flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas Senatus empta intercessione sublata est 1).

cum contra jus postularent, ut Interrex ad Comitia Consulum creandorum descenderet; idque ipse non faceret, domum ejus per omnes interregni dies (fuerant autem ex more quinque) obsederunt, deinde, omni vi janua expugnata, et imagines majorum dejecerunt, et lectulum adversum uxoris ejus Corneliae, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt: itemque telas, quae ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt. Postque supervenit Milonis manus, et ipsa postulans Comitia: cujus adventus fuit saluti Lepido: in se enim ipsae conversae sunt factiones inimicae, atque ita oppugnatio domus Interregis omissa est. *Idem.*

1) Quod si per furiosum illum Tribunum Pl. Senatui, quod sentiebat, perficere licuisset; novam quaestionem nunc nullam haberemus. Decernebat enim, ut veteribus legibus tantummodo extra ordinem quaereretur. Divisa sententia est postulante nescio quo. Nihil enim necesse est omnium flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas Senatus, empta intercessione, sublata est. *)* Quid sit *dividere sententiam*, ut enarrandum sit, vestra aetas, filii, facit. Cum aliquis in dicenda sententia duas, pluresve res complectitur: eae si non omnes probantur, postulatur,

ANALYSIS.

a) Quod si) Quarto refert, quo modo alterum S. C. factum fuerit, ex quo apparet consilium Patrum non fuisse constituendae novae quaestionis.

At enim a) Cn. Pompejus 1) rogatione sua, et de re, et de caussa judicavit. Tulit enim de caede, quae in Appia via facta esset: in qua P. Clodius occisus fuit. Quid ergo tulit? nempe ut quaereretur. Quid porro quaerendum est? Factumne sit? at constat. A quo? At patet 2). Vidit, etiam in confessione facti, juris

ut dividat, id est, ut de rebus singulis referatur. (Forsitan nunc hoc quoque velitis scire, quis fuerit, qui postulaverit, quod non feret auditor.) Non est ei, qui hoc postulat, oratione longa utendum, ac ne consurgendum quidem utique est: multi enim sedentes hoc unum verbum pronuntiant, *divide:* quod cum auditum est, liberum ei, qui facit orationem, dividere. Sed ego, ut curiosius aetati vestrae satisfaciam, acta etiam totius illius temporis persequutus sum: in quibus cognovi, pridie Kal. Mart. S. C. esse factum, P. Clodii caedem, et incendium Curiae, et oppugnationem aedium M. Lepidi contra Remp. factam: ultra relatum in acta illo die nihil: postero die, id est Kal. Mart. Munatium in concione exsposuisse Populo, quae pridie acta erant in Senatu: in qua concione haec dixit ad verbum. *Q. Hortensium,* dixisse, *ut extra ordinem quaereretur: apud quaesitorem aestimare futurum, ut, cum pusillum edisset dulcedinis, largiter acerbitatis devorares. Adversus hominem ingeniosum ingenio usi sumus: invenimus Fusium, qui diceret, divideret sententiam. Reliquae parti, ego, et Sallustius intercessimus.* Haec concio, ut puto, exsplicat: et quid Senatus decernere voluerit, et quis divisionem postulaverit, et quis intercesserit, et cur. Illud vos meminisse non dubito, per Q. Fusium illo quoque tempore, quo de incestu P. Clodii actum est, factum, ne a Senatu asperius decerneretur. *Idem.*

1) *At enim Cn. Pompejus)* Adversariorum objectio. Esto: Senatus de re tantummodo judicarit, censueritque Clodii caedem, cujuscumque tandem scelere contigisset, esse contra Rempublicam. At Cn. Pompejus, non solum de re, sed etiam de caussa judicavit. *Abram.*

2) *Patet)* Patet proprium est in hac re verbum, pro liquet, patet. Vide Brissonii formularum lib. V. *Graevius.*

ANALYSIS.

a) *At enim)* Tertium *praejudicium*, quasi Cn. Pompejus ipse Milonem condemnaverit, nova in eum lege lata, in gratiam Clodii: Cicero negat damnatum a Pompejo Milonem, et argumento utitur *a Repugnantibus.*

„Qui in confitentem reum quaestionem constituit, „eum non condemnat, sed judicat posse absolvi: „Pompejus quaestionem constituit in Milonem caedem „Clodii confitentem.

tamen defensionem suscipi posse. Quod nisi vidisset, posse absolvi eum, qui fateretur: cum videret nos fateri; neque quaeri umquam jussisset, nec vobis tam salutarem a) hanc in judicando literam, quam illam tristem, dedisset. Mihi vero Cn. Pompejus non modo nihil gravius contra Milonem judicasse, sed etiam statuisse videtur, quid vos in judicando spectare oporteret. Nam qui non poenam confessioni, sed defensionem dedit, is caussam interitus quaerendam, non interitum putavit. Jam illud a) dicet ipse profecto, quod sua sponte fecit, Publione Clodio tribuendum putarit, an temporis.

VII. Domi suae b) nobilissimus vir, Senatus propugnator, atque illis quidem temporibus, pene patronus, avunculus hujus nostri judicis, fortissimi viri M. Catonis, Tribunus Plebis M. Drusus, occisus est. Nihil de ejus morte Populus consultus nulla quaestio decreta a Senatu est. Quantum luctum in hac Urbe fuisse a nostris patribus accepimus, cum P. Africano domi suae quiescenti illa nocturna vis esset illata?

1) *Salutarem)* A. quae absolvit. *Tristem*, C. quae condemnat. *Manut.*

ANALYSIS.

„ Ergo eum non condemnavit, sed absolvi posse judicavit.

Si enim factum condemnasset, Miloni factum confitenti Judices non dedisset: adeoque non de facto, sed de jure quaeri voluit, uter utri fecisset insidias.

a) *Jam illud)* Deinde probat novam illam quaestionem constitutam fuisse a Pompejo non in gratiam Clodii, sed temporis: sic igitur *ab Adjunctis*.

„ Constituenda erat in gratiam Clodii nova quaestio,
„ vel quia nobilis, vel quia in monumentis majo-
„ rum suorum interfectus est:
„ Sed neutram ob caussam nova quaestio constitui de-
„ buit: Ergo nova haec quaestio non fuit constituta
„ in gratiam Clodii.

b) *Domi suae) Assumptionis* primam partem confirmat *a Comparatione majorum:*

„ Neque pro Druso, neque pro Africano, neque pro
„ Pompejo, neque pro me ipso constituta est nova
„ quaestio: Ergo multo minus pro Clodio homine no-
„ bili, sed scelerato.

quis tum non gemuit? quis non arsit dolore? quem immortalem, si fieri posset, omnes esse cuperent, ne necessariam quidem exspectatam esse mortem? Num igitur ulla quaestio de Africani morte lata est? Certe nulla. Quid ita a)? quia non alio facinore clari homines, alio obscuri necantur. Intersit inter vitae dignitatem summorum, atque infimorum: mors quidem illata per scelus iisdem et poenis teneatur, et legibus. Nisi forte magis erat parricida, si quis consularem patrem, quam si suis humilem necaverit: aut eo mors b) atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis majorum suorum sit interfectus. Hoc enim saepe ab istis dicitur. Perinde quasi Appius ille Caecus viam munierit, non qua Populus uteretur, sed ubi impune sui posteri latrocinarentur.

Itaque in eadem ista Appia via, cum ornatissimum Equitibus Romanum P. Clodius M. Papirium occidisset, non fuit illud facinus puniendum. Homo enim nobilis in suis monumentis Equitem Romanum occiderat. Nunc ejusdem Appiae nomen quantas tragoedias exscitat? Quae cruentata antea caede honesti, atque innocentis viri silebatur, eadem nunc crebro usurpatur, posteaquam latronis, et parricidae sanguine imbuta est.

Sed quid ego c) illa commemoro? comprehensus

ANALYSIS.

a) *Quid ita?*) Idem comprobat ratione, et illustrat *a Pari*: sicut enim aeque parricida est, qui Patrem Consularem interficit, ac qui humilem, ita aeque homicida, qui nobilem, et qui abjectum hominem occidit.

b) *Aut eo mors*) Inter exempla Africani, et Pompeji interserit approbationem secundae partis *Assumptionis*, quae sic se habet *a Pari*.

„ Aeque atrox est in monumentis majorum suorum
„ peccare, et puniri:
„ Sed scelera admissa a Clodio in Appia via non
„ ideo atrociora fuerunt:
„ Ergo neque ejus mors atrocior habenda est, quod
„ in Appia via sit interfectus.

c) *Sed quid ego*) Pompeji exemplum amplificat *ab Adjunctis*, ostenditque non ideo minori poena dignum fuisse Clodium, quod scelus non perfecerit; deinde quoties etiam sibi intentata mors fuerit, commemorat.

et alta, et divina quadam mente praeditus, multa vidit; fuisse sibi illum inimicum, familiarem Milonem. In communi omnium laetitia si etiam ipse gauderet, timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatae gratiae. Multa etiam alia vidit, sed illud maxime: quamvis atrociter ipse tulisset, vos tamen fortiter judicaturos. Itaque delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina: neque vero a), quod nonnulli dictitant, secrevit in judicibus legendis amicos meos. Neque enim hoc cogitavit vir justissimus, neque in bonis viris legendis id assequi potuisset, etiamsi cupiisset. Non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quae late patere non possunt, propterea quod consuetudines victus non possunt esse cum multis. Sed, si quid possumus, ex eo possumus, quod Respublica nos conjunxit cum bonis. Ex quibus ille cum optimos viros legeret, idque maxime ad fidem suam pertinere arbitraretur, non potuit legere non studiosos mei.

Quod vero te, L. Domiti, huic quaestioni praeesse maxime voluit, nihil quaesivit aliud, nisi justitiam, gravitatem, humanitatem, fidem. Tulit ut consularem necesse esset 1): credo, quod principum munus esse ducebat, resistere et levitati multitudinis, perdito-

1) *Ut Consularem necesse esset)* Creari suffragiis Populi, qui quaestioni praeesset. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Neque vero)* Hinc, et illud diluit, in judicibus eligendis omissos a Pompejo Ciceronis amicos, quod falsum esse tali ratione contendit, *ab Adjunctis*:

„ Qui viros bonos legit, non potuit omittere illius „ amicos, qui omnibus bonis amicus est;

„ Sed Pompejus bonos viros Judices legit, et mihi „ omnes boni amici sunt;

„ Ergo in Judicibus eligendis non potuit omittere „ meos amicos.

Assumptionem habes cum *Complexione*; laudes etiam L. Domitii, qui praeerat quaestioni, ad conciliandam *benevolentiam*; ex Arist. l. 2. c. 4. t. 29.

rum temeritati. Ex Consularibus te creavit potissimum. Dederas enim, quam contemneres populares insanias, jam ab adolescentia documenta maxima 1).

IX. Quamobrem a), Judices, ut aliquando ad caussam, crimenque veniamus, si neque omnis confessio facti est inusitata; neque de caussa quidquam nostra aliter, ac nos vellemus, a Senatu judicatum est, et lator ipse legis, cum esset controversia nulla facti, juris tamen disceptationem esse voluit: et electi Judices, et isti praepositus quaestioni, qui haec juste, sapienterque disceptet, reliquum est, Judices, ut nihil jam aliud quaerere debeatis, nisi uter utri insidias fecerit. Quod quo facilius argumentis perspicere possitis, rem gestam vobis dum breviter expono, quaeso diligenter attendite.

NARRATIO.

P. Clodius b) cum statuisset omni scelere in praetura vexare Rempublicam, videretque ita tracta esse Comitia 2) anno superiore, ut non multos men-

1) *Dederas enim, quam contemneres populares insanias, jam ab adolescentia maxima)* Constantiam L. Domitii, quam in praetura praestitit, significat. Nam eo tempore, cum Cn. Manlius Tribunus Pl. subnixus libertinorum, et servorum manu, perditissimam legem ferret, ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset, idque per tumultum ageret, et clivum Capitolinum obsideret, discusserat, perruperatque coetum Domitius, ita, ut multi Manlianorum interficerentur. Quo facto, et plebem infimam offenderat, et Senatus magnam gratiam inierat. *Ascon.*

2) *Ita tracta esse comitia)* De die in diem dilata, adeo ut Consules Domitius Calvinus, et Valerius Messala septimo mense vix tandem inierint Consulatum: quod etiam in comitiis Praetoriis videtur contigisse: ut quinque menses ad summum gesserint praeturam. Vide Dionem lib. XL. *Abram.*

ANALYSIS.

a) *Quamobrem)* Totius *Confutationis* conclusio, et brevis *Epilogus*.

b) *P. Clodius)* Narrat, quo consilio, et qua occasione insidias Miloni struxerit Clodius; describit utriusque apparatum, et pugnam.

ses praeturam gerere posset, qui non honoris gradum spectaret, ut ceteri, sed et L. Paulum collegam effugere vellet, singulari virtute civem, et annum integrum ad dilacerandam Rempublicam quaereret: subito reliquit annum suum, seque in annum proximum transtulit, non religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad praeturam gerendam, hoc est, ad evertendam Rempublicam plenum annum, atque integrum.

Occurrebat 1), mancam ac debilem praeturam suam futuram, Consule Milone: eum porro summo consensu Populi Romani Consulem fieri videbat. Contulit se ad ejus competitores: sed ita, totam ut petitionem ipse solus etiam invitis illis, gubernaret; tota ut Comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret. Convocabat tribus: se interponebat: * Collinam novam 2), ** delectu perditissimorum civium, conscribebat. Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies convalescebat. Ubi vidit homo, ad omne facinus paratissimus, fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum Consulem, idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragiis Populi Romani saepe esse declaratum: palam agere coepit, et aperte dicere, occidendum Milonem. Servos agrestes, et barbaros, quibus sylvas publicas depopulatus erat, Etruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis. Res erat minime obscura. Etenim palam dictitabat, Consulatum Miloni eripi non posse: Significavit hoc saepe in Senatu:

1) *Occurrebat)* Erfurtensis optime hic addit *ei*, quod vix sine sensus detrimento potest abesse. *Graev.*

* Vict. Man. Lamb. *coloniam.*

2) *Collinam novam)* Horum verborum sententia aperta est: hoc enim significant, Clodium delectu civium ditissimorum habito, eos in certum numerum redegisse, ut nova tribus *Collina* (quam unam ex quatuor urbanis fuisse nemo est qui nesciat) efficeretur. Itaque nihil necesse est comminisci Coloniam, quam Clodius, si Praetor factus esset, deducturus fuerit. *Fabricius.*

** Vict. Man. *delectum.*

dixit in concione. Quin etiam Favonio, fortissimo viro, quaerenti ex eo, qua spe fureret, Milone vivo: respondit triduo illum, ad summum quatriduo periturum. Quam vocem ejus ad hunc M. Catonem statim Favonius detulit.

X. Interim cum sciret Clodius (neque enim erat difficile scire) iter sollemne, legitimum, necessarium, ante diem XIII. Kalendas Feb. Miloni esse Lanuvium ad flaminem 1) prodendum, quod erat Dictator Lanuvii Milo: Roma subito ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum (quod re intellectum est) Miloni insidias collocaret. Atque ita profectus est, ut concionem turbulentam, in qua ejus furor desideratus est, quae illo ipso die habita est, relinqueret: quam, nisi obire facinoris locum, tempusque voluisset, numquam reliquisset.

Milo autem, cum in Senatu fuisset eo die, quoad Senatus dimissus est: domum venit: calceos, et vestimenta mutavit: paullisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est: deinde profectus est id temporis, cum jam Clodius, siquidem eo die Romam venturus erat, redire potuisset. Obviam fit ei Clodius expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus 2), ut solebat: sine uxore 3), quod numquam fere: cum hic insi-

1) *Ad flaminem)* Junonis Sospitae. *Prodendum*: renuntiandum, vel creandum. *Abramus.*

2) *Nullis Graecis comitibus)* Romani proceres in familia sua studiorum caussa Graecos fovebant, Rhetores, Grammaticos, Medicos, Philosophos, Poetas, ut Lucullos Archiam Poetam suae cohorti adscripserat. Vide orat. pro Archia, c. 3. Sic ille Graecus in Pisonis amicitiam receptus, quem describit elegantissime in Orat. in Pisonem, cap. 28. Vide de Graecis comitibus Augusti Sueton. in ejus vita cap. 56., et Tiberii in ejus vita cap. 56. Vide quoque Juvenalem Graeculos hos lepide describentem, qui Romam veniebant, et omnes artes jactabant, Sat. III. v. 69. et seqq. *Graev.*

3) *Sine uxore)* Fulvia, quae deinde nupsit Antonio: et, ut refert Dio lib. 47. allatum Ciceronis demortui caput consputavit, linguam exstraxit, acu crinali perforavit, antequam in Rostris poneretur. *Abr.*

diator, qui iter illud ad caedem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda, penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri, et delicato ancillarum, puerorumque comitatu.

Fuit obviam Clodio ante fundum ejus hora fere undecima, aut non multo secus. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum. Adversi rhedarium occidunt. Cum autem hic de rheda, rejecta penula, desiluisset, seque acri animo defenderet: illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorirentur: partim, quod hunc jam interfectum putarent, caedere incipiunt ejus servos, qui post erant, ex quibus, qui animo fideli in dominum, et praesenti fuerunt, partim occisi sunt, partim, cum ad rhedam pugnari viderent, et domino succurrere prohiberentur, Milonemque occisum etiam ex ipso Clodio audirent, et ita esse putarent: fecerunt id servi Milonis (dicam enim non derivandi criminis caussa, sed ut factum est) neque imperante, neque sciente, neque praesente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.

CONTENTIO.

XI. Haec, sicut a) exsposui, ita gestas sunt, Judices: insidiator superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est. Nihil dico, quid Respublica consequuta sit: nihil, quid vos: nihil quid omnes

ANALYSIS.

a) *Haec, sicut)* *Narratione* absoluta, attingit id, quod alio loco pertractat, Clodii mortem utilem fuisse Reip., per figuram *Praeteritionem*; deinde vero in caussam ingreditur hoc universali Syllogismo, ex quo tota fere defensio dependet:

,, Insidiator jure interfici potest;
,, Sed Clodius Milioni struxit insidias:
,, Ergo jure Milo Clodium interfecit.

boni: nihil sane id prosit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit, quin una Rempublicam, vosque servaret. Si id jure non posset: nihil habeo quod defendam. Sin hoc a) et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent; non potestis hoc facinus improbum judicare, quin simul judicetis, omnibus, qui, in latrones inciderint, aut illorum telis, aut vestris sententiis esse pereundum.

Quod si ita putasset: certe optabilius Miloni fuit dare jugulum P. Clodio, non semel ab illo, neque tum primum petitum, quam jugulari a vobis, quia se illi non jugulandum tradidisset. Sin hoc nemo vestrum ita sentit, illud jam in judicium venit, non, occisusne sit, quod fatemur: sed jure, an injuria: quod multis in caussis saepe quaesitum est. Insidias factas esse constat: et id est quod Senatus contra Rempublicam factum judicavit. Ab utro factae sint, incertum est. De hoc igitur latum est ut quaereretur. Ita et Senatus rem, non hominem, notavit: et Pompejus de jure, non de facto, quaestionem tulit.

XII. Num quid igitur aliud in judicium venit, nisi uter utri insidias fecerit? profecto nihil. Si hic illi: ut ne sit impune. Si ille huic: tum nos scelere solvamur. Quonam igitur b) pacto probari potest, in-

ANALYSIS.

a) *Sin hoc)* *Propositio*, cujus approbatio sumpta ex iis, quae supra dicta sunt, habet annexam *Caussae* constitutionem.

b) *Quonam igitur)* *Assumptio*, quam multis argumentis confirmat, fere *ab adjunctis*, quorum primum a proposita utilitate est hujusmodi:

„ Ille insidias fecit, cui mors inimici utilis erat:
„ Sed mors Milonis utilis erat Clodio, non autem
„ mors Clodii Miloni:
„ Ergo Clodius fecit insidias Miloni, non Milo Clo-
„ dio.

Propositio sumitur ab auctoritate Cassii severissimi Judicis. Phil. 2.

sidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem, in illa tam audaci, tam nefaria bellua, docere magnam ei caussam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum *Cui bono fuerit*, in his personis valeat 1). Etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepe parvo. Atqui a), Milone interfecto, Clodius hoc assequebatur, non modo ut Praetor esset non eo Consule, quo sceleris nihil facere posset: sed etiam ut his Consulibus Praetor esset, quibus si non adjuvantibus, at conniventibus certe, sperasset se posse Rempublicam eludere in illis suis cogitatis furoribus. Cujus illi conatus, ut ipse ratiocinabatur, nec, si possent, reprimere cuperent, cum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur: et, si vellent, fortasse vix possent, frangere hominis sceleratissimi corroboratam jam vetustate audaciam.

An vero, Judices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac Urbe versamini, vestrae peregrinantur

1) *Itaque illud Cassianum, Cui bono fuerit, in his personis valeat.)* L. Cassius fuit, sicut jam saepe diximus, summae vir severitatis. Quoties quaesitor judicii alicujus esset, in quo quaereretur de homine occiso, suadebat, atque etiam praeibat judicibus, (hoc quod Cicero nunc admonet) ut quaeretur, cui bono fuisset perire eum, de cujus morte quaeretur. Ob quam severitatem, quo tempore Sex. Peduceus Tribunus Pl. criminatus est, L. Metellum Pont. Max. totumque collegium Pontificum male judicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Aemiliam damnaverat, absolverat autem duas, Marciam, et Liciniam, Populus hunc Cassium creavit, qui de eisdem virginibus quaereret: isque, et utrasque eas, et praeterea complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus, damnavit. *Asconius.* Non, ut vulgo in ore est omnibus, id significat, *ad quem usum*? Sed, cui homini res fuerit bono, seu emolumento? *J. Gronov.* Observ. lib. IV. cap. 9.

ANALYSIS.

a) *Atqui) Assumptionis* primam partem probat, quia Milone interfecto Clodius sperabat, se tuto in Praetura, quae cogitaret, facturum, quem vivum, atque adeo Consulem, in omnibus adversarium habuisset; et per *Digressionem* in Sex. Clodium invehitur, librarium Publii, et ejusdem sepulturae auctorem.

aures, neque in hoc pervagato Civitatis sermone versantur, quas ille leges, si leges nominandae sunt, ac non faces Urbis, et postes Reipublicae) fuerit impositurus nobis omnibus, atque inusturus? Exhibe, quaeso, Sexte Clodii, exhibe librarium illud legum vestrarum, quod te ajunt eripuisse e domo, et ex mediis armis, turbaque nocturna, tamquam Palladium sustulisse, ut praeclarum inde munus, ac instrumentum Tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo arbitrio Tribunatum gereret, deferre posses. Et adspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, cum omnia omnibus minabatur. Movet me quippe lumen Curiae 1).

XIII. Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi, cujus tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es 2), quam erat humanitatis meae postulare? Tu P. Clodii cruentum cadaver ejecisti domo, tu in publicum ejecisti: tu spoliatum imaginibus exequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. Quam rem 3) etsi necessario fecisti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam, laudare non possum, irasci certe non debeo.

1) Et adspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, cum omnibus omnia minabatur. Movet me quippe lumen curiae.*)* Hic est Sex. Clodius, quem in argumento hujus orationis diximus corpus Clodii in Curiam attulisse, et ibi cremasse, eoque incenso Curiam conflagrasse. Ideo lumen Curiae dicit. *Asconius.* Fingit se arripere digressionis occasionem ex tempore, et ex Clodii oculorum conjectu: ne domo praemeditata proferre videatur. *Abram.*

Movet me quippe lumen Curiae) Jocus in ambiguo. Innuit enim Curiae incendium, eum Sext. Clodium clarissimum Senatorem vocare videatur. *Idem.*

2) *Punitus es)* Pro, punisti, figurate: ut, *fabricatus est gladium*, pro, *fabricavit.* Quod utrumque Quintilianus, lib. IX. cap. 3. ad verborum figuras refert. *Manut.*

3) *Quam rem)* Alii legunt, *quare etsi nefario fecisti.* Et sane vix apparet quae necessitas incubuerit id faciendi, nisi forte dicamus Sextum Populi tumultuantis insania compulsum fuisse, ut et cadaver ejiceret, et curiam incenderet. Vel sensus erit, *quam rem etsi P. Clodio, qui tibi erat necessarius, fecisti.* Abram.

P. Clodii praeturam non sine maximo rerum novarum metu proponi, et solutam fore videbatis, nisi esset is Consul, qui eam auderet, possetque constringere. Eum Milonem esse cum sentiret universus Populus Romanus, quis dubitaret suffragio suo, se metu, periculo Rempublicam liberare?* At nunc a) P. Clodio ** remoto, usitatis jam rebus enitendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam. Singularis illa huic uni concessa gloria, quae quotidie angebatur frangendis furoribus Clodianis, jam morte Clodii cecidit. Vos adepti estis, ne quem civem metueretis: hic exercitationem virtutis, suffragationem Consulatus, fontem perennem gloriae suae perdidit. Itaque Milonis Consulatus, qui, vivo Clodio, labefactari non poterat, mortuo denique tentari coeptus est. Non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodii mors Miloni.

At valuit b) odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor injuriae, punitor doloris sui. Quid, si haec, non dico majora fuerunt in Clodio, quam in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suae gloriae, praeter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus? Ille erat ut odisset,

* Vict. Man. Grut. *At non*, *P. Clodio*.
** Vict. Man. Lamb. *mortuo*.

ANALYSIS.

a) *At nunc)* Secunda pars de Milone; statim enim perdidit Consulatum, et mortuo Clodio non habet, unde possit de Rep. bene mereri.

b) *At valuit)* 2 Pariter arguit, ut supra, *a Caussa finali*:

„ Ille struxit insidias, qui oderat inimicum:
„ Sed Clodius maxime oderat Milonem, non autem
„ Milo Clodium.
„ Ergo Clodius Miloni, non Milo Clodio fecit insidias.

Manifesta est *Assumptionis* approbatio *a Caussis efficientibus*.

primum defensorem salutis meae, deinde vexatorem furoris, domitorem armorum suorum; postremo etiam accusatorem suum. Reus enim Milonis, lege Plotia, fuit Clodius, quoad vixit. Quo tandem animo hoc tyrannum tulisse creditis? quantum odium illius, et in homine injusto, quam etiam justum?

XIV. Reliquum est a), ut jam illum natura ipsius, consuetudoque defendat: hunc autem haec eadem coarguant, nihil per vim umquam Clodius, omnia per vim Milo. Quid ergo b), Judices? cum moerentibus vobis Urbe cessi, judiciumne timui? non servos, non arma, non* vim? Quae fuisset igitur caussa restituendi mei, nisi ei fuisset injusta ejiciendi? Diem mihi, credo, dixerat: multam irrogarat: actionem perduellionis intenderat; et mihi, Judices, in caussa aut vestra mala, aut mea nec praeclarissima 1), etiam judicium timendum fuit. Servorum, et egentium civium et facinorosorum armis meos cives, meis consiliis, periculisque servatos, pro me objici nolui.

Vidi enim, vidi hunc ipsum Q. Hortensium, lumen, et ornamentum Reipublicae, pene interfici servorum

* Vict. Man. Lamb. *vim intentavit?* et omittunt, *judicium ne timui?*

1) *Aut vestra mala, aut mea nec praeclarissima)* Alii aliter legunt. Ferratius delet *nec*, et sic interpretatur: ,, Caussa de Conjuratis *interfectis* videbatur mala, sed ,, erat caussa Senatus, qui eos puniri voluerat. De Conjuratis *deprehensis*, praeclarissima erat, et mea, qui ,, deprehenderam. Neutra in caussa erat, quod timerem. Potest tamen, ni fallor, servari *nec*. Hoc enim totum ironice dictum. *Olivetus*.

ANALYSIS.

a) *Reliquum est)* 3. *Ab Adjunctis* personae hoc modo:
,, Ille fecit insidias, qui omnia per vim facere consuevit:
,, Omnia per vim fecit Clodius, nihil Milo:
,, Ergo Clodius Miloni fecit insidias.

b) *Quid ergo)* *Assumptionis* prima pars approbata de P. Clodio.

manu, cum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus, Senator, vir optimus, cum hoc cum esset una, ita est multatus, ut vitam amiserit. Itaque quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? Haec intentata nobis est: huic ego vos objici pro me non sum passus: haec insidiata Pompejo est 1): haec istam Appiam viam, monumentum sui nominis, nece Papirii cruentavit 2): haec

1) Quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? Haec intentata nobis est: huic ego objici vos pro me passus non sum: haec insidiata Pompejo est.) Manifestum est pertinere ad id tempus, quo, post rogationem a P.Clodio in eum promulgatam, Urbe cessit. Quare dicat, *Insidiata Pompejo est*, fortassis quaeratis: Pisone, et Gabinio Coss. pulso Cicerone in exilium, cum III. Idus Sext. Pompejus in Senatum venit, dicitur servo P. Clodii sicam excidisse, eaque ad Gabinium Consulem delata, dictum est, servo imperatum a P. Clodio, ut Pompejus occideretur. Pompejus statim domum rediit: ex eo * domi tenus obsessus est etiam a liberto Clodii Damione, ut ex actis ejus temporis cognovi: in quibus xv. Kal. Sept. L. Novius Tribunus Pl. collega Clodii, cum Damio adversum Flavium Praetorem appellaret Tribunos, et Tribuni de appellatione cognoscerent, ita sententiam dixit: Et hoc apparitore Publii Clodii vulneratus sum: et hominibus armatis praesidiis dispositis a Republica remotus sum. Cn. Pompejus obsessus est. Cum appeller, non utar ejus exemplo quem vitupero: et judicium tollam, et reliqua de intercessione. *Asconius.*

* *Domi tenus)* Fortasse, *domitenus*. Quid enim hoc est sic disjunctum? At *domitenus* est is, qui se domi vel domo tenet, qui domum tenet, et servat. Vox composita, ut *domicutus, domiporta, domiseda*, etc. Vide Basilii Fabri Thesaurum, verbo *Domus.* Olivetus.

2) *Haec istam Appiam viam, monumentum nominis sui, nece Papirii cruentavit)* Pompejus post triumphum Mithridaticum, Tigranis filium in catenis deposuerat apud Flavium Senatorem: qui postea cum esset Praetor eodem anno, quo Tribunus Pl. Clodius, petiit ab eo Clodius super coenam, ut Tigranem adduci juberet, ut eum videret. Adductum collocavit in convivium, dein Flavio non reddidit: Tigranem dimisit, et habuit extra catenas, nec repenti Pompejo reddidit: postea in navem deposuit: et cum profugeret, ille tempestate delatus est Antium. Illico, ut deduceretur ad se, Clodius Sex. Clodium, de quo supra dixi, misit, qui eum reduceret. Fla-

eadem longo intervallo conversa rursus est in me: nuper quidem ut scitis, me ad Regiam pene confecit 1).

Quid simile a) Milonis? cujus vis omnis haec semper fuit, ne P. Clodius, cum in judicium detrahi non posset, vi oppressam Civitatem teneret. Quem si interficere voluisset, quantae quoties occasiones, quam praeclarae fuerunt? Potuitne, cum domum, ac Deos Penates suos, illo oppugnante, defenderet, jure se ulcisci? Potuitne, cive egregio, et viro fortissimo, P. Sextio, collega suo, vulnerato? Potuitne, Q. Fabricio, viro optimo, cum de reditu meo legem ferret, pulso, crudelissima in foro caede facta? Potuitne, L. Caecilii, justissimi, fortissimique Praetoris, oppugnata domo 1)? Potuitne illo die, cum est

vius quoque re cognita ad diripiendum Tigranem profectus est. Ad quartum lapidem ab Urbe pugna facta est: in qua multi ex utraque parte ceciderunt; plures tamen ex Flavii, inter quos, et M. Papirius Eques Romanus publicanus, familiaris Pompejo. Flavius sine comite Romam vix perfugit. *Asc.*

1) *Haec eadem longo intervallo conversa rursus est in me. Nuper quidem, ut scitis, me ad Regiam pene confecit)*. Quo die periculum hoc adierit, ut Clodius eum ad Regiam pene confecerit, nusquam plane inveni. Non tamen adducor, ut putem Ciceronem mentitum, praesertim cum adjiciat, *ut scitis*. Sed videtur mihi loqui de eo die, quo Consulibus Domitio, et Messala, qui praecesserant eum annum, cum haec oratio dicta est, inter candidatorum Hypsaei, et Milonis manus in via Sacra pugnatum est, multique ex Milonis ex improviso ceciderunt. De cujus diei caede, et periculo suo, ut putem loqui eum, facit et locus pugnae, nam in Sacra via traditur commissa, in qua est Regia; et quod affuerunt cum candidatis suffragatores, Milonis Cicero, Hypsaei Clodius. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Quid simile)* Secunda pars de Milone: et fuse probat, saepe Clodium interfici potuisse, si Milo voluisset: concludit autem *per comparationem* dissimilium:

„ Noluit Milo interficere Clodium, cum tuto potuit, et „ impune:

„ Ergo multo minus voluit eum interficere cum pe„ riculo suae dignitatis, et vitae.

lata lex de me? cum totius Italiae concursus, quem mea salus concitarat, facti illius gloriam libens agnovisset: ut, etiam si id Milo fecisset, cuncta Civitas eam laudem pro sua vindicaret?

XV. Atqui erat id temporis clarissimus, et fortissimus Consul, inimicus Clodio, P. Lentulus, ultor sceleris illius, propugnator Senatus, defensor vestrae voluntatis, patronus illius Publici consensus, restitutor salutis meae: septem Praetores, octo Tribuni Plebis, illius adversarii, defensores mei: Cn. Pompejus auctor, et dux mei reditus, illius hostis: cujus sententiam Senatus omnia de salute mea gravissimam, et ornatissimam secutus est: qui Populum Romanum cohortatus est: qui, cum de me decretum Capuae fecit, ipse, cunctae Italiae cupienti, et ejus fidem imploranti, signum dedit, ut ad me restituendum Romam concurrerent. Omnia tum denique in illum odia civium ardebant desiderio mei: quem qui tum interemisset, non de impunitate ejus, sed de praemiis cogitaretur.

Tamen se Milo continuit, et P. Clodium ad judicium bis, ad vim numquam vocavit. Quid? privato Milone, et reo ad Populum, accusante P. Clodio, cum in Cn. Pompejum pro Milone dicentem 2) impetus factus est: quae tum non modo occasio, sed etiam caussa illius opprimendi fuit? Nuper vero cum

1) Potuitne. L. Caecilii, justissimi fortissimique Praetoris, oppugnata domo?) L. Caecilius Rufus, de quo dicitur, Praetor fuit P. Lentulo Spinthere, Q. Metello nepote Coss. quo anno Cicero restitutus est. Is cum faceret ludos Appollinares, ita iufima concitata multitudo annonae caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi caussa consederant pellerentur. De oppugnata domo nusquam adhuc legi. Pompejus tamen, cum defenderet Milonem apud Populum, de vi accusante Clodio, obstitit. Et legimus apud Tironem libertum Ciceronis in libro quarto de vita ejus, oppressum a Clodio L. Caecilium Praetorem. *Idem.*

2) *Pompejum pro Milone dicentem*) Vide Epist. ad Q. Fratrem, II. 3. et Fam. I. 5.

M. Antonius 1) summam spem salutis bonis omnibus attulisset, gravissimamque adolescens nobilissimus Reipublicae partem fortissime suscepisset, atque illam belluam, judicii laqueos declinantem, jam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, Dii immortales! fuit? cum se ille fugiens in scalarum tenebras abdidisset, magnum Miloni fuit conficere illam pestem nulla sua invidia, Antonii vero maxima gloria? Quid? Comitiis in campo quoties potestas fuit? cum ille vi in septa 2) irruisset, gladios destringendos, lapides jaciendos curasset, deinde subito, vultu Milonis perterritus, fugeret ad Tyberim, vos, et omnes boni vota faceretis, ut Miloni uti virtute sua liberet?

XVI. Quem igitur cum omnium gratia noluit: hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus: hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitavit occidere? Praesertim, Judices, cum honoris amplissimi contentio, et dies Comitiorum subesset: quo quidem tempore (scio enim, quam timida sit ambitio, quantaque, et quam sollicita cupiditas consulatus) omnia non modo, quae reprehendi palam, sed etiam quae obscure cogitari possunt, timemus: rumorem, fabulam falsam, fictam, levem perhorrescimus: ora omnium, atque oculos intuemur. Nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos, sensusque civium: qui non modo improbitati

1) *Cum M. Antonius)* Difficile est expedire quam M. Antonius Reipublicae partem susceperit: nisi fortasse Clodio, *cum Coloniam*, vel, ut alii malunt, *Collinam novam, delectum perditissimorum scriberet civium*, ut dictum est initio narrationis, ei se opposuit M. Antonius, cumque jure, et legibus huic delectum impedire non posse ferro conatus est occidere. Vide Philipp. II. 9. *Abram.*

2) *Septa)* In Comitiis repagula quaedam erant tum in campo, tum in foro, quibus multitudo arcebatur. Suffragium autem laturi intromittebantur. *Hotom.*

irascuntur candidatorum, sed etiam in recte factis saepe fastidiunt.

Hunc diem igitur campi speratum, atque exoptatum sibi proponens Milo, cruentis manibus scelus, et facinus prae se ferens, et confidens, ad illa augusta Centuriarum auspicia veniebat? quam hoc non credibile in hoc? quam idem in Clodio non dubitandum, quia se ille, interfecto Milone, regnaturum putaret? Quid? quod a) caput audaciae est, Judices: quis ignorat, maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? In utro igitur haec fuit? in Milone? qui etiam nunc reus est facti, aut praeclari, aut certe necessarii? an in Clodio? qui ita judicia, poenamque contempserat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret?

Sed quid ego b) argumentor? quid plura disputo? Te, Q. Petilli, appello, optimum, et fortissimum civem: te, M. Cato, testor quos mihi divina quaedam sors dedit Judices. Vos ex M. Favonio audistis, Clodium sibi dixisse, et audistis, vivo Clodio, periturum Milonem triduo. Post diem tertium gesta res est, quam dixerat. Cum ille non dubitaret aperire, quid cogitaret; vos potestis dubitare, quid fecerit.

XVII. Quemadmodum c) igitur eum dies non fe-

ANALYSIS.

a) *Quid? quod)* Hoc addit, quasi corollarium quoddam superiori argumento; Clodium impunitatem sperasse, qui talia saepe impune fecisset, non Milonem, qui poenam timet, licet vim defenderit: quid si Clodio ipse insidias struxisset?

b) *Sed quid ego)* 4. Quia jam ante Clodius Miloni mortem denuntiaverat, adeoque ut mortem inferret, insidias fecit:

c) *Quemadmodum)* 5. Ab aliis deinde *Adjunctis* ita argumentatur.

„ Ille non fecit insidias, cujus iter necessarium fuit, et
„ notum; sed ille, cujus iter alienum fuit, reditus
„ ignotus, et alienus;

fellit? dixi equidem modo. Dictatoris Lanuvini stata sacrificia nosse, negotii nihil erat. Vidit necesse esse Miloni proficisci Lanuvium illo ipso, quo profectus est, die. Itaque antevertit. At quo die a)? quo, ut ante dixi, insanissima concio ab ipsius mercenario Tribuno Plebis est concitata 1): quem diem ille, quam concionem, quos clamores, nisi cogitatum facinus approperaret, numquam reliquisset. Ergo illi ne caussa quidem itineris, etiam caussa manendi: Miloni manendi nulla facultas, exeundi non caussa solum, sed etiam necessitas fuit.

Quid, si, ut ille scivit, Milonem fore eo die in via, sic Clodium Milo ne suspicari quidem potuit?

Primum quaero, qui scire potuerit: quod vos idem in Clodio quaerere non potestis. Ut enim neminem alium, nisi T. Patinam, familiarissimum suum, rogasset, scire potuit, illo ipso die Lanuvii a Dictatore Milone prodi fluminem necesse esse. Sed erant permulti alii, ex quibus id facillime scire pos-

1) *At quo die? quo, ut ante dixi, fuit insanissima concio, ab ipsius mercenario Tribuno Pl. concitata*) Hoc significat, eo die, quo Clodius occisus est, concionatum esse mercenarium ejus Tribunum Pl. Sunt autem concionati eo die, ut ex actis apparet, C. Sallustius, et Q. Pompejus, utrique et inimici Milonis, et satis inquieti. Sed videtur mihi Q. Pompejum significari. Nam ejus seditiosior fuit concio. *Ascon.*

ANALYSIS.

„ Milonis iter notum fuit, et necessarium; Clodii iter
„ alienum, reditus ignotus, et alienus;
„ Ergo non Milo Clodio, sed Clodius Miloni fecit in-
„ sidias.

Quemadmodum) *Assumptio* de Milone; illius iter fuisse necessarium, et notum, cum id Clodius facile scire potuerit ex T. Patina, et aliis Lanuvinis.

a) *At quo die*) Ostendit iter Clodii fuisse alienum, ne dum necessarium, ut adesset turbulentae concioni a Tribuno Pl. concitatae.

sel: omnes scilicet Lunuvini. Milo de Clodii a) reditu unde quaesivit? Quaesierit sane. Videte, quid vobis largiar. Servum etiam, ut Arrius, meus amicus, dixit, corruperit. Legite testimonia testium vestrorum. Dixit C. Cassinius, cognomento Schola, Interamnis, familiarissimus, et idem comes P. Clodii: cujus jampridem testimonio Clodius eadem hora Interamnae fuerat, et Romae, P. Clodium illo die in Albano mansurum (1 fuisse: sed subito ei esse nuntiatum, Cyrum architectum esse mortuum: itaque Romam repente constituisse proficisci. Dixit hoc comes item P. Clodii C. Clodius.

XVIII. Videte, Judices, quantae res his testimoniis sint confectae. Primum certe liberatur Milo, non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio: quippe qui ei obvius futurus omnino non erat. Deinde (non enim video, cur non meum quoque agam negotium) scitis, Judices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu caedem esse factam, consilio vero majoris alicujus. Videlicet me latronem, ac sicarium abjecti homines,

1) *Dixit C. Cassinius Interamnis, familiarissimus, et idem comes Clodii, P. Clodium illo die Albae mansurum)* Fuit hic Cassinius, apud quem Clodius mansisse Interamnae videri volebat, qua nocte deprehensus est in Caesaris domo, cum ibi in operto virgines pro Populo Romano sacra facerent. *Idem.*

ANALYSIS.

1) *Milo de Clodii)* Probat Clodii reditum fuisse ignotum Miloni a testimonio Cassinii testis producti a Clodianis, et alterius testis C. Clodii;

„ Non potuit scire Milo eo die rediturum Clodium,
„ ne ab ejus quidem servis, si eo die Clodius non
„ erat rediturus;

„ Sed secundum fatentur testes Clodiani:

„ Ergo primum illud etiam verum est.

Hinc et se ipse purgat, cum a Cicerone incitatum fuisse Milonem ad illud facinus dixissent Adversarii: non enim Milo vel suo, vel alieno consilio occurrerat Clodio, cui non occurrisset, nisi ille repente consilium mutasset.

et perditi describebant 1). Jacent suis testibus ii, qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro Audisset, fuisse rediturum. Respiravi: liberatus sum: non vereor, ne, quod ne suspicari quidem potuerim, videar id cogitasse.

Nunc persequar a) cetera; nam occurrit illud: igitur ne Clodius quidem de insidiis cogitavit, quoniam fuit in Albano mansurus, siquidem exiturus ad caedem e villa non fuisset. Video enim illum, qui dicitur de Cyri morte nuntiasse, non id nuntiasse, sed Milonem appropinquare. Nam quid de Cyro nuntiaret, quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem? Una fui: testamentum simul obsignavi cum Clodio: testamentum autem palam fecerat, et illnm haeredem, et me scripserat. Quem pridie hora tertia animam efflantem reliquisset, eum mortuum postridie hora decima denique ei nuntiabatur?

XIX. Age, sit ita factum: quae caussa, cum Romam properaret? cur in noctem se conjiceret? quid afferebat caussa festinationis 2)? Quod haeres erat?

1) *Scitis, Judices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu caedem esse factam, consilio vero majoris alicujus. Me videlicet latronem, et sicarium abjecti homines et perditi describebant)* Q. Pompejus Rufus, et Sallustius Tribuni fuerunt, quos significat. Hi enim primi de ea lege ferenda Populum hortati sunt, et dixerunt, manu Milonis occisum esse Clodium, consilio vero majoris alicujus. *Idem.*

2) *Quid afferebat caussa festinationis)* Si subscriberent libri, amplecterer lectionem, quam non Victorius solum est amplexus, sed quam prae se fert Ascensiana, Cratandri, et Hervagiana. *Quid adferebat festinatio?* Quid adferebat emolumenti, aut utilitatis festinatio? *Caussa* saepissime est praetextus. Haec igitur erit sententia vulgatae lectionis, *caussa festinationis quid adferebat?*

ANALYSIS.

a) *Nunc persequar)* Refellit caussam redeundi adductam a testibus supra citatis, adeoque docet reditum Clodii alienum fuisse, nisi eo consilio rediisset, ut Miloni insidias strueret in via.

Primum erat nihil, cur properato opus esset: deinde, si quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset? amitteret autem, si postridie mane Romam venisset? Atque, ut illi a) nocturnus ad Urbem adventus vitandus potius, quam exspetendus fuit: sic Miloni, cum insidiator esset, si illum ad Urbem noctu accessurum sciebat, subsidendum 1), atque exspectandum fuit. Noctu invidioso, et pleno latronum in loco occidisset. Nemo ei neganti non credidisset, quem esse omnes salvum, etiam confitentem, volunt. Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator et receptator locus, dum neque muta solitudo indicasset, neque caeca nox ostendisset Milonem: deinde ubi multi ab illo violati, spoliati, bonis exspulsi, multi etiam haec timentes in suspicionem caderent: tota denique recitaretur Etruria. Atque illo die certe Aricia rediens; divertit Clodius ad Albanum. Quod nisi sciret Milo 2) illum

Praetextus iste Romam properanti quid tibi proderat? quem fructum ex illa festinatione capiebas? Sed vulgatam sanam esse non credo. *Grev.* Sic opinor posse emendari: *Quid afferebat* caussam *festinationis.* Anonymus.

1) *Atque ut illi nocturnus adventus vitandus fuit, sic Miloni, cum insidiator esset, si illum ad Urbem noctu accessurum sciebat, subsidendum. etc.*) Via Appia est prope Urbem monumentum Basilii, qui locus latrociniis fuit perquam infamis: quod ex aliis quoque multis intelligi potest. *Asc.*

2) *Quod nisi*) *sciret Milo* Legunt alii, *Quod ut sciret.* Libenter legerim, *Quidni, si sciret.* Ut vocem *diversurum* interrogationis nota subsequatur. Vel, quod magis

ANALYSIS.

a) *Atque, ut illi*) 6. Ultimo *ab Adjunctis* temporis, et loci sic disputat:

„ Ille non est insidiator, qui tempus, et locum insidiis
„ opportunum neglexit:

„ Sed Milo tempus, et locum insidiis peropportunum
„ neglexit:

„ Ergo Milo non est insidiator.

Assumptionem probat, quia vel ad Urbem constitisset noctu, quippe locus ille auctorem facinoris occultasset: vel occurisset Clodio, antequam hic Aricia discedens ad Albanum pervenisset, quo eum diversurum suspicari debebat.

Ariciae fuisse 1), suspicari tamen debuit, eum etiam si Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quae viam tangeret, diversurum. Cur neque ante occurrit, ne illa in villa resideret, nec eo in loco subsedit, quo ille noctu venturus esset?

Video adhuc a) constare omnia, Judices: Miloni etiam utile fuisse Clodium vivere, illi ad ea, quae concupierat, optatissimum interitum Milonis: odium fuisse illius in hunc acerbissimum, in illum hujus nullum: consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda; hujus tantum in repellenda: mortem ab illo denuntiatam Miloni, et praedictam palam: nihil unquam auditum ex Milone: profectionis hujus diem illi notum: reditum illius huic ignotum fuisse: hujus iter necessarium; illius etiam potius alienum: hunc prae se tulisse, se illo die Roma exiturum; illum eo die se dissimulasse rediturum: hunc nullius rei mutasse consilium; illum caussam mutandi consilii finxisse: huic, si insidiaretur, noctem prope Urbem exspectandam? illi, etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad Urbem nocturnum fuisse metuendum.

XX. Videamus b) nunc id, quod caput est: locus

arridet, *Quod, si sciret, etc. Abram.*. Erfurtensis sane, et Lambini vetus codex, *Quod ut sciret Milo;* quae scriptura non est repudianda. *Ut* accipitur, ut saepius *ut ut*, pro quamvis, licet. Quamvis id sciret Milo, etc. *Graevius.*

1) *Ariciae fuisse)* Sensus est: Milo vel ignoravit discessisse Clodium Aricia, sicque non est profectus eo consilio, ut Aricia redeuntem interficeret: vel scivit, adeoque potuit suspicari, Clodium diversurum ad Albanum in villam suam, quae erat prope viam. Cur igitur non occurrit Clodio inter Ariciam, et Albanum? *Ferr.*

ANALYSIS.

a) *Video adhuc) Epilogus* hujus primae partis *Contentionis*, quae Adjuncta ante factum examinat: deinde etiam pergit rem, et pugnam ipsam considerare.

b) *Videamus)* Ad rem ipsam, et pugnam accedit, probatque pariter *ab Adjunctis*, insidias a Clodio, non a Milone paratas fuisse.

ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior. Id vero, Judices, etiam dubitandum, et diutius cogitandum est? Ante fundum Clodii: quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur 1) valentium. Edito adversarii, atque excelso loco superiorem se fore putabat Milo, et ob eam rem eum locum ad pugnam potissimum elegerat? an in eo loco est potius exspectatus ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitarat? Res loquitur, Judices, ipsa: quae semper valet plurimum.

Si haec non gesta audiretis, sed picta videretis? tamen appareret uter esset insidiator; uter nihil cogitaret mali, cum alter veheretur in rheda penulatus, una sederet uxor. Quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam, cum penula irretitus, rheda impeditus, uxore pene constrictus esset? Videte nunc illum, primum egredientem e villa, subito; cur? vesperi; quid necesse est? tarde; qui convenit? id praesertim temporis? Divertit in villam Pompeji. Pompejum ut videret? sciebat in Alsiensi 2)

1) *Mille hominum versabatur)* Vide Gronovium, lib. I. de Sestertiis, cap. 10, ubi erudite ostendit, *mille* non esse χιλιάδα ut statuebant Gellius, et Macrobius, nec *mille hominum* dictum esse conjunctione substantivi cum substantivo, sed adjectivi cum substantivo, nec nominativi cum genitivo, sed duorum genitivorum: intelligi autem nominativum, *multitudo*, vel *numerus*, vel *manus*, ut integre apud Maronem: *Sub quo mille manus juvenum*. Graevius.

2) *In Alsiensi)* Alsium oppidum fuit in Etruria, ut auctor est Plinius, libro III, cap. 5. in cujus territorio villam habuisse videtur Pompejus. *Abram.*

ANALYSIS.

„ Locus, et apparatus Insidiatorem indicant.
„ Sed tum locus, tum apparatus insidias struenti Clo-
„ dio favebant, non Miloni:
„ Ergo Clodius non Milo fuit insidiator.

Ostendit autem in *Assumptione*, locum, tempus, et apparatum fuisse aptissimum Clodio ad insidias Miloni faciendas.

esse, Villam ut perspiceret? millies in ea fuerat. Quid ergo erat morae, et tergiversationis? Dum hic veniret, locum relinquere noluit.

XXI. Age nunc, iter exspediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille antea cum uxore, tum sine ea. Numquam non in rheda: tum in equo. Comites Graeculi, quocumque ibat, etiam cum in castra Etrusca properabat 1): tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui numquam, tum casu pueros symphoniacos uxoris ducebat, et ancillarum greges. Ille, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat, tum neminem, nisi ut virum a viro lectum esse diceres. Cur igitur a) victus est? quia non semper viator a latrone, nonnumquam etiam latro a viatore occiditur: quia quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros.

Nec vero sic erat umquam non paratus Milo contra illum, ut non satis fere esset paratus. Semper ille, et quantum interesset P. Clodii se perire, et quantum ille auderet, cogitabat. Quamobrem vitam suam, quam maximis praemiis propositam, et pene addictam sciebat, numquam in periculum sine praesidio, et sine custodia projiciebat. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem, qui saepe spoliantem jam, et exultantem evertit, et

1) *Comites Graeculi, quocumque ibat, etiam cum in castra Etrusca properabat)* Saepe objicit Clodio Cicero, socium eum conjurationis Catilinae fuisse. Quam rem nunc quoque reticens ostendit. Fuerat enim opinio, ut Catilina ex Urbe profugerat in Castra Manlii Centurionis, qui tum in Etruria ad Faesulas exercitum ei comparabat, Clodium subsequi eum voluisse, et coepisse, tum dein mutato consilio in Urbem rediisse. *Asc.*

ANALYSIS.

a) *Cur igitur) A Caussis conglobatis* occurrit tacitae *Prolepsi*, quasi non sit probabile, struentem insidias perire, non eum, cui structae fuerint, satisfacit autem ostendens, qua ratione id fieri potuerit.

perculit ab abjecto. Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis: qui cum a tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de ejus exstremis comitibus cogitavit: in quos incensos ira, vitamque domini desperantes cum incidisset, haesit in iis poenis, quas ab eo servi fideles pro domini vita exspediverunt. Cur igitur a) eos manumisit? metuebat b) scilicet, ne indicarent: ne dolorem perferre non possent: ne tormentis cogerentur occisum esse a servis Milonis in Appia via P. Clodium confiteri. Quid opus est tortore? quid quaeris? Occideritne? occidit. Jure, an injuria? nihil ad tortorem. Facti enim in eculeo quaestio est, juris in judicio.

XXII. Quod igitur in caussa quaerendum est, id agamus hic: quod tormentis invenire vis, id fatemur. Manu vero c) cur miserit, si id potius quaeris, quam cur parum ampiis affecerit praemiis: nescis inimici factum reprehendere. Dixit enim hic idem, qui omnia semper constanter, et fortiter, M.

ANALYSIS.

a) *Cur igitur*) Hactenus Milonem defendit *ab Adjunctis* ipsius rei, et quae pugnam praecesserunt, deinceps persequitur cetera, et in primis duo diluit objecta adversariorum, de Servis manumissis a Milone, et quaestionibus habitis ab Appio.

b) *Metuebat)* Primum illud ita refellit *a remotione Caussae*, propter quam manumissos fuisse dixerant Adversarii.

„ Non fuerunt manumissi ad occultandam rei verita-
„ tem, si nos factum fatemur.

„ Sed nos ipsi fatemur occisum fuisse a Milone Clodium;

„ Ergo non ideo fuerunt manumissi, ne tormentis coge-
„ rentur idem fateri.

Propositio eo nititur fundamento quod, tortore factum quaeritur, de quo non erat controversia, non autem jurene, an injuria id factum fuisset.

c) *Manu vero* Deinde sic etiam arguit *a Caussis*:

„ Servi fideles, et bene de Domino meriti praemiis af-
„ ficiendi non tormentis dedendi sunt;

„ Sed ii servi fideles, optime de Domino meriti erant:

„ Ergo praemiis afficiendi, non tormentis dedendi erant,

Propositionem confirmat M. Catonis testimonio, qui unus erat ex Judicibus, qui Milonem absolvit, lata palam sententia. *Asconius.*

Cato; dixitque in turbulenta concione, quae tamen hujus auctoritate placata est, non libertate solum, sed etiam omnibus praemiis dignissimos fuisse, qui domini caput defendissent. Quod enim praemium satis magnum est tam benevolis, tam bonis, tam fidelibus servis, propter quos vivit? Etsi id a) quidem non tanti est, quam quod propter eosdem non sanguine, et vulneribus suis, crudelissimi inimici mentem, oculusque satiavit. Quos nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuissent, conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis. Hic vero nihil habet in his malis, quod minus moleste ferat, quam, etiam si quid ipsi accidat, esse tamen illis meritum praemium persolutum.

Sed quaestiones b) urgent Milonem, quae sunt habitae nunc in atrio Libertatis. Quibusnam c) de servis? rogas? de P. Clodii. Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? ab Appio. Dii boni! quid potest agi severius? De servis d) nulla quaestio est in dominos, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Proxime ad Deos accessit Clodius 1), propius quam tum, cum ad ipsos penetrarat 2): cujus de morte, tamquam de caeremoniis violatis, quaeri-

1) *Proxime ad Deos accessit Clodius)* Cujus de servis ita quaeritur, ut si caeremoniae Deorum violatae essent. *Manut.*

2) *Cum ad ipsos penetrarat)* Festive tempus illud describit, cum ingressus est Clodius muliebri vestitu, stupri caussa, ad sacra Bonae Deae. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Etsi id) Assumptionem* amplificat *ab Adjunctis*: non enim solum effeceruut, ne dominus periret, sed etiam ne crudelissimi inimici manu periret.

b) *Sed quaestiones)* Alterum objectum de quaestionibus ab Appio in Milonem habitis, qui tali argumento respondet *ab Adjunctis per Comparationem minorum*:

„ Pejus est quaeri de servis accusatoris in reum, quam
„ de servis in dominum:
„ Sed quaestio de servis in dominum est contra leges,
„et de servis accusatoris in Milonem habita est quaestio:
„ Ergo haec multo magis est illegitima.

c) *Quibusnam) Assumptionis* secunda pars, quam urget ab alio *Adjuncto* nempe a persona accusatoris, qui habuit illam quaestionem.

d) *De servis)* Prima pars ejusdem *Assumptionis*.

tur. Sed tamen majores nostri in dominum de servo quaeri noluerunt, non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum, et dominis morte ipsa tristius; In reum a) de servis accusatoris cum quaeritur, verum inveniri potest?

Age vero b), quae erat, aut qualis quaestio? Heus tu Ruscio) verbi caussa) cavesis mentiare. Clodius insidias fecit Miloni? Fecit. Certa crux. Nullas fecit. Sperata libertas. Quid hac c) quaestione certius? Subito abrepti in quaestionem, tamen separantur a ceteris, et in arcas conjiciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. Hi centum dies penes accusatorem cum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. Quid hac quaestione dici potest integrius? quid incorruptius?

XXIII. Quod si d) nondum satis cernitis, cum res ipsa tot, tam claris argumentis, signisque luceat, pura mente, atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum Romam revertisse: recordamini e), per Deos immortales! quae fuerit celeritas reditus ejus: qui ingressus in forum, ardente Curia: quae magnitudo animi, qui vultus, quae oratio. Neque vero se Populo solum, sed etiam Senatui com-

ANALYSIS.

a) *In reum)* Hic latere videtur *Propositio* Syllogismi.

b) *Age vero)* Urget *Assumptionis* secundam partem hoc etiam *Adjuncto*, ostendens per pulcherrimam Prosopopoejam factam fuisse quaestionem per vim.

c) *Quid hac) Complexio*.

d) *Quod si)* Nunc pergit, et aliis conjecturis Milonem purgare, et ab ejusdem in primis constantia, tali ratione.

„Innocens est, qui nihil timet:

„ Sed Milo post Clodii mortem nihil timuit, et Romam „subito revertit:

„ Ergo nullius ipse sibi sceleris conscius erat.

e) *Recordamini*) *Assumptio*, quam *ab Adjunctis* ingeniosissime amplificat, praesertim a persona Pompeji, cui se commiserat.

misit: neque Senatui modo, sed etiam publicis praesidiis, et armis: neque his tantum, verum etiam ejus potestati, cui Senatus totam Rempublicam, omnem Italiae pubem, cuncta Populi Romani arma commiserat. Cui se numquam hic profecto tradidisset, nisi caussae suae confideret; praesertim omnia audienti, magna metuenti, multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna vis a) est conscientiae, Judices, et magna in utramque partem; ut neque timeant, qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.

Neque vero b) sine ratione certa, caussa Milonis semper a Senatu probata est. Videbant enim sapientissimi homines facti rationem, praesentia animi, defensionis constantiam. An vero obliti estis, Judices, recenti illo nuntio necis Clodianae non modo inimicorum Milonis sermones, et opiniones, sed nonnullorum imperitorum? Negabant eum Romam esse rediturum. Sive enim illud animo irato, ac percito, fecisset, ut incensus odio trucidaret inimicum arbitrabantur, eum tanti mortem P. Clodii putasse, ut aequo animo patria careret, cum sanguine inimici exsplesset odium suum, sive etiam illius morte patriam liberare voluisset, non dubitaturum fortem virum, quin cum suo periculo salutem Reipublicae attulisset, cederet aequo animo legibus, secum auferre gloriam sempiternam, nobis haec fruenda relinqueret, quae ipse servasset. Multi etiam Catilinam, at-

ANALYSIS.

a) *Magna vis) Propositionis* approbatio *a Caussis*,

b) *Neque vero*) Idem illud confirmat; tum Senatus auctoritate qui Milonem, quod nihil timeret, innocentem proinde judicaverat, tum etiam *a Contrariis*:

„Omnes qui credebant Milonem ultro interfecisse Clo-
„dium, seu privata, seu publica caussa, eum in
„exilium iturum putabant.

„Sed neque in exilium ivit, et Romam statim rediit.

„Ergo necessitate Clodium interfecit, et jure, ut se de-
„fenderet.

que illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriae faciet. Miseros interdum cives, optime de Republica meritos! in quibus homines non modo res praeclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefaria suspicantur. Ergo illa a) falsa fuerunt: quae certe vera exstitissent, si Milo admisisset aliquid, quod non posset honeste, vereque defendere.

XXIV. Quid, quae b) postea sunt in eum congesta? quae quamvis etiam mediocrum delictorum conscientia perculissent, ut sustinuit, Dii immortales! Sustinuit? immo vero ut contempsit, ac pro nihilo putavit? quae neque maximo animo nocens, neque innocens, nisi fortissimus vir, negligere potuisset. Scutorum, gladiorum, frenorum, sparorum 1) pilorumque etiam multitudo deprehendi posse indicabatur. Nullum in Urbem vicum, nullum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset conducta domus: arma in villam Ocriculanam devecta Tiberi: domus in clivio Capitolino scutis referta: plena omnia malleolorum ad Urbis incendia comparatorum. Haec non delata solum, sed pene credita: nec ante repudiata sunt, quam quaesita.

1) *Sparorum)* Nonnius, de genere armorum: *Sparus telum agreste.* Abram.

ANALYSIS.

a) *Ergo illa) Assumptio*, et vulgi conjecturam probat, si revera Milo insidias Clodio fecisset: ut cum falsa fuerit conjectura, falsum etiam fundamentum appareat de Milonis insidiis, quo illa nitebatur.

d) *Quid, quae)* Deinde recenset alia crimina congesta in Milonem, ex quibus hujusmodi sumit argumentum *a Pari*:

„ Qualis fuit Milo in reliquis criminibus, talis est in hoc „ crimine insidiarum:

„ Sed reliqua in eum congesta crimina falsa fuerunt, „ ea fortiter sustinuit:

„ Ergo et hoc insidiarum crimen, quod ita fortiter su- „ stinet, falsum est.

Crimina fuerant 1. quod arma domi haberet in Urbis perniciem. 2: quod in Pompejum conjurasset: 3. quod in Senatu cum telo esset.

Laudabam incredibilem equidem diligentiam Cn. Pompeji, sed dicam, ut sentio, Judices, nimis multa audire coguntur, neque aliter facere possunt ii, quibus tota commissa est Respublica. Quin etiam audiendus sit Popa Licinius, nescio quis, de circo maximo: servos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos esse de interficiendo Cn. Pompejo conjurasse: deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret, Pompejo in hortos nuntiavit. Arcessor in primis. De amicorum sententia rem defert ad Senatum. Non poteram in illius mei, patriaeque custodis tanta suspicione non metu exanimari: sed mirabar tamen credi Popae, ebriosorum confessionem servorum audiri: vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari. Verum, ut intelligo, cavebat magis Pompejus, quam timebant, non ea solum, quae timenda erant, sed omnino omnia, ne aliquid vos timeretis. Oppugnata domus C. Caesaris, clarissimi, et fortissimi viri, per multas noctis horas nuntiabatur. Nemo audierat tam celebri loco 1), nemo senserat. Tamen audiebatur. Non poteram Cn. Pompejum, praestantissima virtute civem, timidum suspicari: diligentiam, tota Republica suscepta, nimiam nullam putabam. Frequentissimo Senatu nuper in Capitolio Senator inventus est, qui Milonem cum telo esse diceret. Nudavit se in sanctissimo templo, quoniam vita talis, et civis, et viri fidem non faciebat, nisi, eo tacente 2), res ipsa loqueretur.

1) *Tam celebri loco*) Habitabat enim Caesar, a quo tempore Pontifex Max. creatus est, in sacra via, in domo publica: cum ante Pontificatum in Suburra modicis aedibus habitasset. *Suetonius*.

2) *Nisi, eo tacente*) Miror Lambinum hic non recepisse verissimam scripturam veteris codicis, in quo est, *ut eo tacente res*, quam didicit ex Fabritio, ut ejus editionis margines ostendunt *Nisi*, hic ferri non potest. *Graev*.

XXV. Omnia falsa a), atque insidiose ficta comperta sunt. Quod si tamen metuitur etiam nunc Milo, non hoc jam Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompeii, (te enim jam appello ea voce ut me audire possis) tuas, inquam suspiciones perhorrescimus 1). Si Milonem times, si hunc de tua vita

1) Non jam hoc Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompei,)te enim jam appello, et ea voce, ut me exaudire possis(tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus) Diximus in argumento orationis hujus, Cn. Pompejum simulasse se timere, seu plane timuisse Milonem, et ideo ne domi quidem suae, sed in hortis superioribus ante judicium mansisse, ita ut villam quoque praesidio militum circumdaret. *Q Pompejus* Tribunus Pl. qui fuerat familiarissimus omnium P. Clodio, et sectam suam sequi se palam profitebatur, dixerat in concione paucis post diebus, quam Clodius erat occisus: *Milo dedit, quem in Curia cremaretis: dabo, quem in Capitolio sepeliatis*. In eadem concione idem dixerat (habuit enim eam a d. VIII. Kal. Febr. cum Milo pridie, id est, VII. Kal. Febr. venire ad Pompejum in hortos ejus voluisset) Pompejum ei per hominem propinquum misisse, ne ad se veniret. Prius etiam quam Pompejus tertium Consul crearetur, tres Tribuni, Q. Pompejus Rufus, C. Sallustius Crispus, T. Munatius Plancus, cum quotidianis concionibus suis magnam invidiam Miloni propter Clodium excitarent, produxerant ad Populum Cn. Pompejum, et ab eo quaesierant, num ad eum delatum esset illud quoque indicium, suae vitae insidiari Milonem. Responderat Pompejus, Licinium quemdam de Plebe sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse, servos quosdam Milonis, itemque libertos comparatos esse ad caedem suam; nomina quoque servorum edidisse: ad Milonem misisse, ut eos in potestate sua haberet: a Milone responsum esse, ex iis servis, quos nominasset, partim neminem se umquam habuisse, partim manumisisse. Dein, cum Licinium, apud se haberet, Lucium quemdam de Plebe ad corrumpendum judicem venisse: qua re cognita, in vincula eum

ANALYSIS.

a) *Omnia falsa*) Transit ad suspiciones Pompeii, ejusque potentiam non esse in Milonem paratam ostendit *ab Adjunctis*.

„Non est probabile in unum hominem totam Remp. „armari:

„Sed arma totius Reip. uni Pompejo commissa sunt:

„Ergo non in Milonem, sed ut omnia aegra, et infir- „ma sanaret.

nefarie aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas, si Italiae delectus, ut nonnulli conquisitores 1) tui dictitant, si haec arma, si Capitolinae cohortes, si exscubiae, si vigiliae, si delecta juventute quae tuum corpus, domumque custodit, contra Milonis impetum armata est, atque illa omnia in hunc unum instituta, parata, intenta sunt: magna in hoc certe vis, et incredibilis animus, et non unius viri vires, atque opes indicantur, siquidem in hunc unum, et praestantissimus dux electus, et tota Respublica armata est.

Sed quis non intelligit, omnes tibi Reipublicae partes aegras, et labantes ut eas his armis sanares, et confirmares, esse commissas? Quod si a) Miloni locus datus esset; probasset profecto tibi ipsi, neminem umquam hominem homini cariorem fuisse, quam te sibi: nullum se umquam periculum pro tua dignitate fugisse: cum illa ipsa teterrima peste saepissime pro tua gloria contendisse: Tribunatum suum ad salutem meam, quae tibi carissima fuisset: consiliis tuis gubernatum: se a te postea defensum in periculo capitis, adjutum in petitione Praeturae: duos se habere semper amicissimos sperasse; te tuo beneficio, me suo. Quae non si probaret; si tibi ita penitus inhaesisset ista suspicio, nullo et evelli mo-

publica se conjectum. Decreverat enim Senatus, ut cum Interrege, et Tribunis Pl. Pompejus daret operam; ne quid Respublica detrimenti caperet. Ob has suscipiones Pompejus in superioribus hortis se continuerat, deinde ex S. C. delectu per Italiam habito cum rediisset, venientem ad se Milonem unum omnium non admiserat. Idem, cum Senatus in porticu Pompeii haberetur, ut Pompejus posset interesse, unum tum excuti prius, quam in Senatum intraret, jusserat. Hae sunt suspiciones, quas dicit se Cicero pertimescere. *Asconius*.

1) *Conquisitores)* Qui delectui habendo, conscribendoque exercitui praeerant. *Ferr.*

ANALYSIS.

a) *Quod si)* Milonis in Pompejum summam benevolentiam probat *ab Effectibus*, eumque iturum sponte in exilium ait, si se purgare Pompejo non possit.

do posset: si denique Italia a delectu. Urbs ab armis, sine Milonis clade numquam esset conquietura: nae iste haud dubitans cessisset, patria, is, qui ita natus est, et ita consuevit; te, Magne a), tamen antestaretur 1), quod nunc etiam facit.

XXVI. Vide, quam sit varia vitae, commutabilisque ratio, quam vaga, volubilisque fortuna, quantae infidelitates in amicis, quam ad tempus aptae simulationes, quantae in periculis fugae proximorum, quantae timiditates. Erit, erit illud profecto tempus, et illucescet aliquando ille dies, cum tu, salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis (qui quam crebro accidat, experti debemus scire), et amicissimi benevolentiam, et gravissimi hominis fidem, et unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres.

Quamquam b) quis hoc credat, Cn. Pompejum, juris publici, moris majorum, rei denique publicae

1) *Antestaretur) Antestari* dicebantur ii, qui cum in jus quempiam vocarant, praesentes apprehensa auricula monebant, uti meminissent eum in jus vocatum, et, cum opus esset, id testarentur. Vide Turnebum lib. decimo tertio Adversar. cap. vigesimo septimo. *Abram.*

ANALYSIS.

a) *Te, Magne)* Milonis nomine alloquitur Pompejum, cui illius operam pollicetur: ominatur autem, quae deinde evenere bello Civili cum C. Caesare.

b) *Quamquam)* Tandem contendit nullo modo Pompejum esse iratum, et inimicum Miloni, argumento pariter *ab Adjunctis* personae:

„ Vir sapiens non dabit condemnandum Judicibus,
„ quem ipse jure punire potest:
„ Sed Pompejus vir sapiens est, et poterat jure suo
„ punire Milonem:
Ergo non tradidisset Milonem Judicibus, si eum con-
„ demnatum vellet.

Habetur *Assumptio* cum *Complexione*: nam et Pompejum virum esse ostendit, qui noverit, quanta sibi potestas data sit? et cum potuisse jure suo in Milonem animadvertere, facto S. C. Videat Consul, ne quid Resp. detrimenti capiat.

peritissimum, cum Senatus vi commiserit, ut videret, *Ne quid Respublica detrimenti caperet*: quo uno versiculo sacis armati semper Consules fuerunt etiam nullis armis datis: hunc exercitu, hunc delectu dato, judicium exspectaturum fuisse in ejus consiliis vindicandis, qui vel judicia ipsa tolleret? Satis judicatum a) est a Pompejo, satis, falso ista conferri in Milonem: qui legem tulit, qua, ut ego sentio, Milonem absolvi a vobis oporteret; ut omnes confitentur, liceret.

Quod vero in illo loco, atque illis publicorum praesidiorum copiis circumfusus sedet: satis declarat, se non terrorem inferre vobis, (quid enim illo minus dignum, quam cogere, ut vos eum condemnetis, in quem animadvertere ipse et more majorum, et suo jure posset?) sed praesidio esse: ut intelligatis, contra hesternam concionem illam 1) licere vobis, quod sentiatis, libere judicare.

XXVII. Nec vero b) me Judices, Clodianum crimen movet: nec tam sum demens, tamque vestri sensus ignarus, atque exspers, ut nesciam quid de morte Clodii sentiatis. De qua si jam nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impune Miloni palam

1) *Contra hesternam concionem illam*) Idem T. Munacius Plancus, ut saepe diximus, post audita, et obsignata testium verba, dimissosque interim Judices, vocata concione cohortatus erat Populum, ut clausis tabernis postero die ad judicium adesset, nec pateretur elabi Milonem. *Ascon.*

ANALYSIS.

a) *Satis judicatum*) Concludit igitur, Pompejum potius favere Miloni, lege in gratiam illius data, et arma collocata fuisse contra Clodianos.

b) *Nec vero*) Haec pars *Contentionis* sumitur *ab Adjunctis* personae, Clodii scilicet, qui fuerat interfectus statimque sic arguit *per Comparationem minorum*:

„ Qui Cives seditiosos aliquid in Rep. innovantes occi-
„ derunt, gloriam sunt consequuti:
„ Sed Milo Clodium interfecit sceleratissimum homi-
„ nem et Reip. perniciem molientem:
„ Ergo non solum impunitas, sed summa etiam gloria
„ Miloni debetur.

clamare, atque mentiri gloriose liceret: Occidi a), occidi, non Sp. Melium, qui annona levanda, jacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti Plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi: non Tib. Gracchum, qui collegae magistratum per seditionem abrogavit: quorum interfectores implerunt Orbem terrarum nominis sui gloria: sed eum b), (auderet enim dicere, cum patriam periculo suo liberasset) cujus nefandum adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobilissimae foeminae comprehenderunt: eum, cujus supplicio Senatus sollemnes religiones exspiandas saepe censuit: eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisset. Lucullus juratus se, quaestionibus habitis, dixit comperisse: eum, qui civem, quem Senatus, quem Populus, quem omnes gentes, Urbis ac vitae civium conservatorem judicabant, servorum armis exsterminavit: eum, qui regna dedit, ademit; Orbem terrarum, quibuscum voluit, partitus est: eum, qui, plurimis caedibus in foro factis, singulari virtute, et gloria civem domum vi, et armis compulit: eum, cui nihil umquam nefas fuit nec in facinore, nec in libidine: eum, qui aedem Nympharum incendit, ut memoriam publicam recensionis, tabulis publicis impressam, exstingueret: eum denique, cui jam nulla lex erat, nullum civile jus, nulli possessionum termini: qui non calumnia litium, non injustis vindiciis, ac sacramentis 1) alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat:

1) *Sacramentis)* Sacramento contendere, est, deposita apud Pontificem pecunia litigare. Varro, lib. v. Ling. Lat. et Asconius in Verrem, lib. 1. *Manutius.*

ANALYSIS.

a) *Occidi) Propositionis* approbatio *ab Exemplis* Ahalae Servili, qui Sp. Melium, et Scipionis Nasicae, qui Ti. Gracchum interfecere; eosque duos maxime nominat, quorum interfectores nullas dederant poenas.

b) *Sed enim) Assumptionis* prima pars patet, enumeratis Clodii sceleribus.

qui non solum Etruscos, (eos enim penitus contempserat) sed hunc Q. Varium, virum fortissimum, atque optimum civem, Judicem nostrum, pellere possessionibus, armis, castrisque conatus est: qui cum architectis, et decempedis villas multorum, hortosque peragrabat: qui Janiculo, et Alpibus spem possessionum terminabat suarum: qui, cum ab Equite Romano splendidissimo, et forti viro, T. Pacuvio, non impetrasset, ut insulam in lacu Prelio venderet, repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, caementa, atque arenam convexit, dominoque trans ripam inspectante non dubitavit aedificium exstruere in alieno: qui huic T. Furfanio, cui viro? Dii immortales! (quid enim ego de muliercula Santia? quid de adolescente Apronio dicam? quorum utrique mortem est minitatus, nisi sibi hortorum possessionem cessissent) sed ausus est Furfanio dicere, si sibi pecuniam, quantam poposcerat, non dedisset, mortuum se in domum ejus illaturum, qua invidia huic esset tali viro conflagrandum: qui Appium fratrem, hominem mihi conjunctum fidissima gratia, absentem de possessione fundi dejecit: qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modo vestibulo privaret, sed omni aditu, et limine.

XXVII. Quamquam haec a) quidem jam tolerabilia videbantur: etsi aequabiliter in Rempublicam, in privatos; in longinquos, in propinquos; in alienos, in suos irruebat; sed nescio quomodo jam usu obduruerat, et percalluerat Civitatis incredibilis patientia. Quae vero aderant jam, et impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut * ferre imperium, si id ille nactus esset? Omitto socios,

ANALYSIS.

a) *Quamquam haec)* Secunda habet certissimam Reip. perniciem, si Clodius Praetor factus fuisset.

* Grut. *ferre? Imperium si ille nactus esset,) omitto . . . . feceratis.*

exteras nationes, Reges, Tetrarchas: vota enim feceratis, ut in eos se potius mitteret, quam in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias. Pecunias dico? a liberis, a liberis, medius fidius, et a conjugibus vestris numquam ille effrenatas suas libidines cohibuisset. Fingi haec putatis, quae patent? quae nota sunt omnibus? quae tenentur? servorum exercitus illum in Urbe conscripturum fuisse, per quos totam Rempublicam, resque privatas omnium possideret?

Quamobrem a), si cruentum gladium tenens clamaret T. Annius: Adeste, quaeso, atque audite, cives: P. Clodium interfeci, ejus furores, quos nullis jam legibus, nullis judiciis froenare poteramus, hoc ferro, et hac dextera a cervicibus vestris repuli; per me unum effectum est, ut jus, aequitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in Civitate manerent: esset vero timendum 1), quonam modo id ferret Civitas. Nunc enim b) quis est, qui non probet? qui non laudet? qui non unum post hominum memoriam T. Annium plurimum Reipublicae profuisse, maxima laetitia Populum Romanum, cunctam Italiam, nationes omnes affecisse, et dicat, et sentiat? Nequeo c), vetera illa Populi Romani quanta fuerint gaudia,

1) *Esset vero timendum)* Ironice dictum. Particula *vero* servit ironiae, ut monet Servius, Æneid. lib. IV. vers. 93. *Abram.*

ANALYSIS.

a) *Quamobrem) Complexio.* Cicero tamen negat, se uti velle hoc genere defensionis, sed, si uteretur, immunitatem apud omnes consequuturum Milonem ita probat:

„ Majori gloria dignus Milo haberetur, si Reip. caussa,
„ quam si necessitate, et ut se defenderet Clodium
„ occidisset:
„ Sed nunc omnes eum laudant, cum dicat a se Clo-
„ dium occisum pro defensione sui capitis;
„ Ergo multo magis laudarent, si fateretur, se illum
„ occidisse Reipublicae caussa.

b) *Nunc enim) Assumptio.*

c) *Nequeo) Ad* illustrandam *Assumptionem*, probat jure laudari factum Milonis, *per Comparationem minorum*; argumentum est *a Caussis* hoc modo:

iudicare. Multas tamen jam summorum imperatorum clarissimas victorias aetas nostra vidit: quarum nulla neque tam diuturnam attulit laetitiam, nec tantam.

Mandate hoc memoriae, Judices. Spero mu'ta vos, liberosque vestros in Republica bona esse visuros. In his singulis ita semper existimabitis, vivo P. Clodio, nihil eorum vos visuros fuisse. In spem maximam, et quemadmodum confido verissimam adducti sumus, hunc ipsum annum, hoc ipso Summo viro Consule, compressa hominum licentia, cupiditatibus fractis, legibus et judiciis constitutis, salutarem Civitati fore. Num quis igitur est tam demens, qui hoc P. Clodio vivo contingere potuisse arbitretur? Quid? ea, quae tenetis, privata atque vestra, dominante homine furioso, quod jus perpetuae possessionis habere potuissent?

XXIX. Non timeo a), Judices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentius haec in illum evomere videar, quam verius. Etenim etsi praecipuum esse debebat, tamen ita communis erat omnium ille hostis, ut in communi odio pene aequaliter versaretur odium meum. Non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitii fuerit. Quin sic attendite, Judices: nempe est quaestio de interitu P. Clodii. Fingite animis: liberae enim sunt cogitationes nostrae; et quae volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quae videmus. Fingite igitur

ANALYSIS.

„ Illud maximum omnium bonum est, sine quo nihil „ boni esse posset;

„ Sed vivo P. Clodio, nihil boni in Rep. esse posset;

„ Ergo illius mors maximum est bonum, adeoque „ jure laudatur.

Propositio est Arist. l. 1. c. 7. t. 100.

a) *Non timeo) Prolepsis*, quasi haec in Clodium inimicum Cicero fingat. Respondet ingeniose odium sibi in P. Clodium commune esse cum Judicibus, et ipso Pompejo: qui omnes mortuum Clodium velint Reip. caussa.

cogitatione imaginem hujus conditionis meae, si possim efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P.Clodius revixerit. Quid vultu exstimuistis, quonam modo ille vos vivus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percussit? Quid? si ipse Cn. Pompejus, qui ea virtute, ac fortuna est, ut ea potuerit semper, quae nemo praeter illum: si is, inquam, potuisset, aut quaestionem de morte P. Clodii ferre, aut ipsum ab inferis exscitare; utrum putatis potius facturum fuisse? Etiam si propter amicitiam vellet illum ab inferis evocare, propter Rempublicam non fecisset. Ejus igitur a) mortis sedetis ultores, cujus vitam, si putetis per vos restitui posse, nolitis: et de ejus nece lata quaestio est, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex numquam esset. Hujus ergo b) * interfector qui esset, in confitendo ab iisne poenam timeret, quos liberavisset?

Graeci homines Deorum honores tribuunt iis viris qui tyrannos necaverunt. Quae ego vidi Athenis? quae aliis in urbibus Graeciae: quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus, quae carmina? prope * ad immortalitatis, et religionem, et memo-

* Vict. Man. *interfector non esset, etiam confitendo, ab iis impetraturus, ne poenam.*

* Lamb. *immortalitatem religione, et memoria.*

ANALYSIS.

a) *Ejus igitur)* Hinc duo colligit: primum imprudenter fuisse constitutam quaestionem, et legem latam de nece Clodii, sic scriter a *Contrariis:*

„ Clodii mortem illi ulcisci non debent, qui eum vi-
„ vum nolunt.

„ Sed Vos, et Pompejus legis lator Clodium vivum
„ non vultis;

„ Ergo neque illius mortem ulcisci debetis.

b) *Hujus ergo)* Deinde ita pro Milone argumentatur:

„ Si sponte occidisset Clodium Milo, palam confite-
„ retur.

„ Non confitetur, sed negat,

„ Ergo non sponte eum occidit, sed necessitate, ut se
„ defenderet.

Hujus ergo) Propositionis approbatio ex supra dictis, quia non poterat poenam ab iis timere, qui fatebantur se Clodii morte maximis periculis liberatos: idque confirmat exemplo Graecorum.

riam consecrantur. Vos tanti conservatorem Populi, tanti sceleris ultorem, non modo honoribus nullis afficietis, sed etiam ad supplicium rapi patiemini? Confiteretur, confiteretur inquam, si fecisset, et magno animo, et libente se fecisse, libertatis omnium caussa. Quod ei certe non confitendum modo fuisset, verum etiam praedicandum.

XXX. Etenim a), si id non negat, ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur; dubitaret id fateri, ex quo etiam praemia laudis essent petenda? nisi vero b) gratius putat esse vobis, sui se capitis, quam vestri ordinis defensorem fuisse: cum praesertim in ea confessione, si grati esse velletis, honores assequeretur amplissimos. Si factum c) vobis non probaretur, (quamquam qui poterat salus sua cuique non probari?) sed tamen si minus fortissimi viri virtus civibus grata cecidisset: magno animo, constantique cederet ex ingrata Civitate. Nam quid esset ingratius, quam laetari ceteros, lugere eum solum, propter quem ceteri laetarentur?

Quamquam hoc animo semper fuimus omnes in patriae proditoribus opprimendis, ut, quoniam nostra

ANALYSIS.

a) *Etenim)* Alia *Propositionis* approbatio *a minori ad majus*:

„ Libentius id fateretur, ex quo laudem speraret;
„ quam id, ex quo solam sperat impunitatem:
„ Sed fatetur, se pro defensione sui capitis occidisse
„ Clodium, ex quo solum sperat impunitatem.
„ Ergo et alterum fateretur, si verum esset, ex quo
„ speraret maximam gloriam.

b) *Nisi vero)* Rationis illius fundamentum probat hoc *Dilemmate*:

„ Aut grati essetis confitenti Miloni, aut ingrati;
„ Si grati, maximos honores; si ingrati, maximam lau-
„ dem assequeretur;
„ Ergo utcumque vel honores, vel laudem ex confes-
„ sione pulcherrimi facti speraret.

c) *Si factum)* Ingratam futuram Civitatem ostendit, Milonis vero laudem multo majorem, quod Patriam liberasset cum maximo sui capitis periculo.

futura esset gloria, periculum quoque, et invidiam nostram putaremus. Nam quae mihi ipsi tribuenda laus esset, cum tantum in Consulatu meo pro vobis, ac liberis vestris ausus essem, si id, quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? Quae mulier sceleratum, ac perniciosum civem occidere non auderet, si periculum non timeret? Proposita invidia, morte, poena, qui nihilo segnius Rempublicam defendit, is vir vere putandus est. Populi grati est, praemiis afficere bene meritos de Republica cives: viri fortis, ne suppliciis quidem moveri, ut fortiter fecisse poeniteat.

Quamobrem a) uteretur eadem confessione T. Annius, qua Ahala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua nosmetipsi: et, si grata Respublica esset, laetaretur: si ingrata, tamen in gravi fortuna conscientia sua niteretur. Sed hujus b) beneficii gratiam, Judices, fortuna Populi Romani, et vestra felicitas, Dii immortales sibi deberi putant. Nec vero c) quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim

ANALYSIS.

a) *Quamobrem) Complexio*; fateretur igitur Milo, occisum a se Clodium Reip. caussa, si revera eo consilio sponte, non necessitate occidisset.

b) *Sed hujus)* Jam vero Milonem tuetur firmissimo omnium argumento *a Caussa efficiente*, quod ultimo loco ponit, et ita se habet:

„ Ex illa re nulla vel laus, vel reprehensio debetur
„ Miloni, quae a divino numine profecta est;
„ Sed mors P. Clodii a Deorum voluntate profecta est;
Ergo ex morte P. Clodii nulla vel laus, vel reprehen-
„ sio Miloni debetur.

c) *Nec vero)* Probat in primis esse Deos contra Epicureorum maxime sententiam; tum *ab Effectibus*, a magnitudine Romani imperii, et optima mundi constitutione: tum ab auctoritate Majorum, qui Deos tot caeremoniis coli voluerant: tum etiam *a Comparatione minorum*:

„ Probabilius est inesse mentem aliquam in Mundo,
„ quam in humano corpore:
„ Sed in corpore humano inest mens aliqua, licet non
„ videatur:
„ Ergo et in Mundo inest Mens illa, quae dicitur Deus.

inquam, imploro, atque testor, vosque Albanorum obrutae arae, sacrorum Populi Romani sociae, et aequales, quas ille praeceps, amentia, caesis, prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat: vestrae tum arae, vestrae religiones viguerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat: tuque ex tuo edito monte Latiaris 1) sancte Jupiter, cujus ille lacus, nemora, finesque saepe omni nefario stupro, et scelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti: vobis illae vobis vestro in conspectu serae, sed justae tamen, et debitae poenae solutae sunt. Nisi forte hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium Bonae Deae, quod est in fundo T. Sextii Galli, imprimis honesti, et ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam Deam, cum proelium commisisset, primum illud vulnus acceperit, quo teterrimam mortem obiret: ut non absolutus judicio illo nefario videretur, sed ad hanc insignem poenam reservatus.

XXXII. Nec vero a) non eadem ira Deorum hanc ejus satellitibus injecit amentia, ut sine imaginibus, sine cantu, atque ludis, sine exequiis, sine lamentis,

aliquemque (ut apud Ciceronem in oratione contra Catilinam in Senatu) *alloquetur. Hic et amplificationibus extollet orationem, et vi superlationum quoque eriget.* Quae Charybdis tam vorax? etc. Oceanus medius fidius ipse *Nota sunt enim jam studiosis haec lumina. Hic Deos ipsos in congressum prope suum, sermonemque deducet:* Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, Albanorum obrutae arae, sacrorum Populi Romani sociae, et aequales. Idem lib. VII. cap. 2 *Aversus quoque a Judice sermo, qui dicitur ἀποστροφή, mire movet: sive adversarios invadimus:* Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharsalica gladius agebat? *Sive ad invocationem aliquam convertimus:* Vos enim jam ego, Albani tumuli, atque luci. *P. Manut.*

1) *Latiaris)* Vide Plin. XXXIV. 7.

ANALYSIS.

a) *Nec vero)* Tandem ab iis, quae consequuta fuerant, eum eadem ira Deorum factum sit, ut suorum satellitum opera etiam sepultura careret.

sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore, et luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, amburereτur abjectus. Non fuisse credo fas clarissimorum virorum formas illi teterrimo parricidae aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potius mortem ejus lacerari, quam in quo vita esset damnata. Dura mihi a); medius fidius, jam fortuna Populi Romani, et crudelis videbatur, quae tot annos illum in hanc Rempublicam insultare videret, et pateretur. Polluerat stupro sanctissimas religiones: Senatus gravissima decreta perfregerat, pecunia se palam a Judicibus redemerat: vexarat in Tribunatu Senatum: omnium ordinum consensu pro salute Reipublicae gesta resciderat: me patria exspulerat: bona diripuerat: domum inciderat: liberos, conjugem meam vexaverat: Cn. Pompejo nefarium bellum indixerat: Magistratuum privatorumque caedes effecerat: domum mei fratris inciderat: vastarat Etruriam: multos sedibus, ac fortunis ejecerat: instabat, urgebat: capere ejus amentiam Civitas, Italia, Provinciae, regna non poterant: incidebantur jam domi leges, quae nos nostris servis addicerent 1): nihil erat cujusquam, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret. Obstabat ejus cogitationibus, nemo, praeter Milonem. Ipsum illum, qui poterat obstare, * novo reditu in gratiam quasi devinctum arbitrabatur: Cae-

1) *Incidebantur jam domi leges, quae nos nostris servis addicerent)* Significasse jam puto nos, fuisse inter leges P. Clodii, quas ferre proposuerat, eam quoque, qua libertini, qui non plus quam in urbanis tribubus suffragium ferebant, possent in rusticis quoque tribubus, quae propriae ingenuorum sunt, ferre. *Asconius.*

ANALYSIS.

a) *Dura mihi)* Hic est alter *Epilogus* eorum argumentorum, quae sumuntur a persona Clodii: Voluisse nimirum Deos punire hominem sceleratum, et meditantem in Praetura Remp. evertere.

* Vict. Man. Lamb. *Cn. Pompejus novo.*

saris potentiam suam esse dicebat: bonorum animos etiam in meo casu contempserat: Milo unus urgebat.

XXXIII. Hic, Dii immortales! ut supra dixi, mentem dederunt illi perdito, ac furioso: ut huic faceret insidias. Aliter perire pestis illa non potuit; numquam illum Respublica suo jure esset ulta. Senatus, credo, Praetorem eum circumscripsisset. Ne cum solebat quidem id facere, in privato eodem hoc aliquid profecerat 1). An Consules in Praetore coercendo fortes fuissent? Primum Milone occiso habuisset suos Consules. Deinde quis in eo Praetore Consul fortis esset, per quem Tribunum, virum consularem 2) crudelissime vexatum esse meminisset? Oppressisset omnia, possideret, teneret; lege nova, quae est inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis, servos nostros libertos suos fecisset. Postremo, nisi eum Dii immortales in eam mentem impulissent, ut homo effoeminatus fortissimum virum conaretur occidere, hodie Rempublicam nullam haberetis.

An ille e) Praetor ille vero Consul, si modo haec templa, atque ipsa moenia stare eo vivo tamdiu, et consulatum ejus exspectare potuissent, ille denique

1) *Senatus, credo, Praetorem eum circumscripsisset. Ne cum solebat quidem id facere, in privato eodem hoc, aliquid profecerat)* Significat id tempus, quo P. Clodius, cum adhuc Quaestor designatus esset, intravit eo, ubi sacrificium pro Populo Romano fiebat. Quod factum notatum erat a Senatu, decretumque ut extra ordinem judicium fieret. *Idem.*

2) *Consularem)* Ciceronem.

ANALYSIS.

e) *An ille)* Hoc idem rursus amplificat *a Comparatione minorum*, quia maximum habere pondus videbatur ad Judicum animos permovendos:

„ Longe audacior erat Clodius, quam illius satellites:
„ Sed Clodio mortuo, unus ex iis satellitibus Curiam „ incendit;
„ Ergo multo pejora admitteret Clodius, si vivus, et „ Praetor esset.

vivus mali nihil fecisset, qui mortuus, uno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce, Curiam incenderit? Quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum a) sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput Urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo Populo Romano concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari? neque id fieri a multitudine imperita, quamquam esset miserum id ipsum, sed ab uno: qui cum tantum ausus sit ultor pro mortuo, quid signifer pro vivo non esset ausus? In Curiam potissimum abjecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus everterat.

Et sunt b) qui de via Appia querantur, taceant de Curia? et qui ab eo spirante forum putent potuisse defendi, cujus non restiterit cadaveri Curia? Exscitate, exscitate eum, si potestis, ab inferis. Frangetis impetum vivi, cujus vix sustinetis furias insepulti? nisi vero sustinuistis eos, qui cum facibus ad Curiam cucurrerunt, cum facibus ad Castoris, cum gladiis toto forte foro volitarunt. Caedi vidistis Populum Romanum; concionem gladiis disturbari; cum audiretur silentio M. Celius, Tribunus Plebis, vir et in Republica fortissimus, et in suscepta caussa firmissimus, et bonorum voluntati, et auctoritati Senatus deditus, et in hac Milonis sive invidia, sive fortuna, singulari, divina, et incredibili fide.

ANALYSIS.

a) *Templum)* illustratur *Assumptio a Definitionibus* Curiae conglobatis.

b) *Et sunt)* Concludit itaque longe turpius esse incendi Curiam a mortuo Clodio, quam interfici Clodium in Appia via Majorum illius monumento, et omnia vivi Clodii furori cessura fuisse, cujus insepulti furias vix Urbs sustinuisset.

PERORATIO.

XXXIV. Sed jam a) satis multa de caussa: extra caussam etiam nimis fortasse multa. Quid restat, nisi ut orem, obtestorque vos, Judices, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat: ego etiam, repugnante hoc, et imploro, et exsposco? Nolite b), si in nostro omnium fletu nullam lacrymam adspexistis Milonis: si vultum semper eumdem, si vocem, si orationem stabilem, ac non mutatam videtis hoc minus ei parcere: atque haud scio, an multo etiam sit adjuvandus magis. Etenim si in gladiatoriis pugnis, et in infimi generis hominum conditione atque fortuna, timidos, et supplices, et ut vivere liceat obsecrantes, etiam odisse solemus: fortes et animosos, et se acriter ipsos morti offerentes, servare cupimus: eorumque nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortissimis civibus facere debemus?

Me quidem c), Judices, exsanimant et interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue, et quibus in-

ANALYSIS.

a) *Sed jam)* Ad movendam *Misericordiam* justa Arist. lib. 2. cap. 8. hoc fere Syllogismo tota *Peroratio* continetur, *ab Adjunctis*:

„ Virum constantem, fortem, benemeritum, sapientem
„ ii damnare non debent, de quibus ille bene meritus est, Cicerone deprecatore;

„ Sed Milo vir est constans, benemeritus, fortis, sapiens, Judices ii, de quibus benemereri semper
„ voluit, Cicero deprecator.

„ Ergo Milonem damnare non debetis.

b) *Nolite) Propositio* quoad constantiam, ex tex. 92. qui enim constanter adversa perferunt, videntur indigni ea fortuna; probatque *a Simili*; nam si in gladiatoribus id valet, aeque valere debet in Civibus.

c) *Me quidem) Assumptio* de constantia Milonis, cui dat orationem dignam viro forti, et constanti.

tersum quotidie. Valeant, inquit, valeant cives mei: sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet haec Urbis praeclara, mihiqne patria carissima, quoquo modo merita de me erit. Tranquilla Republica, cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, sine me ipsi, sed per me tamen, perfruantur. Ego cedam, atque abibo. Si mihi Respublica bona frui non licuerit, at carebo mala: et quam primum tetigero bene moratam, et liberam Civitatem, in ea conquiescam.

O frustra a), inquit, suscepti mei labores! o spes fallaces! o cogitationes inanes meae! Ego, cum Tribunus Plebis, Republica oppressa, me Senatui dedissem, quem exstinctum acceperam, Equitibus Romanis, quorum vires erant debiles; bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abjecerant, mihi umquam bonorum praesidium defuturum putarem? Ego, cum te (mecum enim saepissime loquitur) patriae reddidissem, mihi non futurum in patria putarem locum? Ubi nunc Senatus est, quem sequuti sumus? ubi Equites Romani illi, illi, inquit, tui? ubi studia municipiorum? ubi Italiae voces? ubi denique tua, M. Tulli, quae plurimis fuit auxilio, vox, et defensio? mihine ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opitulari?

XXXV. Nec vero b) haec Judices, ut ego nunc, flens, sed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. Negat enim, se, negat ingratis civibus fecisse, quae fecit; timidis, et omnia circumspicientibus pericula,

ANALYSIS.

a) *O frustra)* Ostendit, quam semper voluerit Milo de bonis omnibus, adeoque de ipsis Judicibus bene mereri; hinc *Misericordia,* ex tex. 89. quod inde malum timeret, unde maxima bona speraverat.

b) *Nec vero)* Attingit illius merita in Senatum, et Populum, Populi etiam, et Senatus in eumdem benevolentiam *ab Effectibus.*

non negat, 1) Plebem, et infimam multitudinem, quae, P. Clodio duce, fortunis vestris imminebat, eam, quo

1) *Vers. a noviss. CLX. Quo loco inducit loquentem Milonem, cum bonarum partium hominibus, de meritis suis Plebem et infirmam multitudinem, quae P. Clodio duce fortunis vestris imminebat, eam, quo tutior esset vestra vita, se fecisse commoverat. ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimonii deliniret.)* Puto jam supra esse dictum, Milonem ex familia fuisse Papia, deinde adoptatum fuisse a C. Annio avo suo materno. Tertium patrimonium videtur significare matris. Aliud enim quod fuerit, non invenio. Peracta utrinque caussa, singuli qui nos accusator, et reus senatores, totidem Equites, et Tribunos aerarios rejecerunt. Ita ut unus, et quinquaginta sententias tulerint. Senatores condemnaverunt XII., absolverunt IV. Equites condemnaverunt XIII., absolverunt VI. Tribuni aerarii condemnaverunt XIII., absolverunt III. Videbantur non ignorasse Judices, inscio Milone initio vulneratum esse Clodium: sed compererant, postquam vulneratus esset, jussu Milonis occisum. Fuerunt, qui crederent, M. Catonis sententia eum esse absolutum. Nam et bene cum Republica actum esse morte P. Clodii non dissimulaverat, et studebat in petitione consulatus Miloni, et reo affuerat. Nominaverat quoque eum Cicero praesentem, et testatus erat, audisse eum a M. Favonio ante diem tertium, quam caedes facta erat, Clodium dixisse periturum esse eo triduo Milonem. Sed Milonis quoque notam audaciam vindicare P. R. utile visum est: unde sciri umquam potuit utram sententiam tulisset? Damnatum autem opera maxime Appii Claudi, pronuntiatum est. Milo postero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum, absens damnatus est. Illa quoque lege accusator fuit ejus Appius Claudius, et cum ei praemium lege daretur, negavit ei. Subscripserunt, et in ambitus judicio P. Valerius Leo, et Cn. Domitius, Cn. F. Post paucos dies quo Milo apud Favonium Quaestorem de sodalitiis damnatus est accusante P. Fulvio Nerato, cui lege praemium datum est. Deinde apud L. Fabium Quaestorem iterum absens damnatus est de vi. Accusavit L. Cornificius, et Q. Patulcius. Milo in exilium Massiliam intra paucissimos dies profectus est. Bona ejus propter alieni aeris magnitudinem semuncia venierunt. Post Milonem, eadem lege Pompeja primus est accusatus M. Saufejus M. F. qui dux fuerat in expugnanda taberna Bovillis, et Clodio occidendo. Accusaverunt eum L. Cassius, L. Fulcinius C. filius, C. Valerius. Defenderunt M. Cicero, M. Celius, obtinueruntque, ut un-

tutior esset vita nostra, suam se fecisse commemorat; ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deliniret, nec timet, ne, cum Plebem muneribus placarit, vos non conciliarit meritis in Rempublicam singularibus. Senatus erga se benevolentiam temporibus his ipsis saepe esse perspectam. vestras vero, et vestrorum ordinum occursationes, studia, sermones, quemcumque cursum fortuna dederit, secum ablaturum esse dicit.

Meminit etiam, sibi vocem praeconis modo defuisse quam minime desideravit: Populi vero cunctis suffragiis, quod unum cupierit, se Consulem declaratum. Nunc denique, si haec arma contra se sint futura, sibi facinoris suspicionem, non facti crimen obstare. Addit haec a), quae certe vera sunt, fortes, et sapientes viros non tam praemia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta, se nihil in vita nisi praeclarissime fecisse; si quidem nihil sit praestabilius viro, quam periculis patriam liberare; beatos esse, quibus ea res honori fuerit a suis civibus.

sententia absolveretur. Condemnaverunt Senatores x., absolverunt viii. Condemnaverunt Equites Romani ix, absolverunt vii: sed ex Tribunis aerariis decem absolverunt, vi. condemnaverunt, manifestumque odium Clodii saluti Saufejo fuit, cum ejus vel pejor caussa quam Milonis fuisset, qui aperte dux fuerat exspugnandae tabernae repertus. Deinde post paucos dies apud Considium Quaestorem lege Plautia de vi, subscriptione eadem accusatus est, quod loca occupasset, et cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis. Accusaverunt C. Fidius, Cn. Aponius, Cn. filius, M. Sejus, Sex. F. Defenderunt M. Cicero, M. Terentius Varro, Gibba: Absolutus est sententiis plenius, quam prius. Graves habuit xix, absolutorias ii et xxx. Sed e contrario hoc, ac priore judicio, accidit. Equites enim, ac Senatores eum absolverunt, Tribuni aerarii damnaverunt, Sex. autem Clodius, quo auctore corpus Clodii in Curiam illatum fuit, accusantibus. C. Cesennio Philonne, M. Aufidio, L. Aponio magno consensu damnatus est, sententiis vi et xi, absolutorias v. omnino habuit, duas Senatorum, tres Equitum. Multi praeterea, et praesentes, et cum citati non respondissent, damnati sunt, ex quibus maxima pars fuit Clodianorum. *Ascon.*

ANALYSIS.

a) *Addit haec)* Sapientia, cum gloriam unam maximi faciat, cetera negligit, sed sunt hujusmodi constantis etiam et fortis viri.

Nec tamen eos miseros, qui beneficio cives suos vicerint; sed tamen ex omnibus praemiis virtutis, si esset habenda ratio praemiorum, amplissimum esse praemium, gloriam; esse hanc unam, quae brevitatem vitae posteritatis memoria consolaretur; quae efficeret, ut absentes adessemus, mortui viveremus; hanc denique esse, cujus gradibus etiam homines in caelum viderentur adscendere. De me, inquit, semper Populus Romanus, semper omnes gentes loquentur, nulla umquam obmutescet vetustas. Quin hoc tempore ipso, cum omnes a * meis inimicis faces meae invidiae subjiciantur, tamen omni in hominum coetu, gratiis agendis, et gratulationibus habendis, et omni sermone celebramur. Omitto Etruriae festos, et actos, et institutos dies, centesima lux est haec ab interitu P. Clodii, et opinor, ultra quam fines imperii Populi Romani sunt, ea non solum fama jam de illo, sed etiam laetitia peragravit. Quamobrem, ubi corpus hoc sit, non, inquit, laboro, quoniam omnibus in terris, et jam versatur, et semper habitabit nominis mei gloria.

XXXVI. Haec tu a) mecum saepe, his absentibus; sed iisdem audientibus; haec ego tecum, Milo. Te quidem, quod isto animo es, satis laudare non possum; sed, quo est ista magis divina virtus, eo majore a te dolore divellor. Nec vero, si mihi eriperis, reliqua est illa saltem ad consolandum querela, ut iis irasci possim, a quibus tantum vulnus accepero. Non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi; non male aliquando de me meriti, sed semper optime. Nullum umquam, Judices, mihi tan-

* Vict. Man. *suis* Lamb. *tuis*.

ANALYSIS.

a) *Haec tu)* Nunc sua in Milonem Officia commemorat, et pro eodem Judices deprecatur.

tum dolorem inuretis, (etsi quis potest esse tantus?) sed ne hunc quidem ipsum, ut obliviscar, quanti me semper feceritis. Quae si vos coepit oblivio, aut si in me aliquid offendistis, cur non id meo capite potius luitur, quam Milonis? Praeclare enim vixero, si quid mihi acciderit prius, quam hoc tantum mali videro.

Nunc me una consolatio sustentat, quod tibi, T. Anni, nullum a me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetivi; ego meum saepe corpus, et vitam objeci armis inimicorum tuorum; ego me plurimis pro te supplicem abjeci: bona, fortunas meas, ac liberorum meorum, in communionem tuorum temporum contuli; hoc denique ipso die, si qua vis est parata, si diminutio capitis futura, deposco. Quid jam restat? quid habeo, quod dicam? quod faciam pro tuis in me meritis, nisi ut eam fortunam, quaecumque erit tua, ducam meam? Non recuso, non abnuo; vosque obsecro, Judices, ut vestra beneficia, quae in me contulistis, aut in hujus salute augeatis, aut in ejusdem exitio occasura esse videatis.

XXXVII. His lacrymis (a) non movetur Milo. Est quodam incredibili robore animi; exilium ibi esse putat, ubi virtuti non sit locus; mortem naturae finem esse, non poenam. Sit hic ea mente, qua natus est. Quid vos, Judices? quo tandem animo eritis? Memoriam Milonis retinebitis; ipsum ejicietis? et erit dignior locus in terris ullus, qui hanc virtutem exscipiat, quam hic, qui procreavit? Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum pro Republica sanguinem effudistis; vos in viri et in civis invicti appello periculo, Centuriones, vosque milites: vobis

ANALYSIS.

a) *His lacrymis)* Virum esse fortem ostendit) eumque propterea non Judicibus tantum, sed etiam militibus commendat, qui aderant jussu Pompeii.

non modo inspectantibus, sed etiam armatis, et huic judicio praesidentibus, haec tanta virtus ex hac Urbe expelletur? exterminabitur? projicietur?

O me miserum a)! o infelicem! revocare tu me in patriam, Milo, potuisti per hos: ego te in patria per eosdem retinere non potero? Quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, consorti mecum temporum illorum? me non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per quos nostram ille servasset? At in qua caussa non potuisse? quae est grata gentibus. A quibus non potuisse? ab iis qui maxime P. Clodii morte acquierunt. Quo deprecante? me.

Quodnam ego concepi tantum scelus? aut quod in me tantum facinus admisi, Judices, cum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, exstinxi? omnes in me, meosque redundant ex sonte illo dolores. Quid me reducem esse voluistis? an ut, inspectante me, exspellerentur, per quos essem restitutus: Nolite, obsecro vos, pati, mihi acerbiorem reditum esse, quam fuerit ille ipse discessus. Nam qui possum putare me restitutum esse, si distrahor ab iis, per quos restitutus sum?

XXXVIII. Utinam Dii immortales fecissent (pace tua, Patria, dixerim; metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie) utinam P. Clodius non modo viveret, sed etiam Praetor, Consul, Dictator esset potius, quam hoc spectaculum viderem. O Dii immortales! fortem, et a vobis, Judices, conservandum virum! Minime, minime, inquit. Immo vero poenas ille debitas luerit: nos subeamus, si ita necesse est non debitas. Hiccine vir patriae

ANALYSIS.

a) *O me Miserum)*. Denique omnia simul complectitur; Milonis in se merita, suas pro illo preces. Viri constantiam, et gloriam, Pompeji animum minime malevolum.

natus, usquam, nisi in patria, morietur? aut, si forte, pro patria? Hujus vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini? hunc sua quisquam sententia ex hac Urbe exspellet, quem omnes Urbes exspulsus a vobis ad se vocabunt?

O terram illam beatam, quae hunc virum exsceperit: hanc ingratam, si ejecerit: miseram, si amiserit! Sed finis sit, neque enim prae lacrymis jam loqui possum: et hic se lacrymis defendi vetat. Vos oro, obtestorque, Judices, ut in sententiis ferendis, quod sentietis, id audeatis. Vestram virtutem, justitiam, fidem, mihi credite, is maxime probabit, qui in judicibus legendis optimum, et sapientissimum, et fortissimum quemque legit.

PRO M. MARCELLO

ORATIO.

ARGUMENTUM.

M. Claudius Marcellus, plebeii generis, (nam et Claudii, Pulchrorum, Neronumque cognomine, Patricii fuere) nobilis tamen ex majoribus, et sua virtute clarus, gesto consulatu cum Ser. Sulpicio Rufo, Jurisconsulto celeberrimo, civili bello Pompejum sequutus est: victusque Pharsalica pugna, neque cum iis, qui bellum in Africa renovandum putarunt, sua consilia conjunxit, neque ad Caesarem victorem, impetrandae veniae caussa, supplex ire voluit: Mitylenas, Urbem a bello, et a belli suspicione remotam, se contulit: sibi satis diu, nullo revertendi in patriam studio, commoratus, cum in publica calamitate conscientia se mentis optimae consolaretur, et in literis viveret, reditum ei Senatus a Caesare impetravit, quo beneficio gratiae sunt a multis actae; Cicero autem, Marcelli amantissimus, luculenta, quae exstat, oratione, et gratias egit, et ita Caesarem laudavit, ut accedere nihil posset. Qua de re non alienum videtur ea recitare, quae ad Sulpicium scripsit his verbis. *Fecerat hoc Senatus, ut, cum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, et cum C. Marcellus se ad Caesaris pedes, abjecisset, cunctus consurgeret, et ad Caesarem supplex accederat; noli quaerere: ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem videre aliquam viderer, quasi reviviscentis Reip. Itaque, cum omnes ante me rogati gratias Caesari egissent, ego rogatus mutavi meum consilium. Nam statueram, non mehercule, inertia, sed desiderio pristinae dignitatis in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi, et Senatus officium. Itaque pluribus verbis egi Caesari gratias.* Hic de Marcelli summa eloquentia, quia non pertinet ad Orationis argumentum, nihil addam. Illud omittendum non videtur, cum in patriam rediret a P. Magio Chilone, familiari suo, interfectum esse. De quo Sulpicii ad Ciceronem exstat epistola. Et quamquam propter Marcellum habita oratio sit, ad conficiendam tamen, et colligen-

dam Caesaris benevolentiam digreditur Cicero in eam partem, ut de querela ejus, et de suspicione, qui se insidias metuere dixerat, accurate disputet: ac primum, non esse timendum, ostendit; cum nemo tam ingratus, tamque injustus esse possit, qui, cujus in anima Resp. consistit, et a cujus vita omnium vita pendet, eum exstinctum velit: deinde et suo, et Reipublicae nomine hortatur atque obsecrat, ut suae vitae consulat: postremo non exscubias modo, custodiasque bonorum civium pro salute illius, verum etiam laterum, et corporum oppositas. Contra vim polliceatur. Habita est, Caesare III. et M. Lepido Coss. victis jam iterum in Africa cum Juba Rege Pompejanis, *Manutius*.

ORATIONIS SYNOPSIS.

HAec Oratio versatur in genere *Demonstrativo:* laudat enim Caesarem: et habet tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, et *Perorationem*.

In *Exordio* sibi dicendum esse probat, cum usque ad illud tempus tacuerit, *a. Caussae remotione: Diuturni silentii*, et gloriam restituti Marcelli amplificat *ab Adjunctis* personarum: *Ille quidem fructum*.

In prima parte *Contentionis* praefert laudem clementiae bellicis laudibus. 1. *ab Adjunctis*, quod ea laus sit tota Caesaris: *Sed tamen sunt alia*, 2. *a Caussa formali*, quia difficilis est acquisitu: *Domuisti gentes:* 3. *a Comparatione minorum*, quod eam laudamus etiam in fabulis: *Itaque C. Caesar*.

Sequitur deinde amplificatio beneficii collati: *Et ceteros quidem;* laudat Caesarem *ab effectis*, ut pacis cupidum: *Quo quidem in bello; et a Comparatione dissimilium*, hoc est Pompejanorum, ut clementem victorem: *Non enim jam caussae*.

In secunda parte, Caesaris suspicionem falsam esse probat *ab Adjunctis* personarum: *Sed quisnam est;* Monet, ut caveat ob Reip. salutem. *Sed tamen*.

Caesaris dictum redarguit, ostenditque eum non satis patriae vixisse: *At, quod maximum est; sed neque gloriae*, quod restaret constituenda Respublica: *Quid si istud ne gloriae quidem tuae*.

In *Peroratione* gratias agit tum communi omnium nomine, tum privatim suo: *Sed, ut unde*.

EXORDIUM.

I. Diuturni (a) silentii, Patres Conscripti, quo eram his temporibus (1) usus, non timore aliquo (2), sed partim dolore (3), partim verecundia (4), finem hodiernus dies attulit; idemque initium, quae vellem, quaeque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac pene divinam, tacitus nullo modo praeterire possum. M. enim Marcello vobis, Patres Conscripti, reique pubblicae reddito, non solum illius, sed meam etiam vocem, et auctoritatem, et vobis, et Reipublicae conservatam, ac restitutam puto.

1) *His temporibus)* Hoc anno qui a pugna Pharsalica jam effluxit Ast *bis temporibus*, non *hoc tempore*, quia tempora calamitatem aliquam, aut certe periculum indicant. *Abramus*.

2) *Non timore aliquo)* Captat a Caesare benevolentiam, cum se non timuisse ostendit, ne liberius de Repub. loquens, eum offenderet. *Idem*.

3) *Dolore)* Vel luctu meorum qui bello civili perierunt, vel dolore, et poenitentia, quod contra Caesarem tam benignum et humanum virum, adhaeserim Cn. Pompejo. *Abram*.

4) *Verecundia)* Contra quem enim armis pugnassem, eo praesente verba facere verecundia prohibebat. *Manut*.

ANALYSIS.

a) *Diuturni)* Exponit in *Exordio*, quare eo die redeat ad pristinum suum dicendae sententiae morem propter restitutum per summam clementiam Caesaris M. Marcellum; et ita disputat *a Caussae remotione*:

„ Ideo tacebam, quia M. Marcellus exularat;
„ Sed illum benignissime hodie restituit;
„ Ergo hodiernus dies finem afferre debuit mei silentii.

Dolebam (a) enim, Patres Conscripti, ac vehementer angebar, cum viderem, virum talem, qui in eadem caussa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in nostro veteri curriculo, illo aemulo, atque imitatore studiorum ac laborum (1) meorum, quasi quodam socio, a me, et comite distracto. Ergo (b) et mihi mae pristinae vitae consuetudinem, C. Caesar, interclusam aperuisti, et his omnibus ad bene de omni Republica sperandum, quasi signum aliquod sustulisti. Intellectum est enim mihi quidem in multis, et maxime in me ipso, sed paullo ante omnibus (2), cum M. Marcellum Senatui Populoque Romano concessisti, commemoratis praesertim offensionibus, te auctoritatem hujus ordinis dignitatemque Reipublicae tuis vel doloribus, vel suspi-

1) *Studiorum ac laborum)* Ponendum comma post *studiorum*. Patricinus. Vide Cic. in Bruto, 71.

2) *Paullo ante omnibus)* Vide Petri Victorii, Var. Lect. XVIII. 6.

ANALYSIS.

a) *Dolebam) Propositio;* et caussam silentii justam fuisse ostendit *a Congruo*.

b) *Ergo) Complexio* quam illustrat *a Consequentibus*, quod bene jam de Rep. sperandum sit; non enim restituisse. Caesar M. Marcellum, deprecante Senatu, nisi maximi faceret illius ordinis auctoritatem.

cionibus anteferre. Ille quidem a) fructum omnis vitae anteactae hodierno die maximum coepit, cum summo consensu Senatus, tum praeterea judicio tuo gravissimo, et maximo: ex quo b) profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Est vero fortunatus ille, cujus ex salute non minor pene ad omnes, quam ad illum ventura sit, laetitia pervenerit. Quod ei quidem merito, atque optimo jure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo genere laudis praestantior? Nullius tantum c) est flumen ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quae non dicam exsornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit. Tamen hoc affirmo, et hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die consequutus es.

CONTENTIONIS I. PARS.

II. Soleo d) saepe ante oculos ponere, idque li-

ANALYSIS.

a) *Ille quidem)* Deinde probat, maxima cum gloria Marcellum fuisse restitutum; sic igitur *ab Adjunctis.*

„ Illius maxima est gloria, quem salvum esse omnes voluerunt, et laetantur, et cui vir inimicissimus salutem concessit:

„ Sed Marcelli salutem omnes optarunt, et nunc gratulantur, eamque Caesar indulsit vir Marcello inimicissimus;

„ Ergo maxima cum gloria Marcellus hodierno die restitutus est.

b) *Ex quo)* Brevis Digressio, qua Caesaris laudes attingit a Contrariis, cum hoc beneficium dedit, quod tanta sit illius gloria, qui accepit.

c) *Nullius tantum)* Propositio Orationis. Caesarem magis esse gloriosum, quod clementia utatur in victos, quam quod innumera bella confecerit.

d) *Soleo)* Quo magis amplificatio crescat, bellicas Caesaris laudes extollit per reliquorum Imperatorum comparationem; ad suum deinde institutum accedit, et sic *ab Adjunctis* argumentatur:

benter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque Populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero praeliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri. Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam potuisse peragrari; quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis lustratae sunt.

Quae quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens, aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia majora. Nam bellicas a) laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum multis, ne propriae sint Imperatorum. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum juvant. Maximam vero partem quasi suo jure Fortuna sibi vindicat: et quicquid est prospere gestum, id pene omne ducit suum.

At vero hujus gloriae, C. Caesar, quam es paullo ante adeptus, socium habes neminem: Totum hoc quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum. Nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna, in istius se societatem gloriae non offert: tibi cedit: tuam esse totam, et propriam fatetur. Numquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

ANALYSIS.

„ Illud gloriosius est Caesari, cujus tota laus in ipsum „ redundat, quam cujus alii multi participes sunt;
„ Sed rei militaris gloria in alios etiam redundat, clementiae in unum Caesarem;
„ Ergo clementiae laus longe major est, quam quae ex „ re militari proficiscitur.

a) *Nam bellicas) Assumptionis* prima pars, quam deinde secunda subsequitur.

III. Domuisti a) gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea vicisti, quae et naturam, et conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla est enim tanta vis, quae non ferro, ac viribus debilitari, frangique possit. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute praestantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem; haec qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico.

Itaque b), C. Caesar, bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris, sed pene omnium gentium literis, atque linguis: neque ulla umquam aetas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen ejusmodi res, nescio quomodo, etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur, et tubarum sono. At vero cum aliquid clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio, et in victoria, quae natura insolens, et superba est, aut audimus, aut legimus, quo studio incendimur, non modo in gestis re-

ANALYSIS.

a) *Domuisti)* Secundo idem probat a Caussa formali, hac ratione:

„Gloriosius est ea superare, quae vinci non solent;
„quam quae vinci quoquomodo possunt:
„Sed iracundia vinci non solet, quilibet hostis vinci
„utcumque potest;
„Ergo gloriosius est iracundiam clementia vincere,
„quam hostes potentissimos virtute rei militaris.

Hoc etiam loco amplificatur utrumque *Assumptionis* membrum.

b) *Itaque)* Complexio, et prima, pars *Assumptionis* Syllogismi *ab Adjunctis* repetitur, ut inde transitus fiat ad tertium argumentum, quod sic se habet sumptum a Comparatione minorum:

„Magis laudamus vera, et quae videmus, quam ficta,
„et quae legimus, aut audimus;
„Sed quorumdam clementiam, quam vel in fabulis,
„vel in historiis legimus, mirari solemus et amare;
„Ergo multo magis clementiam Caesaris, quem praesentem habemus.

bus, sed etiam in fictis, ut eos saepe, quos numquam vidimus, diligamus? Te vero, quem praesentem intuemur, cujus mentem, sensusque, et os cernimus, ut, quicquid belli fortuna reliquum Reipublicae fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? Parietes a), medius fidius, C. Caesar, ut mihi videtur, hujus Curiae, tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum, et suis sedibus.

IV. Equidem cum C. Marcelli 1), viri optimi, et commemorabili pietate praediti, lacrymas modo vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit. Quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conservato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam, jam ad paucos redactam, pene ab interitu vindicasti. Hunc tu igitur diem tuis maximis, et innumerabilibus gratulationibus jure antepones. Haec enim res unius est propria C. Caesaris: ceterae, duce te, gestae, magnae illae quidem, sed tamen multo, magnoque comitatu. Hujus autem rei tu idem es, et dux, et comes, quae quidem tanta est, ut trophaeis, monumentisque * nulla umquam tuis allatura sit finem aetas: nihil est enim opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, et consumat vetustas: at vero haec tua justitia, et lenitas animi florescet quotidie magis, ita, ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat lau-

1) *C. Marcelli)* Qui se ad Caesaris pedes abjecerat. Is est, qui cum L. Lentulo Consul fuit anno primo civilis belli. Alter autem C. Marcellus M. Marcelli frater patruelis, non germanus, ut Suetonius docet, Consulatum gesserat anno proximo superiore cum L. Paulo. *Manutius*.

* Vict. Man. tuis nulla umquam.
Lamb. tuis nonnulla umquam.

ANALYSIS.

a) *Parietes)* Gratias agit, amplificat beneficium collatum familiae Marcellorum, et iterum cum bellicis laudibus virtutem clementiae comparat.

dibus. Et ceteros a) quidem omnes victores bellorum civilium jam ante aequitate, et misericordia viceras: hodierno vero die te ipsum vicisti. Vereor, ut hoc; quod dicam 1), non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse videris 2), cum ea ipsa, quae illa erat adepta, victis remisisti. Nam cum ipsius victoriae conditione jure omnes victi occidissemus, clementiae tuae judicio conservati sumus. Recte igitur unus invictus es, a quo etiam ipsius victoriae conditio, visque devicta est.

1) *Vereor, ut hoc, quod dicam)* Quod alibi docuimus, tota sententia differunt, *vereor ut, et vereor ne.* Vereor ut de re dicitur, quam cupimus contingere, sed veremur, ne non contingat, ut ad Terentiam: *sin homo amens diripiendam urbem daturus est, vereor, ut Dolabella ipse satis nobis prodesse possit.* Vereor ne, de re dicitur quae si eveniat, doleamus; sed veremur, ne eveniat: ut ad Caecinam: Vereor ne desideres officium meum. Lego igitur hic cum uno Cardinalis Borromaei, et altero Maffejorum libro: *Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse intelligens sentio.* Nec aliter legit hunc locum recitans, in Divinat. Pedianus. Fulvii Ursini liber dissentit in verbis, non tamen in sententia: habet enim: *Vereor ne hoc quod dicam, non perinde.* Quod idem valet. Nam *ne non* sunt pro *ut.* *Manutius.*

2) *Ipsam victoriam vicisse videris)* Durum hoc videri possit, nisi antecedentibus leniatur. Quo de genere quid senserit Asconius, ostendam. Nam cum illud in Divinitat. interpretaretur, *Etiam si tacent, satis dicunt:* subjunxit: *Tale illud est: cum tacent clamant: et victoriam ipsam vicisse videris: et, Philosophandum, est, etiam si non est philosophandum.* Haec in loco nec κακόζηλα nec ὀξύμωρα judicanda sunt:aut enim inferioribus dictis, aut supra positis leniuntur, ut est illud, *Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio.*

ANALYSIS.

a) *Et ceteros)* Cum hac laude clementiae jam ante vicerit Caesar reliquos omnes, in restituendo Marcello se quoque vicit; adeoque concludit ipsam victoriam a Caesare fuisse victam, quod tali ratione exsplicat:

„ Ille victoriam ipsam vincere videtur, qui praemia vi-
„ ctoriae victis remittit;

„ Caesar salutem omnium nostrum, qui victi fuimus,
„ suae victoriae debitam, nobis remisit;

„ Ergo suam ipsius victoriam vicisse videtur.

V. Atque hoc a) C. Caesaris judicium, Patres Conscripti, quam late pateat, attendite. Omnes enim, qui ad illa arma fato sumus nescio quo Reipublicae misero, funestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus. Nam cum M. Marcellum, deprecantibus vobis, Reipublicae Caesar conservavit; memet mihi, et item Reipublicae, nullo deprecante; reliquos amplissimos viros, et sibi ipsis, et patriae reddidit, quorum et frequentiam, et dignitatem hoc ipso in consessu videtis, non ille hostes b) induxit in Curiam, sed judicavit, a plerisque ignoratione potius, et falso, atque inani metu, quam cupiditate, aut crudelitate civile bellum esse susceptum 1). Quo quidem c) in bello semper de pace agendum, audiendumqne putavi, semperque dolui non modo pacem, sed orationem etiam civium, pacem efflagitantium, repudiari. Neque

1) *Civile bellum esse susceptum)* Expunsi civile volentibus Erfurtensi, Pithoeano, Dresdensi, Francii utroque, ut, et editione prima, aliisque vetustioribus. Parum etiam considerate, et non sine culpa reprehensionis, et offensae hic Tullius civilis belli meminisset. Grevius. Infra tamen, arma civilia. Quapropter non vecta omnibus, et certa doctissimi Graevii censura videbitur. Olivetus.

ANALYSIS.

a) *Atque hoc)* Amplificat etiam beneficium a Consequentibus hoc modo:

„ Magnum nobis beneficium Caesar facit, si, judicat, „ nos contra illum stetisse non odio, sed errore lapsos;
„ Sed restituto Marcello tale fuit illius de nobis judicium;
„ Ergo non Marcello solum, sed nobis omnibus fecit be„ neficium.

b) *Non ille hostes) Assumptionis* approbatio; nam suos hostes numquam ille induxisset in Curiam, adeoque non putavit nos hostes, quos induxit.

c) *Quo quidem)* Duo sequuntur argumenta in laudem Caesaris, quorum primum ita se habet *ab Effectibus*:

„ Qui victor pacis auctores servat, ante victoriam paci „ studuit magis, quam bello;
„ Sed Caesar victor pacis auctores servavit, cum ce„ teris esset iratior:
„ Ergo ante victoriam paci studuit magis, quam bello.

Quo efficitur, ut alius quicumque potius, quam Caesar videatur auctor fuisse belli Civilis.

enim ego illa, nec ulla umquam sequutus sum arma civilia, semperque mea consilia, pacis, et togae socia, non belli, atque armorum fuerunt. Hominem sum sequutus privato officio, non publico 1): tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens et sciens, tamquam ad interitum ruerem voluntarium.

Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit. Nam et in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, et in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. Ex quo nemo erit tam injustus rerum aestimator, qui dubitet, quae Caesaris voluntas de bello fuerit, cum pacis auctores conservandos statim censuerit, ceteris fuerit iratior. Atque id minus mirum fortasse tum, cum esset incertus exitus, et anceps fortuna belli. Qui vero victor pacis auctores diligit, is profecto declarat, se maluisse non dimicare, quam vincere.

VI. Atque hujus quidem rei M. Marcello sum testis. Nostri enim sensus, ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum, et quanto cum dolore vidi cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriae ferocitatem exstimescentem? Quo gratior a) tua liberalitas, C. Caesar, nobis, qui illa vidimus, debet esse. Non enim jam caussae sunt inter se, sed victoriae comparandae.

Vidimus tuam victoriam praeliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in Urbe non vidimus. Quos amisimus cives, eos Martis vis perculit,

1) *Privato officio, non publico)* Quia Pompejo debebant non quia Caesaris caussam condemnarem. *Manut.*

ANALYSIS.

a) *Quo gratior)* Alterum argumentum, quo victoris Caesaris laudatur clementia, sumitur a Dissimilium Comparatione; eo laudibilior est in victore Caesare clementia, quo crudelior futura erat alterius partis victoria; utramque vero Comparationis partem pertractat.

non ira victoriae, ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conservat, quos potest. Alterius vero partis, nihil amplius dicam, quam id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modo armatis; sed interdum etiam otiosis minabantur: nec, quid quisque sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: ut mihi quidem videantur, Dii immortales, etiam si poenas a Populo Romano ob aliquod delictum expetiverunt, qui civile bellum tantum, et tam luctuosum excitaverunt, vel placati jam, vel etiam satiati aliquando, omnem spem salutis ad clementiam victoris, et sapientiam contulisse.

Quare a) gaude tuo isto tam exscellenti bono; et fruere cum fortuna, et gloria, tum etiam natura, et moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus, jucunditasque sapienti. Cetera cum tua recordabere; etsi persaepe virtuti, tamen plerumque felicitati tuae congratulabere. De nobis, quos in Republica tecum simul salvos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis: quae non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi, et consilii dignitas, ut haec a virtute donata: cetera a fortuna commodata esse videantur. Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate praesertim, aut pravitate aliqua lapsis, sed opinione officii, stulta fortasse, certe non improba, et specie quadam Reipublicae. Non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt: contraque summa laus, quod plerique minime timendum fuisse senserunt.

ANALYSIS.

a) *Quare)* Concludit pulcherrima gratulatione, et hortatione ad Caesarem, ut aliis etiam bonis viris conservandis libenter animum adjiciat.

CONTENTIONIS II. PARS.

VII. Nunc vero a) venio 1) ad gravissimam querelam, et atrocissimam suspicionem tuam, quae non tibi ipsi magis, quam cum omnibus civibus, tum maxime nobis, qui a te conservati sumus, providenda est. Quam etsi spero esse falsam, numquam tamen verbis exstenuabo. Tua enim cautio, nostra cautio est: ut, si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens? De tuisne? b) tametsi qui magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti? An ex eo c) numero, qui una tecum fuerunt? non est credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia summa sit adeptus, hujus vitam non anteponat suae. At si tui nihil cogitant sceleris, cavendum est, ne quid inimici. Qui? omnes enim qui fue-

1) *Nunc vero venio)* Jam ante monuimus orationem qua Caesar Marcellum restituit, in partes fuisse distributam duas. Altera fuit accusatio Marcelli, et veniae concessio: cum accusata ejus acerbitate, praeter spem dixit se Senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem caussa negaturum. Altera fuit querela, cum ajens se toto decursu bellorum civilium eam unam vincendi rationem habuisse, ut se misericordia, et liberalitate muniret, sibi tamen in pace insidias comparari Orator jam priori parti respondit laudans Caesaris clementiam: nunc ad posteriorem delabitur. Abram.

ANALYSIS.

a) *Nunc vero)* Senatu pro Marcello deprecante, questus fuerat Caesar, sibi a quibusdam insidias parari. Cicero hujusmondi suspicionem non esse negligendam affirmat deinde falsam esse probat ab Adjunctis:

„ Improbabile est, tibi a tuis, et de quibus bene me-
„ ruisti insidias strui;
„ Sed omnes tui sunt, et de quibus bene meruisti;
„ Ergo improbabile est, esse qui tibi insidias struant.

b) *De tuisne?)* *Assumptionis* primi pars.

c) *An ex eo)* Secunda pars, et in primis quoad Caesarianos; sequitur postea idem etiam ostendere de Pompejanis a Caesare servatis.

runt, aut sua pertinacia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt: ut aut nulli supersiut de inimicis, aut qui superfuerunt, amicissimi sint.

Sed tamen a), cum in animis hominum tantae latebrae sint, et tanti recessus, augeamus sane suspicionem tuam: simul enim augebimus et diligentiam. Nam quis est b) omnium tam ignarus rerum, tam rudis in Republica, tam nihil umquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, tua salute contineri suam; et ex unius tua vita pendere omnium? Equidem de te dies, noctesque, ut debeo, cogitans, casus dumtaxat humanos, et incertos eventus valetudinis, et naturae communis fragilitatem extimesco: doleoque, cum Respublica immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere. Si vero ad humanos casus, incertosque eventus valetudinis, sceleris etiam accedat, insidiarumque consensio: quem Deum, si cupiat, opitulari posse Reipublicae credamus?

VIII. Omnia sunt c) exscitanda tibi, C. Caesar, uni, quae jacere sentis, belli ipsius impetu; quod necesse fuit, perculsa, atque prostrata: constituenda judicia, revocanda fides 1), comprimendae libidines,

1) *Revocanda fides)* Cicero secundo officiorum: *Quamobrem ne sit aes alienum, quod Reipublicae noceat, providendum est. Si hoc non fuerit ut locupletes suam per-*

ANALYSIS.

a) *Sed tamen)* Suspicionem auget, et ad cavendum hortatur, pariter *ab Adjunctis:*

„Ille sibi cavere maxime debet, cujus vita pendet „Reip. salus:

„Sed in vita Caesaris continetur salus Reipublicae:

„Ergo sibi cavere maxime Caesar debet,

b) *Nam quis est) Assumptio*, unde Cicero suum profitetur timorem, ne morbo oppressus Caesar intereat, ne dum circumventus insidiis.

c) *Omnia sunt) Assumptionis* approbatio; ideo in vita Caesaris Reip. salus continetur, quia Resp. infirma non poterat curari, nisi a Caesare.

propaganda soboles 1): omnia, quae dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vincenda sunt. Non fuit recusandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore, et armorum, quin quassata Respublica, quicumque belli eventus fuisset, multa perderet, et ornamenta dignitatis, et praesidia stabilitatis suae: multaque uterque dux faceret armatus, quae idem togatus fieri prohibuisset. Quae quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda sunt: quibus, praeter te, mederi nemo potest.

Itaque a) illam tuam praeclarissimam et sapientissimam vocem invitus audivi: satis te diu vel naturae vixisse, vel gloriae. Satis, si ita vis, naturae fortasse; addo etiam, si placet, gloriae: at, quod maximum est, patriae certe parum. Quare omitte, quaeso, istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse. Saepe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse. Credo: sed tum id audirem, si tibi soli viveres, aut si tibi etiam soli natus esses. Nunc, cum omnium salutem civium, cunctamque Rempublicam res tuae gestae complexae sint; tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum jeceris. Hic tu modum tuae vitae, non salute Reipublicae, sed aequitate animi definies 1)? Quid, si a) istud ne glo-

dant, debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res vehementius Rempublicam continet, quam fides, quae esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. Quomodo autem Caesar fidem revocarit, tradit Suetonius, cap. 42. Abram.

1) *Propaganda soboles)* Diu multumque non Caesari solum, sed etiam Augusto cum profligatis hominum moribus luctandum, fuit ut cives suos ad veras legitimasque nuptias, et propagationem sobolis educationemque liberorum inducerent. Vide Tranquillum in Julio, cap. 42. nec non in Octavio, cap. 34. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Itaque)* Hinc redarguit Caesari dictum, dum quereretur de insidiis: et contendit, illum non satis vixisse Patriae, licet satis, et naturae vixerit, et gloriae, hoc autem pendet ex supra dictis.

riae quidem tuae satis est? cujus te esse avidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis.

Parumne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? Immo vero aliis, quamvis multis, satis: tibi uni parum. Quicquid enim b) est, quamvis amplum sit, id certe parum est tum, cum est aliquid amplius. Quod si rerum tuarum immortalium, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adversariis, Rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est; vide, quaeso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriae: siquidem gloria est illustris, ac pervagata multorum, et magnorum, vel in suos, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum.

IX. Haec igitur c) tibi reliqua pars est, hic restat actus 2); in hoc elaborandum est, ut Rem-

1) *Hic tu modum tuae vitae .... aequitate animi definies?)* Id est, putasne te propterea satis vixisse, quod aequo animo, et citra indignationem mori potest, et annos praeteritos non requiris? Aequitatem animi dicimus, rectam animi constitutionem, tranquillamque affectionem omni indignatione vacantem, Budaeus.

2) *Hic restat actus)* Tamquàm fabulae, qui debet esse ultimo loco perfectissimus. Qua sententia scripsit ad Q. fratrem: *Illud te ad extremum et oro, et hortor, ut, tamquam Poetae boni, et auctores industrii solent sic tu in*

ANALYSIS.

a) *Quid, si)* Probat ne gloriae quidem satis diu eum vixisse, tali ratione.

„Ille non satis diu gloriae vixit, cui restat id agendum,
„ex quo maxima gloria pendet:
„Sed Caesari restat constituenda Res. unde maxima
„gloria futura est:
„Ergo satis diu gloriae Caesar non vixit.

b) *Quicquid enim)* Propositionis approbatio, quam praeterea illustrat e Definitione gloriae: non esse negligendum id, ex quo summa gloria proficiscitur.

c) *Haec igitur)* Assumptio, et ostendit caeteras res Caesaris gestas multum admirationis apud omnes habituras, apud quosdam malevolos parum gloriae: at si Remp. bene constituat, futurum neminem, qui non illud summa gloria dignum existimet.

publicam constituas, eaque tu in primis cum summa tranquillitate et otio perfruare; tum te, si voles, cum et patriae, quod debes, solveris, et naturam ipsam exspleveris satietate vivendi, satis diu vixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum, quod cum venerit, omnis voluptas praeterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit? Quamquam iste tuus animus numquam his angustiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, semperque immortalitatis amore flagravit.

Nec vero haec tua ducenda est, quae corpore, et spiritu continetur. Illa, inquam, illa vita est tua, Caesar, quae vigebit memoria saeculorum omnium: quam posteritas alet, quam ipsa aeternitas semper tuebitur. Huic tu inservias, huic te ostentes, oportet: quae quidem, quae miretur, jampridem multa habet; nunc, etiam quae laudet, exspectat. Obstupescent posteri certe imperia, Provincias, Rhenum 1), Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes, et legentes tuos. Sed, nisi haec Urbs stabilita tuis consiliis et institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe atque late; sedem quidem stabilem, et domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio, cum alii laudibus ad caelum res tuas gestas efferent: alii fortasse aliquid requirent idque vel maximum, nisi bellis civilis incendium salute patriae restinxeris: ut illud fati fuisse videatur, hoc consilii. Servi igitur iis etiam Judicibus, qui multis post saeculis de te judicabunt: et quidem haud scio, an incorruptius,

extrema parte, et conclusione muneris; ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui, tamquam tertius actus perfectissimus, atque ornatissimus fuisse videatur. Manut.

1) *Rhenum)* Germanos a te victos. Oceanum. Britannos. Nilum, Alexandrinos. Monumenta, a te extructa. Munera, a te publice data. Idem.

quam nos. Nam et sine amore, et sine cupiditate, et rursus sine odio, et sine invidia judicabant. Id autem etiam si tunc ad te, ut quidam falso putant 1), non pertinebit, nunc certe pertinet, esse te talem, ut tuas laudes obscuratura nulla unquam sit oblivio.

X. Diversae voluntates civium fuerunt, distractaeque sententiae. Non enim consiliis solum et studiis, sed armis etiam, et castris dissidebamus. Erat autem obscuritas quaedam, erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esset: multi, quid sibi expediret: multi, quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta Respublica est hoc misero, fatalique bello: vicit is qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret: nec qui omnes, quibus iratus esset, eosdem etiam exilio, aut morte dignos judicaret. Arma ab aliis erepta sunt. Ingratus est, injustusque civis, qui, armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, quam qui in caussa animam profudit. Quae enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest. Sed jam omnis fracta dissensio est armis, et exstincta aequitate victoris: restat, ut omnes unum velint, qui modo habent aliquid non solum sapientiae, sed etiam sanitatis. Nisi te, C. Caesar, salvo, et in ista sententia, qua cum antea, tum hodie vel maxime usus es, manente, salvi esse non possumus. Quare a) omnes te, qui haec salva esse volumus, et hortamur, et obsecramus, ut vitae, ut saluti tuae consulas: omnesque tibi, ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipse sentio, quoniam subesse aliquid putas, quod cavendum sit, non modo excubias, et custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus, et corporum pollicemur.

1) *Falso putant)* Mori cum corpore animum credentes. Idem.

ANALYSIS.

a) *Quare)* concludit hortando, ut caveat, suamque, et senatus operam ad illius praesidium pollicetur.

PERORATIO.

XI. Sed, unde a) est orta, in eodem terminetur oratio. Maximas tibi omnes gratias agimus, C. Caesar, majores etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt: quod ex omnium precibus, et lacrymis sentire potuisti. Sed quia non est stantibus omnibus 1) necesse dicere; a me certe dici volunt, cui necesse est quodammodo, et quod volunt, et quod M. Marcello, a te huic Ordini, Populoque Romano, et Reipublicae reddito, praecipue id a me fieri debere intelligo. Nam laetari omnes, non ut de unius solum, sed ut de communi omnium salute, sentio.

Quod autem summae benevolentiae est, quae mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo, et amantissimo fratri, praeter eum quidem, cederem nemini, cum id sollicitudine, cura, labore tamdiu praestiterim, quamdiu est de illius salute dubitatum: certe hoc tempore, magnis curis molestiis, doloribus liberatus, praestare debeo. Itaque, C. Caesar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus a te non conservato solum, sed ornato, tamen ad tua innumerabilia in me unum merita 2), quod

1) *Stantibus omnibus*) E more veteri Senatorum, qui aut sententiam suam ipsi, et si quid vellent praeterea, dicebant, idque stantes: aut quibus videbatur, assentiebantur sedentes. Epistola ad Q. Metellum. *Guillelmus*.

2) *Ad tua innumerabilia in me unum merita*) Vis est in singulis verbis. Primum: *merita*, vocat: quae majora sunt, quam studia, officia, beneficia: deinde addit, *innumerabilia*: postremo, *in me unum*. Haec augeri non videntur posse: augentur tamen subjectis verbis, *maximus cumulus accesserit*. Non enim aliquid ait accessisse, sed cumulum: nec simpliciter cumulum, sed maximum. Eo-

ANALYSIS.

a) *Sed unde*) Caesari gratias agit, tum communi omnium nomine, tum deinde suo.

fieri jam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

dem id pertinet; *quod fieri jam posse non arbitrabar*. Nec illud sine judicio prolatum, *hoc tuo facto.* Nam, *hoc tuo merito* languidius esse videbatur, praesertim cum dixisset, *Ad tua innumerabilia in me unum merita* : quae Marcelli salutem vehementer aucta significat. Manutius.

PRO REGE DEJOTARO

AD CAJUM CAESAREM

ORATIO

ARGUMENTUM.

Ut eas Regiones, in quibus versamur, et eos homines quibuscum vivimus: ita ea loca, eosque homines, de quibus quotidie audimus, nosse jucundum est: principio quaedam de Gallograecia, in qua regnavit Dejotarus: tum de ipso Dejotaro nonnulla dicam, quae neque ipsa per se cognitu indigna sint, et quasi facem praeferant nobis ad hanc orationem facilius intelligendam. Galatia igitur, quae alio nomine Gallograecia vocatur, Asiae Regio est, Phrygiae, Bithyniae, et Armeniae minori contermina: dicta ex eo, quod illam antiquissimis temporibus, Tectosages, et alii quidam Galliae Populi, pulsis indigenis occuparunt. Ita enim apud Suidam legimus. Cum tanta hominum multitudo exscrevisset in Gallia, ut Regio ipsa, quamvis ferax, vix eis alendis suffectura videretur, trecenta Gallorum millia in Asiam venisse, et sedes posuisse ea in parte, quae ex ipsis Galatia, aut Gallograecia vocata est. Qua de re verba haec sunt Lactantii libro tertio ad Probum: *Galli antiquitus à candore corporis Galatae nuncupabantur et Sibylla siccos appellat*: Quod significare voluit Poeta, cum ait:

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris, et dono noctis opacae.
Aurea caesaries ollis, atque aurea vestis.
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Aureo innectuntur. *Aen. VIII.* 657.

Cum posset dicere, *candida*. Hinc utique Gallia Provincia, in quam Galli aliquando venientes, cum Graecis se miscuerunt. Unde primum ea Regio Gallograecia, post Galatia nominata est. S. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis: *Galatia Provincia Asiae, a Gallis vocabulum trahens, qui in auxilium à Rege Bithyniae evocati, regnum cum eo, parta victoria, diviserunt. Sicque deinde Graecis admixsti, primo Gallo-*

graeci, post Galatae sunt appellati. Eorum Metropolis est Ancyra. Temporibus Sancti Hieronymi non Graece, sed Trevirorum lingua adhuc loquebantur, post tantum temporis intervallum, adhuc ipso vocis sono testantes originem suam. Eum, quo duce profecti sunt, alii Leonem, Strabo Leonorium vocat. Qui et ipse lib. XII. iisdem narratis, ait eam olim divisam fuisse in 4. Tetrarchas: inde in tres: in duas: totam tandem cessisse Dejotaro: ac postremo in Provinciae formam redactam esse. Sed Hirtius, eam occupatam fuisse a Dejotaro, aliis Tetrarchis id injuria fieri querentibus. De quo ipso Dejotaro tempus est pauca dicendi.

Adjuverat Imperatores Romanos toto vitae suae tempore in iis bellis, quae Romani in Asia gesserant. Et ipse vicissim a Roma Rex ex Tetrarcha factus, et magna parte regni auctus fuerat. Donaverat etiam ei sive Pompejus, sive Senatus, Armeniam minorem. Et multa decreta honorificentissima in eum facta erant. Auctor tum idem Strabo, lib. 12. tum Cicero, cujus haec sunt ad finem hujus orationis: *Quae enim fortuna, aut quis casus, aut quae tanta possit injuria omnium Imperatorum de Dejotaro decreta delere? Ab omnibus enim est ornatus, qui postquam in castris esse potuit per aetatem, in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria bella gesserunt. etc.* Eumdem in orat. de Harusp. Respublica saepe a Senatu, regali nomine dignum existimatum, clarissimorum Imperatorum testimoniis ornatum esse dicit. In hac ipsa: *Habebatur autem non solum Tetrarchas nobilis, sed etiam optimus paterfamilias, et diligentissimus agricola, et pecuarius.* De eo, de Harusp. responsis: *quem unum habemus in Orbe terrarum fidelissimum huic imperio, atque amantissimum nostri nominis Regem.* Et Philip. II. *Dejotari Regis, et patris, et filii, et magnus, et nostro more instructus exercitus. Summa in filio spes, summa ingenii indoles, summa virtus. Quid de patre dicam? cujus benevolentia in Populum Romanum est ipsius aequalis aetati. Qui non solum socium Imperatorum nostrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum suarum? quae de illo viro Sylla, quae Murena, quae Servilius, quae Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam graviter saepe in Senatu praedicaverunt? Quid de Cn. Pompejo loquar, qui unum Dejotarum in toto*

Orbe terrarum ex animo amicum, vereque benevolum, unum fidelem Populo Romano judicavit? Inter cetera Pompejum in Mithridatico bello egregie adjuverat: et ob id ab eo Armeniae minoris regno donatus erat. *Eutrop. lib.* VI. Fuit peritissimus auspiciorum. Nihil nisi auspicato gerebat. *Vide lib.* I. *de Divin. cap.* 15. Adjuvit Pompejum in bello civili, et ipse in pugna Pharsalica praesens fuit. Cumque ob id a Caesare, et pecunia, et parte regni multatus esset, negabat tamen se auspiciorum, quae sibi ad Pompejum proficiscenti facta essent, poenitere. *Ibidem.* Ignovit tamen ei Caesar, cum Pharnaci ignoscere noluerit, *Hirtius*, et ei partem dedit eorum, quae Pharnaci abstulerat. Dejotarus mortuo Caesare sua recuperavit: *Philippica II.* 37. Adjuvit Brutum, cum Cassium novisset extreme senex. *Dio* libro Quadragesimo septimo. Dictum ipsius in Crassum adversus Parthos proficiscentem, refert Plutarchus in Crasso. Crudelitas in filios: Plutarchus *de Stoicis contrariet.* *Ego cap. pen. lib.* VIII. *Variarum lect.* Item in Castorem Saocondarium generum, et in filiam suam, Strabo lib. XII. Accusatus est a nepote, quod Caesarem domi suae interficere voluisset. Defenderunt Cicero, et Brutus. *Muretus.*

ORATIONIS SYNOPSIS.

ORatio est in genere *Judiciali*: an Dejoratus fecerit insidias Caesari; partes tres, *Exordium*, *Contentio*, et *Peroratio*.

Exorditur *a Caussis* sui timoris, quas quinque affert: *Cum in omnibus*, ad *attentionem*, et *benevolentiam* Caesaris conciliandam.

In *Contentionis* prima parte Caesarem placat *ab Adjunctis*, quod semel ignoverit Dejotaro: *Quamobrem hoc nos*: et quia levissima erat illius culpa, *Quamquam, cui sunt*, deinde etiam a meritis Dejotari in Caesarem: *Itaque Pharsalico praelio.*

In secunda parte *ab Adjunctis* probat, non fuisse factas insidias a Dejotaro, qui vir esset prudens, et sanctus. *Ut enim omittam*. Crimen ipsum pariter *ab Adjunctis* ostendit minime esse credibile: *Ego mehercule, C. Caesar.*

Deinde reliqua diluit objecta eodem modo: *Reliqua pars accusationis;* et quae arguebant alienum a Caesare animum, refellit, quippe minime credibilia, et in primis *a Repugnantibus: Alieno autem, a te animo*. Invehitur in Castorem: *Imitari potius*, et de literis Blesamj respondet *At quam acute*.

In *Peroratione* probat Dejotarum non esse iratum Caesari: *Nihil a me arbitror:* Dejotarum clementiae Caesaris commendat *Non debeo, C. Caesar*, et illius innocentiam fide Legatorum confirmat: *Corpora vero sua*.

EXORDIUM.

I. CUM in a) omnibus caussis gravioribus, C. Caesar, initio dicendi commoveri soleam vehementius, quam videtur vel usus, vel aetas mea postulare, tum in hac caussa ita me multa perturbant, ut, quantum mea fides studii mihi afferat ad salutem Regis Dejotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. Primum dico pro capite, fortunisque 1)

1) *Pro capite, fortunisque)* Etiam alibi notavimus in hujusmodi locutionibus non degenerare orationem: plusque esse de fortunis, quam de capite dimicare. Quod verum est tantum in minima capitis minutione, aut etiam in media: Paullus D. de Capite minutis: *Capitis diminutionis tria genera sunt, maxima, media, minima. Tria enim sunt quae habemus libertatem, civitatem, familiam. Igitur cum omnia haec amittimus, hoc est libertatem, et civitatem, et familiam, maximam esse capitis diminutionem: cum vero amittimus civitatem, libertatem retine-*

ANALYSIS.

a) *Cum in)* Attentionem sibi, et benevolentiam Caesaris conciliat, sumpto argumento ab Adjunctis sui timoris, hoc modo:

Regis: quod ipsum etsi non iniquum est, in tuo dumtaxat periculo 1), tamen est ita inusitatum, Regem capitis reum esse, ut ante hoc tempus non sit auditum. Deinde eum Regem, quem ornare antea cuncto cum Senatu solebam pro perpetuis ejus in nostram Rempublicam meritis, nunc contra atrocissi-

mus, mediam esse capitis diminutionem: cum et libertas et Civitas retinetur, familiam tantum mutatur, minimam tantum capitis diminutionem constat. De capite igitur fortunisque Dejotarus dimicabat, quia si fuisset convictus, statum fortasse mutasset, et e rege factus fuisset privatus: quae videtur esse quaedam capitis minutio: vel etiam Civitatem perdidisset, in exilium actus, quod minus est quam fortunas omnes amittere: multi enim exules secum fortunas suas auferebant. Cum igitur dicit Orator, pro capite, fortunisque, auget vim orationis: quia non omnis qui capite minuitur, etiam fortunas suas amittit. Ab.

1) *In tuo dumtaxat Periculo)* Nam si quis est, qui contra tuam salutem aliquid moliatur, aut cogitet, eum, quicumque est, in judicium vocari oportere, numquam negaverim. Manutius.

ANALYSIS.

„ Timidus, et perturbatus Orator attente, et benevole „ audiendus est:

„ Sed me pro Dejotaro dicentem multa perturbante:

„ Ergo Caesar attente, et benevole audire debet.

Quinque autem caussas affert sui timoris: 1. naturam suam, 2. quod de capite Regis dicat: id enim erat inusitatum 3. quod nepos, et servus avum, et dominum accusaret: 4 quod Caesar sui ipsius judex esset 5. quod non in foro, sed intra domesticos parietes caussa ageretur.

mum crimen cogor defendere. Accedit, ut accusatorum alterius crudelitate, alterius indignitate conturber. Crudelis Castor est, ne dicam sceleratum, et impium, qui nepos avum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiaeque suae terrorem intulerit ei, cujus senectutem tueri, et tegere debebat commendationemque ineuntis aetatis ab impietate, et scelere duxerit: avi servum, corruptum praemiis, ad accusandum dominum impulerit, et a legatorum pedibus abduxerit. Fugitivi autem dominum accusantis, et dominum absentem, et dominum amicissimum nostrae Reipublicae, cum os videbam, cum verba audiebam, non tam afflictam regiam conditionem dolebam, quam de fortunis communibus exstimescebam. Nam, cum more majorum de servo in dominum, ne tormentis quidem, quaeri liceat: in qua quaestione dolor veram vocem elicere possit, etiam ab invito: exortus est servus, qui, quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus.

II. Perturbat me, C. Caesar, etiam illud interdum: quod tamen, cum te penitus recognovi, timere desino. Re enim iniquum est, sed tua sapientia fit aequissimum. Nam dicere apud eum de facinore, contra cujus vitam consilium facinoris inisse arguare, si per se ipsum consideres, grave est. Nemo enim fere est, qui sui periculi judex, non sibi se aequiorem, quam reo, praebeat: Sed tua, C. Caesar, praestans, singularisque natura hunc mihi metum minuit. Non enim tam timeo, quid tu de Rege Dejotaro, quam intelligo, quid de te ceteros velis judicare.

Moveor etiam loci ipsius insolentia, quod tantam caussam, quanta nulla umquam in disceptatione versata est, dico intra domesticos parietes, dico extra conventum, et eam frequentiam, in qua Oratorum studia niti solent, in tuis oculis, in tuo ore, vultuque acquiesco: te unum intueor: ad te unum omnis mea spectat Oratio: quae mihi ad spem obtinendae veritatis gravissima sunt, ad motum animi, et ad omnem impetum dicendi, contentionemque leviora.

Hanc enim, C. Caesar, caussam si in foro dicerem, eodem audiente, et disceptante te, quantam mihi alacritatem Populi Romani concursus afferret? quis enim Civis ei Regi non faveret, cujus omnem aetatem in Populi Romani bellis consumptam esse meminisset?

Spectarem Curiam, intuerer forum, caelum denique testarer ipsum. Sic, cum, et Deorum immortalium, et Populi Romani, et Senatus beneficia in Regem Dejotarum recordarer, nullo modo mihi deesse posset oratio. Quae quoniam a) angustiora parietes faciunt, actioque caussae maxime debilitatur loco, tuum est, Caesar, qui pro multis saepe dixisti, quid nunc mihi animi sit, ad te ipsum referre: quo facilius tum aequitate tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam.

CONTENTIONIS I. PARS.

III. Sed antequam b) de accusatione ipsa dico, de accusatorum spe pauca dicam: qui cum videantur neque ingenio, neque usu, atque exercitatione rerum valere, tamen ad hanc caussam non sine aliqua spe, et cogitatione venerunt. Iratum te Regi Dejotaro fuisse non erant nescii: affectum illum quibusdam incommodis 1), et detrimentis, propter offensionem a-

1) *Quibusdam incommodis)* Adempta Galatiae parte, et Armenia minore, quam ei Senatus antea largitus erat. *Man.*

ANALYSIS.

a) *Quae quoniam)* Syllogismi Complexio.

b) *Sed antequam)* Accusatores putabant, probabile fore crimen, quod videretur Dejotarus Caesari iratus ob ademptam regni partem, certam etiam damnationem, propter iram Caesaris in Dejotarum, qui Civili bello Pompejum sequutus fuerat. Primum illud Cicero diluit in fine orationis: iram Caesaris hoc loco mitigat tribus rationibus.

nimi tui 1), meminerant: teque cum huic iratum, tum sibi amicum cognoverant 2): cumque apud ipsum te de tuo periculo dicerent, fore putabant, ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret. Quamobrem a) hoc nos primum metu, C. Caesar, per fidem, et constantiam, et clementiam tuam, libera, ne residere in te ullam partem iracundiae suspicemur. Per dexteram b) te istam oro, quam regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti: istam, inquam, dexteram, non tam in bellis, et in praeliis, quam in promissis, et fide firmiorem. Tu illius c) domum inire, tu vetus hospitium renovare voluisti: te ejus dii penates acceperunt: te amicum, et placatum Dejotari regis arae, focique viderunt.

Cum facile d) exorari, Caesar, tum semel exorari soles. Nemo umquam te placavit inimicus, qui ullas resedisse in te simultatis reliquias senserit. Quamquam e) cui sunt inauditae cum Dejotaro querelae

1) *Propter offensionem animi tui)* Vitat mentionem belli civilis, quo Caesarem Dejotarus, pro Pompejo pugnans, offenderat. Idem.

2) *Tum sibi amicum cognoverant) Sibi* te scilicet sibi ipsi. Ostendunt id ea quae statim sequuntur. Haec dico, quod aliquis forte existimet, τὸ *sibi*, ad ipsos qui cognoverant, non ad ipsum quem cognoverant, referri oportere. Est enim reciprocorum istorum usus lubricus admodum et anceps. Hactenus olim: Nunc quod tanto ante praedixi, ecce venit. Manutius enim noster, τὸ *sibi*, id est Castori, et tantum non Philippo interpretatur. Videndum. *Patris.*

ANALYSIS.

a) *Quamobrem)* In primis igitur sic arguit *ab Adjunctis*:

„ Illi Caesar non debet esse iratus, cui semel ignovit:
„ Sed Dejotaro Caesar semel ignovit:
„ Ergo illi non debet esse amplius iratus.

b) *Per dexteram)* Hac obsecratione totum argumentum continetur.

c) *Tu illius) Assumptio* separatim repetitur.

d) *Cum facile) Propositio* subsequitur.

e) *Quamquam)* Deinde pariter *ab Adjunctis*, tali ratione:

tuae? Numquam tu illum accusavisti ut hostem, sed ut amicum officio parum functum, quod propensior in Cn. Pompeii amicitiam fuisset, quam in tuam. Cui tamen ipsi Regi 1) veniam te daturum fuisse dicebas, si tum auxilia Pompejo, vel si etiam filium misisset, ipse tamen exscusatione aetatis usus esset. Itaque cum maximis eum rebus liberares, perparvam amicitiae culpam relinquebas.

Itaque non solum in eum non animadvertisti, sed omni metu liberavisti, hospitem agnovisti, Regem reliquisti. Neque enim ille odio tui progressus, sed errore communi lapsus est. Is Rex, quem Senatus hoc nomine saepe honorificentissimis decretis appellavisset, quique illum ordinem ab adolescentia gravissimum, sanctissimumque duxisset, iisdem rebus est perturbatus, homo longinquus, et alienigena, quibus nos in media Republica nati semperque versati.

IV. Cum audiret Senatus consentientis auctoritate arma sumpta: Consulibus, Praetoribus, Tribunis Plebis, novis Imperatoribus 2) Rempublicam defenden-

1) *Cui tamen ipsi Regi)* Optimi codices Erfurtensis, Coloniensis, et Pithoei: *cui tamen ipsi rei*, quod propensior scilicet fuisset in Pompeii amicitiam, quam in tuam, *te veniam daturum fuisse dicebas*, etc. Omnia nunc sunt liquida: nusquam ullae salebrae, ullae morae. Miror Lambinum veram scripturam cum reperisset, eam in suis codicibus non probasse. Graevius.

2) *Novis Imperatoribus)* Legendum *nobis imperatoribus*, Cicero enim cum Ciliciam Provinciam obtineret, ob res praeclare gestas appellatus est imperator, et e Provincia decedens incidit in ipsam flammam belli civilis,

ANALYSIS.

„ Levissimam culpam facile debet condonare Caesar;
„ Sed levissima fuit Dejotari culpa:
„ Ergo eam condonare facile Caesar debet.

Quamquam) Assumptionem confirmat ab ipsius Caesaris, testimonio, qui Dejotarum non scelerate, sed parum amice secum egisse judicaverat: et ab auctoritate tum Senatus, tum Pompeii, qui eum ad bellum invitaverant, quod *ab Adjunctis* personarum, *et a Comparatione majorum* mire amplificat.

dam datam, movebatur animo, et vir huic imperio amicissimus de salute Pop. Romani exstimescebat, in qua etiam suam inclusam esse videbat. In summo tamen timore quiescendum sibi esse arbitrabatur. Maxime vero perturbatus est, ut audivit, Consules ex Italia profugisse: omnesque consulares, (sic enim nuntiabatur) cunctum Senatum, totam Italiam esse effusam. Talibus enim nuntiis, et rumoribus patebat ad Orientem via, nec ulli veri subsequebantur. Nihil ille de conditionibus tuis, nihil de studio concordiae, et pacis, nihil de conspiratione audiebat certorum hominum 1) contra dignitatem tuam. Quae cum ita essent, tamen usque eo se tenuit, quod a Cn. Pompejo ad eum legati, literaeque venerunt.

Ignosce, ignosce, Caesar, si ejus viri auctoritati Rex Dejotarus cessit, quem nos omnes sequuti sumus: in quem cum Dii, atque homines omnia ornamenta congessissent, tum tu ipse plurima, et maxima. Neque enim si tuae res gestae ceterorum laudibus obscuritatem attulerunt, idcirco Cn. Pompeii memoriam amisimus. Quantum nomen ejus fuerit, quantae opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores Populi Romani, quanti Senatus, quanti tui, quis ignorat? Tanto ille superiores vicerat gloria, quanto tu omnibus praestitisti. Itaque Cn. Pompeii bella, victorias, triumphos, Consulatus, admirante numerabamus: tuos enumerare non possumus.

eique ut reliquis Proconsulibus, qui ad Urbem aderant, a Senatu mandatum, ut videret ne quid Respublica detrimenti pateretur. *Abram.* Omnino sic legendum esse nos docet Ciceronis epistola ad Tironem. Fam. XIV. 11. *Postea quam Senatus Consulibus, Praetoribus, Tribunis Plebis*, et nobis, *qui Proconsules sumus*, etc. Quo modo unus e quatuor nostris edidit Manutius. Alia lectio, quam incautus admiseram, in erratorum numero habeatur velim. *Olivet.*

1) *Certorum hominum)* L. Domitii, P. Scipionis, M. Bibuli, M. Catonis: quorum alios ad bellum spes rapinarum, alios Caesaris odium, et privatae inimicitiae impellebant. *Manutius.*

V. Ad eum igitur Rex Dejotarus venit, hoc misero, fatalique bello, quem antea justis, hostilibusque bellis adjuverat; quocum erat non hospitio solum, verum etiam familiaritate conjunctus: et venit vel rogatus, ut amicus; vel arcessitus, ut socius; vel evocatus, ut is, qui Senatui parere didicisset: postremo venit, ut ad fugientem, non ut ad insequentem, id est ad periculi, non ut ad victoriae societatem. Itaque a), Pharsalico praelio facto, a Pompejo discessit 1): spem infinitam persequi noluit. Vel officio, si quid debuerat; vel errori, si quid nescierat, satis factum esse duxit: domum se contulit: teque Alexandrinum bellum gerente, utilitatibus tuis paruit 2).

Ille exercitum Cn. Domitii 3), amplissimi viri, suis tectis, et copiis substentavit: ille Ephesum ad eum quem tu ex tuis fidelissimum, et probatissimum o-

1) *A Pompejo discessit)* Pompejo acie Pharsalica superato, reversus est ad suam Tetrarchiam, nec voluit spem instaurandi belli persequi, quae infinita erat, id est finem, et exitum non habebat. Vide II. de Divin. cap. 37. Abram.

2) *Utilitatibus tuis paruit)* Fecit quicquid utilitates tuae postulabant: Eodem verbo usus est ad Plancium lib. XIII *Res fäмiliaris C. Capitonis praesto fuit et paruit et temporibus, et fortunae meae. Utilitatibus*, pro commodis accipiuntur. Ad Tironem. *Utilitatibus tui possum carere: te valere, tua caussa primum volo, tum mea, nec Tiro* Manut.

3) *Cn. Domitii)* Calvini, qui Consul fuerat cum M. Messala. Is cum Caesare, Domitius autem Aenobarbus cum Pompejo fuit. *Idem.*

ANALYSIS.

a) *Itaque concludit)* Superiorem amplificationem, et tertium argumentum subjungit a meritis Dejotari in Caesarem:

„ Illi non debes esse iratus, cujus multa sunt in te me-
„ rita post impetratam veniam:

„ Sed post veniam impetratam, multa sunt Déjotarii
„ in te merita:

„ Ergo Dejotaro iratus esse non debes.

mnibus delegisti, pecuniam misit: ille iterum, ille tertio auctionibus factis pecuniam dedit, qua ad bellum utereris: ille corpus suum periculo objecit, tecumque in acie contra Pharnacem 1) fuit tuumque hostem esse duxit suum. Quae quidem a) a te in eam partem accepta sunt C. Caesar, ut eum amplissimo regis honore, et nomine affeceris. Is igitur b) non modo a te periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus, arguitur domi te suae interficere voluisse, quod tu, nisi eum furiosissimum judicas, suspicari profecto non potes.

CONTENTIONIS II. PARS.

Ut enim c) omittam, cujus tanti sceleris fuerit, in conspectu Deorum Penatium necare hospitem, cujus tantae importunitatis, omnium gentium, atque omnis memoriae clarissimum lumen exstinguere: cujus tantae ferocitatis, victorem Orbis terrarum non exstimescere: cujus tam inhumani, et ingrati animi, a quo Rex appellatus esset, in eum, tyrannum inveniri: ut haec omittam d), cujus tanti furoris fuit, omnes Re-

1) *Contra Pharnacem)* Regem Ponti, filium Mithridatis, qui occasione belli civilis Armeniam occuparat. Idem.

ANALYSIS.

a) *Quae quidem)* Assumptionis, quae praecedit, approbatio, quod ipse Caesar pro illis meritis maxima Dejotaro beneficia contulerit.

b) *Is igitur)* Propositio Orationis, simulque transitus ad alteram contentionis partem.

c) *Ut enim)* Negat igitur ullas insidias paratas a Dejotaro fuisse Caesari probatque ab Adjunctis tali ratione.

„ Hominis est furiosi maximum scelus committere cum
„ certissimo suae vitae periculo:
„ Sed Caesaris mors fuisset maximum scelus, et ipsi
„ insidiatori perniciosissimum, ipse autem Dejotarus
„ et prudens est, et integer:
„ Ergo non est probabile, illum cogitasse tantum scelus
„ Ut enim) Sceleris magnitudo.

d) *Ut haec omittam)* Certissima, quae ipsi Dejotaro, ejusque familiae imminebat, pernicies.

ges, quorum multi erant finitimi, omnes Populos, omnes socios, omnes Provincias, omnia denique omnium arma contra se unum exscitare? quonam ille modo cum regno, cum domo, cum conjuge, cum carissimo filio distractus 1) esset tanto scelere non modo perfecto, sed etiam cogitato?

VI. At, credo a), haec homo inconsultus, et temerarius non videbat. Quis consideratior illo? quis tectior 2) quis prudentior? Quamquam hoc loco Dejotarum non tam ingenio, et prudentia, quam fide, et religione vitae defendendum puto. Nota tibi est, C. Caesar, hominis probitas, noti mores, nota constantia. Cui porro, qui modo Populi Romani nomen audivit, Dejotari integritas, gravitas, virtus, fides non audita est? Quod igitur b) facinus nec in hominem imprudentem cadere posset, propter metum

1) *Distractus)* Divulsus ab aliorum Regum societate et amicitia. Abram. Imo distractus est, discerptus. Graevius.

2) *Quis tectior?)* Non est laus hominem esse tectum, κρύψονοον sive occultum, qui simulat amicitiam, et eam fronte prae se fert, cum corde premat odium capitale. Tecto opponitur apertus, simplex. Si fuisset homo tectus Dejotarus, facile potuisset hoc scelus contra Caesarem suscipere de nece ei inferenda, si sibi persuasisset, id tuto se posse, et secreto facere: sed Cicero nititur omni ope id ostendere: cogitationem hujus sceleris abesse tam ab ejus prudentia, quam probitate. Tectus igitur hic locum habere non potest, ut recte vidit Patricius. In Erfurt. Dresd. Colon. Pith. est *tectior*. Recta dicuntur omnia, quae sunt sine vitio, labe, macula. Igitur quis rectior est hic. Quis est in consiliis rectis capiendis promptior, quis est rectioris ingenii, ut in illud non possit cadere tantum facinus. Non ausim quidem praestare Tullium scripsisse rectior; aptior tamen est haec vox huic loco, quam tectior, quia tectum esse semper vitio vertitur. Est enim hominis callidi, versuti, malitiosi, non prudentis, et considerati. Graevius.

ANALYSIS.

a) *At credo)* Assumptionis secunda pars cui deinde subjicit Complexionem.

b) *Quod igitur)* Complexio, et urget *ab Adjunctis* personae, quod medico credibilius sit credi de veneno, quam de ferro.

praesentis exitii, nec in facinorosum, nisi esset idem amentissimus, id vos et a viro optimo, et ab homine minime stulto cogitatum esse confingitis?

At quam a) non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem. Cum, inquit, in Castellum Lucejum venisses, et domum Regis, hospitis tui, divertisses: locus erat quidam, in quo erant ea composita, quibus Rex te munerare constituerat. Huc te e balneo, prius quam accuberes, ducere volebat. Ibi enim erant armati, qui te interficerent, in eo ipso loco collocati. En crimen, en caussa, cur Regem fugitivus, dominum servus accuset. Ego mehercule, C. Caesar, initio, cum est ad me ista caussa delata Philippum medicum servum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto adolescente esse corruptum, hac suspicione sum percussus: medicum indicem subornabit: finget videlicet aliquod crimen veneni: Etsi a veritate longe tamen a consuetudine criminandi non multum res abhorrebat.

Quid ait medicus? nihil de veneno. At id fieri potuit, primo occultius in potione, vel in cibo: deinde etiam impunius fit, quod, cum est factum, negari potest. Si palam te interemisset: omnium in se gentium non solum odia, sed etiam arma convertisset. Si veneno, Jovis illius quidem hospitalis numen numquam celare potuisset, homines fortasse celavisset.

ANALYSIS.

a) *At quam)* Crimen ipsum exsponit, et qua ratione insidiae paratae dicantur, et quo die; tria haec ostendit Cicero non esse credibilia; primum illud hoc modo:

„ Magna scelera committuntur ita, ut occulte, et im-
„ pune fiant;

„ Sed veneno quidem, non autem ferro interemisset
„ Caesarem Dejotarus occulte et impune;

„ Ergo non est credibile, eum uti voluisse ferro po-
„ tius, quam veneno.

Assumptionem confirmat a suamet suspicione, et exsplicat singillatim.

Quod igitur et occultius conari, et efficere cautius potuit; id tibi, et medico callido, et servo, ut putabat, fideli non credidit; de armis, de ferro, de insidiis celare te noluit? At quam a) festive crimen contexitur! Tua te, inquit, eadem quae semper, fortuna servavit: negavisti tum te inspicere 1) velle.

VII. Quid postea? An Dejotarus, re illo tempore non perfecta, continuo dimisit exercitum 2)? nullus erat alius insidiandi locus? At eodem te, cum coenavisses, rediturum dixeras: itaque fecisti. Horam unam aut duas eodem loco armatos, ut collocati fuerant, retinere magnum fuit? Cum in convivio, comiter, et jucunde fuisses, tum illuc ivisti, ut dixeras. Quo in loco Dejotarum talem erga te cognovisti, qualis Rex Attalus in P. Africanum fuit 3): cui magnificentissima dona, ut scriptum legimus, usque ad

1) *Inspicere)* Illa quibus te Dejotarus numerare constituerat. Manut.

2) *Continuo dimisit exercitum)* Ex Eunucho Terentii actu 4. scen. 7. ubi Thraso qui suos servulos instar aciei gloriosius instruxerat, re non succedendo neque perfecta,

„Jam dimitto exercitum.

inquit. De quo eruditus Victorius, xv. Variarum lect. cap. 6. Multum autem, ut opinor, hoc valuit ad falsum illud crimen explodendum; et ni fallor, risum movit: quae actio in judicio quoque adhibetur, ac fructum fert, tamquam enim Dejotarus nullius consilii homo esset, ac similis Thrasoni, qui postquam statim insidiae non successerint, non potuerit retentis in armis insidiatoribus, efficere quod destinasset, Caesare post coenam ad ea balnea veniente. Abramus.

3) *Qualis Rex Attalus in P Africanum fuit)* Vel Antiochus scribendum est pro Attalus, cui sunt haec a Livio, aliisque scriptoribus tributa; vel erit ipsius Ciceronis *ἀμάρτημα μνημονικὸν* *Ursinus.*

ANALYSIS.

a) *At quam)* Secundo ostendit non esse probabile, insidias paratas Caesari in cubiculo, quo recusaverit ire Caesar, adeoque insidias etiam evitaverit: nam et alium in locum poterant transferri milites, et in eodem loco retueri, quo post coenam reversus est Caesar, et dona magnificentissima accepit.

Numantiam misit ex Asia; quae Africanus, inspectante exercitu, accepit. Quod cum praesens Dejotarus regio et animo et more fecisset, tu in cubiculum discessisti.

Obsecro a), Caesar, repete temporis illius memoriam: pone illum ante oculos diem: vultus hominum te intuentium, atque admirantium recordare. Num quae trepidatio? num qui tumultus? num quid, nisi moderate, nisi quiete, nisi ex hominis gravissimi, et sanctissimi disciplina? Quid igitur caussae excogitari potest, cur te lautum voluerit, coenatum noluerit occidere.

In posterum, inquit, diem distulit, ut, cum in castellum Lucejum ventum esset, ibi cogitata perficeret. Non video caussam loci mutandi: sed tamen acta res criminose est 1). Cum, inquit, vomere te post coenam velle 2) dixisses, in balneum te ducere coeperunt. Ibi enim erant insidiae. At te eadem tua fortuna servavit: in cubiculum te ire malle dixisti. Dii te perdant, fugitive: ita non modo nequam, et improbus, sed fatuus, et amens es. Quid? ille signa aenea in insidiis posuerat, quae e balneo in cubiculum transferri non possent 3).

1) *Sed tamen acta res criminose est)* Ita est acta, ut sit criminationi obnoxia. Patricius.

2) *Vomere te post coenam velle)* Ex hoc loco intelligitur, post coenam ad vomitum isse homines, ut cibo alvum exonerarent, ne large sumptus noceret. Celsus, lib. 1. *Rejectum esse ab Asclepiade vomitum video: nec reprehendo, si eorum offensus est consuetudine, qui, quotidie ejiciendo vorandi facultatem moliuntur . . . . Commoneo tamen, ne quis, qui valere et senescere volet, hoc quotidianum habeat.* De hac igitur Caesaris consuetudine sermo est ad Atticum lib: XIII. epist: 52. *Accubuit, ἐμετικὴν* agebat. Ernest.

3) *In cubiculum transferri non possent)* Acute simul, et lepide. De signis, ut de hominibus, de inanimatis, ut

ANALYSIS.

a) *Obsecro)* Diem illum probat non fuisse insidiis destinatum, *ab Adjunctis*: nam scelus cogitantes trepidare solent, et perturbari: nulla autem eo die trepidatio fuerat: cetera quoque eodem modo, quo supra.

Habes a) crimina insidiarum: nihil enim dixit amplius. Horum, inquit, eram conscius. Quid tum? ita demens ille erat, ut eum, quem conscium tanti sceleris habebat, a se dimitteret, Romam etiam mitteret, ubi et inimicissimum sciret esse nepotem suum, et C.Caesarem, cui fecisset insidias? praesertim cum is unus esset, qui posset de absente se indicare 1)? Et fratres meos, inquit, quod erant conscii, in vincula conjecit. Cum igitur eos vinceret, quos secum habebat: te solutum Romam mittebat, qui eadem scires, quae illos scire dicis?

VIII. Reliqua pars b) accusatiouis duplex fuit: una Regem semper in speculis fuisse 2), cum a te animo esset alieno: altera, exercitum eum contra te magnum comparasse. De exercitu dicam breviter, ut cetera. Numquam eas copias Rex Dejotarus habuit, quibus inferre bellum Populo Romano posset: sed

de animatis ipsis. Quid ita? Verbo enim ad signa illa aenea respicit, quorum modo fecit mentionem: cogitatione autem respicit ad homines illos armatos, qui dicuntur fuisse in insidiis collocati. Idem.

1) *Indicare)* Alii vindicare: sed vide Victorii Var. Lect. xxviii. 12.

2) *Regem semper in speculis fuisse)* Id est, tuas omnes actiones observasse, et speculatores tenuisse, qui, ut infra loquitur, *rumores de te exsciperent, et ad se referrent.* Patricius.

ANALYSIS.

a) *Habes)* Elevat ultimo delatoris fidem sic ab Adjunctis:

„Non est credibile servum conscium sceleris in Caesarem cogitati, et injuria affectum, missum fuisse Romam, ubi et Caesar erat, et Castor inimicus:

„Sed servum Romam misit, isque se Regi iratum profitetur propter fratres:

„Ergo non est credibile, eum fuisse conscium tanti sceleris Caesarem cogitati.

b) *Reliqua pars)* Nunc ad reliqua crimina descendit, et illa quidem de comparato contra Caesarem exercitu, et de missis ad Caelium nuntiis refellit, quippe minime credibilia; de equitatu autem non optimo, nullam ait fuisse Dejotari culpam.

quibus fines suos ab exscursionibus hostium, et latrociniis tueretur, et Imperatoribus nostris auxilia mitteret. Atque antea quidem majores copias alere poterat: nunc exiguas vix tueri potest.

At misit ad Caelium nescio quem 1): sed eos, quos misit, quod ire noluerunt, in vincula conjecit. Non quaero quam verisimile sit, aut non habuisse Regem, quos mitteret: aut eos, quos misisset, non paruisse: aut, qui dicto audientes in tanta re non fuissent, eos vinctos potius, quam necatos fuisse. Sed tamen cum ad Caelium mittebat, utrum caussam illam victam esse nesciebat, an Caelium istum magnum hominem putabat? quem profecto is, qui optime nostros homines novit, vel quia nosset, vel quia non nosset, contemneret. Addidit etiam illud, equites non optimos misisse. Veteres, credo, Caesar: nihil ad tuum equitatum: sed misit ex iis 2), quos habuit, electos. Ait nescio quem ex eo numero, servum judicatum 3). Non arbitror: non audivi. Sed in eo, etiam si accidisset, culpam Regis nullam fuisse arbitrarer.

IX. Alieno a) autem a te animo fuit. Quomodo? Speravit, credo, difficiles tibi Alexandriae fore exitus

1) *Misit ad Caelium nescio quem*) An, misit nescio quem, an, *ad nescio quem, Caelium?* utrumque ex iis quae sequuntur defendi potest. Posterius tamen praefero. Sic enim statim de eodem, quasi de non magno, imo de contempto homine: ut et lib. XII. Famil. ep. 43. Nisi quod alibi *Caelium*, alibi *Caecilium* vocat Patric.

2) *Sed misit ex iis*) Respondet misisse, quales haberet: imo quales ex iis, quos haberet, elegisset. *Idem.*

3) *Servum judicatum*) Cum servis militare, praesertim equestri loco, non liceret. Manutius.

ANALYSIS.

a) *Alieno*) Non fuisse animo a Caesare alieno sic probat a Repugnantibus:

„Ab eo non fuit Dejotarus animo alieno, quem in bello, et post pecunia juvit:

„Sed Caesari pecuniam dedit in bello, et post victoriam:

„Ergo Dejotarus non fuit alieno in Caesarem animo.

propter regionis naturam, et fluminis. At eo ipso tempore pecuniam dedit, exercitum 1) aluit; ei, quem Asiae praefeceras, nulla in re defuit; tibi victori 2) non solum ad hospitium, sed ad periculum etiam, atque ad aciem praesto fuit. Sequutum est bellum Africanum 3). Graves de te rumores sparsi: qui etiam furiosum illum Caelium exscitaverunt. Quo tum erga te Rex animo fuit; qui auctionatus sit, seseque exspoliare maluerit, quam tibi pecuniam non subministrare? At eo a), inquit, tempore ipso Nicaeam, Ephesumque mittebat, qui rumores Africanos exciperent, et celeriter ad se referrent. Itaque cum esset ei nuntiatum, Domitium naufragio periisse, te in castello circumsideri: de Domitio dixit versum Graecum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinum: *Pereant amici 4), dum una inimici intercidant:* quod ille, si esset tibi inimicissimus, numquam tamen dixisset. Ipse enim mansuetus; versus immanis. Qui autem Domitio 5) poterat esse amicus, qui tibi

1) *Exercitum)* Domitii Calvini. Idem.

2) *Tibi victori)* Caesar victor e bello Alexandrino per Gallograeciam transivit, et contra Pharnacem arma convertens, *legionem* (verba sunt Hirtii) *quam ex genere civium suorum Dejotarus natura, disciplinaque nostra constitutam habebat, equitatumque omnem ad bellum gerendum adducere jussit.* Abram.

3) *Sequutum est bellum Africanum)* Quod tu parta de Pharnace victoria, paucos dies in Italia moratus, Jubae Numidiae Regi Scipioni et Catoni, qui magnis exercitibus Africam occupaverant, intulisti. Idem.

4) *Pereant amici)* Quia amicus Domitio esset: ut paullo post. Graecus versus, mihi quidem nondum compertus, Latinus quoque cujus Poetae sit, ignorare me fateor. Opto feliciores esse alios. Manut.

5) *Qui autem Domitio)* A repugnantibus) quia cum eadem caussa esset Caesaris, et Domitii, qui amicus erat Domitii, non poterat esse Caesaris inimicus, et contra. *Abramus.*

ANALYSIS.

a) *Ab eo* Illud de Domitio negat, quod non potuerit vocare amicum Domitium, qui vocabat inimicum Caesarem, neque habere Caesarem inimicum, a quo tot beneficia accepisset.

esset inimicus? Tibi porro inimicus cur esset, a quo, cum vel interfici belli lege potuisset, Regem et se et filium suum constitutos esse meminisset?

Quid deinde a)? furcifer quo progreditur? Ait, hac laetitia Dejotarum elatum, vino se obruisse, in convivioque nudum saltavisse. Quae crux huic fugitivo potest satis supplicii afferre? Dejotarum saltantem quisquam, aut ebrium vidit umquam? Omnes sunt b) in illo regiae virtutes: quod te, Caesar, ignorare non arbitror: sed praecipue singularis, et admiranda frugalitas; etsi hoc verbo scio laudari Reges non solere. Frugi hominem dici non multum habet laudis in Rege: fortem, justum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hae sunt regiae laudes: illa privata est. Ut volet quisque accipiat: ego tamen frugalitatem, id est, modestiam, et temperantiam, virtutem esse maximam judico. Haec in illo est ab ineunte aetate, tum a cuncta Asia tum a Magistratibus, legatisque nostris, tum ab Equitibus Romanis, qui in Asia, negotiati sunt, perspecta, et cognita.

Multis ille quidem gradibus officiorum erga Rempublicam nostram ad hoc regium nomen adscendit: sed tamen quicquid a bellis Populi Romani vocabat, cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res, rationesque jungebat: ut non solum Tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamilias, et diligentissimus agricola 1),

1) *Diligentissimus agricola*) Nemo jure mirabitur laudari Regem, quod fuerit bonus agricola, qui antiquorum

ANALYSIS

a) *Quid deinde*) Audito naufragio Domitii, et periculo Caesaris, Dejotarum nudum saltavisse dixerat Medicus; quod pariter diluit a Repugnatibus:

„ Homo frugi non saltat:

„ Sed maxima semper fuit in Dejotaro frugalitas:

„ Ergo non est probabile illum nudum saltavisse.

b) *Omnes sunt)* Assumptio, cum laude illius virtutis, quam approbat omnium Romanorum, qui in Asia fuerant, testimonio.

et pecuarius 1) haberetur. Qui igitur a) adolescens, nondum tanta gloria praeditus, nihil umquam nisi severissime, et gravissime fecerit, is ea existimatione, eaque aetate saltavit?

X. Imitari b) potius, Castor, avi tui mores, disciplinamque debebas, quam optimo, et clarissimo viro; fugitivi ore, maledicere. Quod si saltatorem avum habuisses, neque eum virum, unde pudoris, pudicitiaeque exempla peterentur, tamen hoc maledictum minime in illam aetatem conveniret. Quibus ille studiis ab ineute aetate se imbuerat, non saltandi, sed bene ut armis, optime ut equis uteretur: ea tamen illum cuncta, jam aetate exacta, defecerant. Itaque, Dejotarum cum plures in equum sustulissent, quod haerere in eo senex posset, admirari soleba-

mores animo perspexerit: Nam, ut ait Plinius; *De cultura agri praecipere principale fuit etiam apud exteros. Siquidem, et Reges fecere, Hiero, Philometor, Attalus, Archelaus; et duces Xenophon, et Poenus etiam Mago: cui quidem tantum bonorum Senatus noster habuit Carthagine capta, ut cum Regulis Africae bibliothecas donaret, unius ejus duodetriginta volumina censeret in Latinam linguam transferenda, cum jam M. Cato praecepta condidisset.* Eadem testantur Columella, et Varro, uterque cap. 1. de re rustica. Et ut omittam Laertem illum Ithacae regulum, quem Homerus lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum, et eum stercorantem facit, notum est Diocletianum imperio se abdicasse, ut agriculturae se reique hortensi liberius applicaret. Abram.

1) *Pecuarius)* Varro libro 2. de re rustica, cap 1. *De antiquis, illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendunt veteres Poetae, qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisset pelles tradiderunt, ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxisse queritur: ut in Colchide Aeeta, ad cujus arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautae, ut in Lybia Hesperidas, unde aurea mala.* etc. Et certe Regum pueros ut plurimum pastores olim fuisse, testatur Paris, et Ganymedes. Abr.

ANALYSIS.

a) *Qui igitur)* Complexio, eamque illustrat a Comparatione majorum.

b) *Imitari)* Convertit ad Castorem orationem, qui hoc avo suo crimen, licet verum esset, objicere non debuerat, nedum cum sit falsissimum, in homine tractandis armis, et regendis equis assueto.

mus. Hic vero a) adolescens, qui meus in Cilicia miles, in Graecia commilito fuit, cum in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus, quos una cum eo ad Pompejum pater miserat, quos, concursus facere solebat? quam se jactare? quam se ostentare? quam nemini in illa caussa studio, et cupiditate concedere? Cum vero, exercitu amisso, ego, qui pacis auctor semper fui, post Pharsalicum autem praelium suasor fuissem armorum non deponendorum, sed abjiciendorum, hunc ad meam auctoritatem non potui adducere 1), quod et ipse ardebat studio ipsius belli, et patri satisfaciendum esse arbitrabatur. Felix ista domus, quae non impunitatem solum adepta sit, sed etiam accusandi licentiam: calamitosus Dejotarus, qui et ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur. Vos vestra secunda fortuna, Castor, non potestis sine propinquorum calamitate esse contenti.

XI. Sint sane inimicitiae, quae esse non debebant Rex enim Dejotarus vestram familiam abjectam, et obscuram e tenebris in lucem evocavit. Quis tuum patrem ante, qui esset, quam cujus gener esset, audivit? Sed quamvis ingrate, et impie necessitudinis nomen repudiaritis tamen inimicitias hominum more genere poteratis, non ficto crimine insectari, non esspetere vitam, non capitis arcessere. Esto b): con-

1) *Hunc ad meam auctoritatem non potui adducere*) Castori persuadere non potui, ut meam auctoritatem et tum consilium tum exendum sequutus, a persequendis belli reliquiis desisteret, tum quod ille magno studio, et animi ardore statuerat ad extremum belli aleam experiri, tum quod patri se satis esse facturum non putaret, si a bello discederet. Idem.

ANALYSIS.

a) *Hic vero)* Locus ad exscitandam indignationem in Castorem, qui avum, et bene de se meritum, quique in caussa Pompeji minus, quam ipse Castor, pertinax fuerit, capitis arcessere possit, et gratia valere apud Caesarem; ex Arist. Cap. 9. lib. 2. Misericordia vero movetur in Dejotarum contraria ratione; l. 2 cap. 8. 1. 89.

b) *Esto)*. Ut Castoris improbitas manifesta fiat, cum

cedatur haec quoque acerbitatis, et odii magnitudo. Adeone a), ut etiam omnia vitae, salutisque communis, atque etiam humanitatis jura violentur? Servum b) sollicitare verbis, spe, promissisque corrumpere, ducere domum 1), contra dominum armare: hoc est, non uni propinquo, sed omnibus familiis bellum nefarium indicere. Nam ista corruptela servi, si non modo impunita fuerit, sed etiam a tanta auctoritate approbata: nulli parietes nostram salutem nullae leges, nulla jura custodient. Ubi enim id, quod intus est atque nostrum, impune evolare potest, contraque nos pugnare, ut in dominatu servitus, in servitute dominatus.

O tempora, o mores! Cn. Domitius ille, quem nos pueri Consulem, Censorem, Pontificem Maximum vidimus, cum Tribunus Plebis M. Scaurum, principem civitatis, in judicium Populi vocasset, Scaurique servus ad eum clam domum venisset, et crimina in dominum delaturum se esse dixisset: prehendi hominem jussit, ad Scaurumque deduci. Vide, quid intersit: etsi inique Castorem cum Domitio comparo: sed tamen ille inimico servum remisit, tu ab avo abduxisti: ille incorruptum audire noluit, tu corrupisti: ille adjutorem servum contra dominum repudiavit, tu etiam accusatorim adhibuisti.

At semel c) iste est corruptus a vobis? Nonne,

1) *Adducere domum*) Alii, adducere domo, nimirum legatorum; *Ferratius*.

ANALYSIS.

cetera Adjuncta supra attigit, tum illud de servo Philippo corrupto hoc loco amplificat *a Consequentibus*:

„Illud non est ferendum, quod est perniciosissimum
„Civitati Sollicitatio servorum perniciosissima est Civitati, et Castor Philippum sollicitavit;
„Ergo id ferre Caesar nullo modo debet.

a) *Adeone*) Propositio.

b) *Servum*) Assumptio, quam ingeniose illustrat, confirmatque exemplo Cn. Domitii *per Comparationem minorum*; nam si Domitius noluit uti opera Servi contra Dominum, multo minus sollicitandi sunt, ut accusent.

c) *At semel)* Secunda pars Assumptionis, multorum testimonio confirmata.

cum esset productus 1), et cum tecum fuisset, refugit ad legatos 2)? nonne etiam ad hunc Cn. Domitium venit? nonne, audiente hoc Ser. Sulpicio, clarissimo viro, qui tum casu apud Domitium coenabat, et hoc T. Torquato, optimo adolescente, se a te corruptum, tuis promissis in fraudem impulsum esse confessus est?

XII. Quae est ista tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? Idcirco in hanc Urbem venisti, ut hujus Urbis jura, et exempla corrumperes, domesticaque immanitate inquinares. At quam a) acute collecta crimina! Blesamius 3), inquit, (ejus enim nomine, optimi hominis, nec tibi ignoti, maledicebat tibi) ad Regem scribere solebat, te in invidia esse: tyrannum existimari: statua inter Reges posita 4), animos hominum vehementer offensos: plaudi tibi non solere 5). Nonne intelligis, Caesar, ex urbanis malevolorum sermunculis haec ab istis esse collecta? Blesamius tyrannum Caesarem scriberet? multorum enim civium capita viderat: multos jussu Caesaris vexatos, verberatos, necatos: multas afflictas, et eversas domos: armatis militibus refertum forum: quae semper in civili victoria sensimus, ea te victore non vidimus?

1) *Productus)* Testis.

2) *Refugit ad legatos)* Dejotari, a quorum pedibus abstractus per te erat. Patric.

3) *Blesamius*) Homo Gallograecus, qui Dejotari legatus aderat. Manut.

4) *Statua inter Reges posita*) In Capitolio septem Regum statuae fuerunt, et inter eas statua L. Bruti strictum gladium tenentis. Inter eas etiam Caesaris statua fuit excitata: quod animos hominum vehementer offendit, ratos illius ambitionem jam in apertam tyrannidem erumpere. Quod ajebat accusator a Blesamio scriptum fuisse ad Dejotarum. *Abr.*

5) *Plaudi tibi non solere*) De plausu, et acclamationibus theatralibus, vide Sextianam, et Pisonianam. Idem.

ANALYSIS.

a) *At quam*) Patet, ut Cicero refellat, quae objecerat Adversarius, scripta fuisse a Blesamio uno ex Legatis ad Regem Dejotarum, de tyrannide, de statua, et de plausu; eademque fusius exponere necessarium non judico.

Solus, inquam, es, C. Caesar, cujus in victoria ceciderit nemo, nisi armatus. Et quem nos liberi, in summa Populi Romani libertate nati, non modo non tyrannum, sed etiam clementissimum in victoria ducimus: is Blesamio, qui vivit in regno, tyrannus videri potest? Nam de statua quis queritur, una praesertim, cum tam multas videat? Valde enim invidendum est ejus statuis, cujus trophaeis non invidimus. Nam, si locus affert invidiam, nullus locus est ad statuam 1) quidem Rostris clarior. De plausu autem quid respondeam? qui nec desideratus umquam a te est, et nonnumquam, obstupefactis hominibus, ipsa admiratione compressus est: et fortasse eo praetermissus, quia nihil vulgare te dignum videri potest.

PERORATIO.

XIII. Nihil a) a me arbitror praetermissum, sed aliquid ad extremam caussae partem reservatum. Id autem aliquid est, te ut plane Dejotaro reconciliet oratio mea. Non enim jam metuo, ne tu illi succenseas: illud vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere. Quod abest longissime, mihi crede, Caesar. Quid enim retineat per te, meminit, non quid amiserit: neque se a te multatum arbitratur: sed, cum b) existimaret multis tibi multa esse tribuenda, quo minus a se, qui in altera parte fuisset, ea sumeres, non recusavit.

1) *Nam si locus affert invidiam, nullus locus est ad statuam)* Id est, si invidiosum locum quaeris: in foro multas habet; nam regum statuae in abstruso sunt loco collocatae: Scholiastes.

ANALYSIS.

a) *Nihil)* Cum in principio contentionis Caesarem Dejotaro placaverit in prima parte Perorationis, ne Dejotarum quidem iratum esse Caesari ostendit, utitur autem hoc argumento a remotione Caussae:

„Victus patienter ferre debet, se a victore multari.
„Sed se victum Dejotarus, Caesarem victorem agnoscit:
„Ergo patienter tulit; partem sibi regni ab illo
„ademptam fuisse.

b) *Sed, cum)* Assumptionem confirmat, tum quia Victor non posset suis quippiam dare, nisi victis adimeret; tum exemplo Regis Antiochi.

Etenim si Antiochus Magnus ille, Rex Asiae, cum, posteaquam a Scipione devictus, Tauro tenus regnare jussus esset, omnemque hanc Asiam, quae est nunc nostra Provincia, amisisset, dicere est solitus, benigne sibi a Populo Romano esse factum, quod nimis magna procuratione liberatus modicis regni terminis uteretur: potest multo facilius se Dejotarus consolari. Ille enim furoris multum sustinuerat, hic erroris. Omnia tu a) Dejotaro, Caesar, tribuisti, cum et ipsi, et filio nomen regium concessisti. Hoc nomine retento, atque conservato, nullum beneficium Populi Romani, nullum judicium de se Senatus imminutum putat, magno animo, et erecto est, nec umquam succumbet inimicis, ne fortunae quidem.

Multa se arbitratur, et peperisse ante factis, et habere in animo, atque virtute, quae nullo modo possit amittere. Quae enim fortuna, aut quis casus, aut quae tanta possit injuria, omnium Imperatorum de Dejotaro decreta delere? Ab omnibus enim est ornatus, qui, postquam in castris esse potuit per aetatem, in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria; bella gesserunt. Senatus vero judicia de illo tam multa, tamque honorifica, quae publicis Populi Romani literis, monumentisque consignata sunt, quae umquam vetustas obruet, aut quae tanta delebit oblivio? Quid de virtute ejus dicam? quid de magnitudine animi, gravitate, constantia? quae omnes docti, atque sapientes summa; quidam etiam sola bona esse dixerunt: hisque non modo ad bene, sed etiam ad beate vivendum contentam virtutem esse.

ANALYSIS.

a) *Omnia tu)* Deinde sic a benignitate Caesaris argumentatur.

„ Dejotarus ob ademptam regni partem irasci non de-
„ buit Caesari, si quae habebat praecipua, per ipsum
„ retinuit;

„ Sed retinuit per Caesarem Dejotarus, quae carissima,
„ et praecipua habebat:

„ Ergo non est Caesari iratus ob ademptam regni par-
„ tem.

Sunt autem, quae retinuerat, regium nomen, judicia Senatus, merita in Remp., virtutes, et sapientia.

Haec ille a) reputans, et dies et noctes cogitans, non modo tibi non succenset, (esset enim non solum ingratus, sed etiam amens) verum omnem tranquillitatem, et quietem senectutis acceptam refert clementiae tuae.

XIV. Quo quidem animo cum antea fuit, tum non dubito, quin tuis literis, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone huic Blesamio dedisti, se magis etiam erexerit, ab omnique sollicitudine abstraxerit. Jubes enim eum bene sperare, et bono esse animo; quod scio te non frustra scribere solere. Memini enim iisdem fere verbis ad me te scribere, meque tuis literis bene sperare non frustra esse jussum. Laboro equidem Regis Dejotari caussa, quocum mihi amicitiam Respublica conciliavit, hospitium voluntas utriusque conjunxit, familiaritatem consuetudo attulit, summam vero necessitudinem magna ejus officia in me, et in exercitum meum effecerunt: sed cum de illo laboro, tum de multis amplissimis viris, quibus semel ignotum a te esse oportet, nec beneficium tuum in dubium vocari, nec haerere in animis hominum sollicitudinem sempiternam, nec accidere, ut quisquam te timere incipiat, eorum, qui semel a te sint liberati timore. Non debeo b), C. Caesar, quod fieri solet in tantis periculis, tentare, quonam modo dicendo misericordiam tuam commovere possim: nihil opus est: occurrere ipsa solet supplicibus et calamitosis, nullius oratione evocata. Propone tibi duos Reges 1): et id animo contemplare, quod oculis non

1) *Duos reges)* Dejotaros, patrem, et filium. Videtur solus pater accusatus fuisse. Filium tamen appellat. ut magis duorum quam unius misericordia moveatur, vel quia Caesari filius erat acceptior, ideo caussam utriusque conjunxit. Abram.

ANALYSIS.

a) *Haec ille)* Complexio: non igitur Dejotarus Caesari succenset: acceptis maxime literis, quas ad illum Caesar Tarracone scripserat, confecto Hispaniensi bello. Hinc orat Caesarem, ut promissa literarum adimpleat.

b) *Non debeo)* Perorationis secunda pars, qua misericordiam in Dejotarum movet, quippe in Regem, ex Arist. lib. 2. cap. 8. t. 91.

potes. Dabis profecto misericordiae, quod iracundiae negavisti. Multa sunt tuae clementiae monumenta: sed maxime eorum incolumitates quibus salutem dedisti. Quae si in privatis gloriosa sunt, multo magis commemorabuntur in Regibus. Semper regium nomen in hac Civitate sanctum fuit, sociorum vero Regum, et amicorum sanctissimum.

XV. Quod nomen hi Reges ne amitterent, te victore, timuerunt: retentum vero, et a te confirmatum, posteris etiam suis traditurus esse confido. Corpora a) vero sua pro salute Regum suorum hi legati tibi Regii tradunt, Hieras, et Blesamius, et Antigonus, tibi nobisque omnibus jam diu noti, eademque fide, et virtute praeditus Doryalus, qui nuper cum Hiera legatus est ad te missus, tum Regum amicissimi, tum tibi etiam, ut spero, probati. Exsquire de Blesamio, num quid ad Regem contra dignitatem tuam scripserit. Hieras quidem caussam omnem suscipit, et criminibus illis pro Rege se supponit reum: memoriam tuam implorat, qua vales plurimum: negat umquam se a te in Dejotari tetrarchia pedem discessisse: in primis finibus tibi se praesto fuisse dicit, usque ad ultimos prosequutum: cum e balneo exisses, tecum se fuisse, cum illa munera inspexisses coenatus, cum in cubiculo recubuisses, eamdemque assiduitatem tibi se praebuisse postridie. Quamobrem, si quid eorum quae objecta sunt, cogitatum sit, non recusat, quin id facinus suum judices. Quocirca, C. Caesar, velim existimes, hodierno die sententiam tuam, aut cum summo dedecore miserrimam pestem importaturam esse Regibus, aut incolumem famam cum salute: quorum alterum optare, illorum 1) crudelitatis est: alterum conservare, clementiae tuae.

1) *Illorum)* Adversariorum. Videtur certe quidem hac oratione nihil Dejotaro impetravisse. Philip. II. 37. *Quis enim cuiquam inimicior quam Dejotaro Caesar?* etc. Pat.

ANALYSIS.

a) *Corpora)* Ultimo Dejotari innocentiam attestatur Legatorum fide tum in ipsum Dejotarum, tum etiam in Caesarem.

IN M. ANTONIUM

PHILIPPICA SECUNDA

ARGUMENTUM.

Habita a Cicerone IV. Non. Sept. oratione prima in Antonium, ille se in Villam Tiburtinam contulit, ibique septemdecim dies, quod Ciceroni responderet, commentatus est. XIII. Kal. Octobr. habito senatu, in absentem Ciceronem, qui se tuto in Senatum venire non posse intelligebat, quae cogitaverat, evomuit. His omnibus fuse graviterque respondet, ac simul omnia Antonii scelera et flagitia commemorat hac oratione Cicero; quae, ut P. Manutius putat, non dicta, sed scripta tantum, et deinde in lucem edita est. *Ernestus.*

Partes hujus orationis sunt quatuor, Exordium, Confutatio criminum, Confirmatio, et Peroratio.

EXORDIUM.

QUonam meo fato, P. C. fieri dicam, ut nemo his annis viginti 1) reip. hostis fuerit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? nec vero necesse est a me quemquam nominari vobis, cum ipsi recordemini. Mihi poenarum illi plus 2), quam optarem, dederunt. Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere. Atque hoc in aliis minus mirabar. Nemo illorum mihi inimicus

1) *His annis viginti)* qui fluxerunt ab ipsius consulatu ad Caesaris caedem. *Abram.*

2) *Mihi poenarum illi plus)* Commode initio, humanitatis et clementiae specimen exhibet. Quas autem reipublicae et Ciceroni poenas exsolverint, palam est ex eorum temporum historiis. Catilina contra patriam signa inferens a Petrejo C. Antonii legato victus, multis telis confossus, et inter corporum acervos inventus est. P Clodius in Appia via a servis Milonis occisus est. *Idem.*

fuit voluntarius: omnes a me reip. caussa lacessiti. Tu ne verbo quidem violatus, ut audacior, quam Catilina, furiosior, quam Clodius, videre, ultro maledictis me lacessisti; tuamque a me alienationem, commendationem tibi ad impios cives fore putavisti. Quid putem? contemptum ne me? non video, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii quid despicere possit Antonius. An in senatu facile detrahi posse credidit? qui ordo clarissimis civibus bene gestae reip. testimonium multis, mihi uni conservatae dedit. An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est. Quid enim plenius, quid uberius, quam mihi et pro me, et contra Antonium dicere? illud profecto est. Non existimavit suis similibus probari posse, esse se hostem patriae, nisi mihi esset inimicus.

PRIMI OBJECTI CONFUTATIO.

CUI prius quam de ceteris rebus respondebo: de amicitia, quam a me violatam esse criminatus est, quod ego gravissimum crimen judico, pauca dicam. Contra rem suam venisse 3) me nescio, quando questus est. An ego non venirem contra alienum pro familiari, et necessario meo? non venirem con-

3) *Venisse*) In judicium, ut familiarem meum defenderem. Judiciale Verbum. *Manut.* Res est obscurior: nec ullis veterum testata monumentis, ac proinde suspicionibus indaganda. Multas uxores habuit Antonius, quarum prima fuit Q. Fadii Bambalionis, hominis libertini, sed admodum opulenti filia. De qua, Philippica III. 6 *Tuae conjugis, bonae foeminae, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater est, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter haesitantiam linguae, stuporem cordis cognomen ex contumelia traxerit.* Bambalio, ut erat ditissimus aliis dabat partes, alios, mittebat in negotia, cum aliis alia contrahebat. Quidam Ciceronis familiaris ei pecuniariam litem intendit. Bambalio cum suae caussae, si ex formula et edicto Praetoris ageretur, diffideret, a quodam Tribuno plebis per M. Antonium generum suum impetravit, ut is illi judicio intercederet, juberetque diem proferri, quoad alii judices in Bambalionem propensiores, constituerentur, vel totius judicii mutari rationem. Actor obtinendae caussae spe dejectus, nisi quempiam magni nominis oratorem confugit. Cicero familiarem

tra gratiam, non virtutis spe 4), sed aetatis flore collectam? non venirem contra injuriam, quam iste intercessoris 5) iniquissimi beneficio obtinuit, non jure praetorio? sed hoc idcirco commemoratum a te puto, ut te infimo ordini 6) commendares, cum te omnes recordarentur libertini generum; et liberos

suum defendit, contra hanc iniquae intercessionis injuriam, ejusque caussam egit, etiam illa formula qua Tribunus plebis agi voluerat, ut quamvis mutato judicio, et iniquis conditionibus, ille jus suum obtineret. Hoc igitur facto querebatur Antonius, amicitiam a Cicerone fuisse violatam. Negat orator, illius sui patrocinii tres ostendit fuisse rationes 1. Quod ille familiaris esset, alienus Bambalio. 2. Quod ille obrueretur gratia M. Antonii. 3. Quod contra omnem juris formam, intercessione Tribuni plebis,prohiberetur consuetis formulis jus suum exsperiri. *Abr.*

4) *Non virtutis spe)* Ita melius, quam ut in aliis, *specie.* Virtutis enim spes in illa aetate commendatur. Cicero de Rep. *O Fanni, difficilis caussa, laudare puerum: non enim res laudanda, sed spes est.* Muret. Quidam *virtutis specie* splendorem virtutis, et pulchritudinem intelligunt: libentius interpreter praetextum simulationemque virtutis, quasi eam gratiam non solum sine virtutis simulatione collegerit, aetatis flore quem prostituebat libidini improborum. *Abr.*

5) *Intercessoris)* Intercessione Tribuni, non judicio Praetoris. *Ferrat.*

6) *Infimo ordini)* Varii fuerunt ordines, in quos civitas Romana describeretur. Prima divisio fuit, in Senatum populumque Romanum: quibus postmodum equester ordo accessit: ut ait Plinius libro 33. cap. 2. Alia descriptio fuit in patricios et plebem. Plebem rursus in tribunis aerarios, scribas, mercatores, et negotiatores, argentarios et foeneratores, artifices et opifices, turbam forensem, libertinos et magistratuum apparitores dividebant (de quibus fuse Sigonius lib. 2. de antiquo jure civium Romanorum a cap. 7. ad 15.) aut etiam in assiduos et capite censos. Infimus autem vocatur ordo libertinorum: quod suffragiorum jure carerent, saltem in quatuor tantum tribubus urbanis ferrent suffragium; quod in militiam ordinarie non adsciscerentur, nisi difficillimis reipublicae temporibus; quod ad magistratus et curiam aditum non haberent: ut erudite probat Sigonius ejusdem libri cap. 14. Libertini autem ii dicebantur, qui in libertatem asserti fuerant e servitute: quamvis antiquitus ii non libertini, sed liberti dicerentur, cum libertini nomen in eorum filiis haereret. Tranquillus in Clodio 24: *Etiam Appium caecum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum*

tuos nepotes Q. Fadii 7), libertini hominis, fuisse: At enim te in disciplinam eam tradideras, (nam ita dixisti) domum meam, ventitaras 8). Nae tu, si id fecisses, melius famae, melius pudicitiae tuae consuluisses: sed nec fecisti, nec, si cuperes, tibi id per C. Curionem 9) facere licuisset.

filios in Senatum allegisse docuit: ignarus temporibus Appii, et deinceps aliquandiu, libertinos dictos non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Abr.

7) *Q. Fadii) Bambalionis: de quo jam dictum, et rursus Philipp. III.*

8) *Domum meam ventitaras) De more. Auctor de Oratoribus, et caussis corruptae eloquentiae:* Ergo apud majores nostros juvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc sectari, huuc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse; sive in concionibus assuescebat. *Plinius junior lib. 8, ep.* 14. Erat autem antiquitus institutum, ut a majoribus natu non auribus modo, verum etiam oculis disceremus, quae facienda nos ipsi ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus. Inde adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, etc. inde honores petituri assistebant curiae foribus, et consilii publici spectatores antequam consortes erant. Suus cuique parens pro magistro: aut cui parens non erat, maximus quisque et vetustissimus pro parente. *Adeo ut ne forensia quidem auspicari stipendia, et ad dicendum prodire liceret sine auctore. Idem libro 2. epist.* 14. At hercule aute memoriam meam (majores natu ita dicere solebant) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente. Tanta veneratione pulcherrimum opus colebatur. Nunc refractis pudoris et reverentiae claustris omnia patent omnibus: nec inducuntur, sed irrumpunt. Neque solum ut foro se aut militiae pararent, sed etiam ut mores ita componerent, ad majores natu ventitabant. Persius Sat. 5.

„ Cum primum pavido custos mihi purpura cessit.
„ Bullaque succinctis laribus donata pependit, *etc.*
„ Me tibi supposuit: teneros tu suscipis annos
„ Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere solers
„ Apposita intortos ostendit regula mores,
„ Et premitur ratione animus, vincique laborat,
„ Artificemque tuo ducit sub pollice vultum. „

E quibus intelligas hujusmodi vitae magistros sumpta virili toga primum adscitos fuisse, ut in Caeliana: *Ut huic virilem togam dedit, etc. hoc dicam hunc a patre continuo ad me esse deductum.* Vide initium lib. de Amicitia. *Idem.*

9) *C. Curione)* Qui turpiter amavit Antonium. Plut. in Ant

Auguratus petitionem 10) mihi te, concessisse dixisti. O incredibilem audaciam! o impudentiam praedicandam! Quo enim tempore 11) me augurem a toto collegio exspetitum, Cn. Pompejus, et Q. Hortensius nominaverunt (neque enim licebat a pluribus nominari) tu nec solvendo eras, nec te ullo modo, nisi eversa republica fore incolumen putabas. Poteras autem eo tempore auguratum petere, cum in Italia Curio non esset? aut tum, cum es factus, unam tribum sine Curione ferre 12) potuisses? cujus etiam familiares de vi condemnati sunt, quod tui nimis

10) *Auguratus petitionem)* Dixisti te auguratus petitionem omisisse in mei gratiam, ne videlicet si tu meus fuisses competitor, ego repulsam ferrem. In hujusmodi sacerdotorum petitione, cum plures essent candidati, magnum beneficium fuisset, si gratiosus competitor petitionem alteri concederet. Sic Catulus summum pontificatum cum Caesare et Isaurico petens, *misit qui magna pecuniae vi Caesari persuaderent, ut is a petitione desisteret*, ut narrat Plutarchus in Caesare. Ex quo etiam liquet quo tempore Noster adeptus fuerit auguratum: *Etiam in eorum sacerdotum collegium adoptatus est, quos augures appellant Romam, loco Crassi Junioris, cum is apud Parthos mortem obiisset.* Abram.

11) *Quo enim tempore)* Anno, ut videtur, urbis septingentesimo, Cn. Domitio Calvino, et M. Valerio Messala Consulibus, quo tempore Tullius P. Crasso M. filio a Parthis deleto, augur in ejus locum suffectus est. *Idem.*

12) *Unam tribum ferre)* Nota locutio. Sed quid tribus ad auguratum, cum is e duorum augurum nominatione penderet? Variis modis pro diversitate temporum sacerdotia collata sunt. Siquidem tertio Marii consulatu, ut ait Vellejus lib. 2.: *Cn. Domitius Tribunus plebis legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegae sufficiebant, populus crearet.* Id ille fecit, ut advertit Tranquillus in Nerone cap. 2: *Pontificibus offensior, quod alium quam se in patriis sui locum cooptassent.* De hac lege noster Orator epist. IV. ad Brutum: *Existimo omnino absentium rationem sacerdotium comitiis posse haberi. Nam etiam factum est antea. C. enim Marius cum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur: nec, quominus id postea liceret, ulla lex sanxit.* Hanc legem L. Sylla Dictator abrogavit, renovavit Tit. Labienus Consulibus Cicerone et Antonio. Dio 37. *Cum Labienus de Pontificibus creandis rogationem tulisset, Caesar autem plebem demereretur, iterum plebi contra Syllae legem Domitii legem renovavit, atque introduxit.* Quod ita raoi

studiosi fuissent. At beneficio sum usus tuo. Quo? quamquam illud ipsum, quod commemoras, semper prae me tuli. Malui me tibi debere confiteri, quam cuiquam minus prudenti non satis gratus videri. Sed quo beneficio? quod me Brundusii non occideris 12)? quem ipse victor qui tibi, ut tute gloriari solebas detulerat ex latronibus suis principatum, salvum esse voluisset, in Italiam ire jussisset, cum tu occide-

populi suffragiis fuisse permissum, ut necesse esset eum qui pontificatum vel auguratum adepturus erat, a duobus vel pontificibus, vel auguribus nominari. Neque enim Caesar adhuc adolescens, et plebeculae quam optimatibus jucundior, nominationem hanc contra Catulum et Servilium Isauricum competitores obtinere facile potuisset, nisi Domitia lege fuisset ita sancitum Orat 2. in Rullum, cap. 7. *Ne hoc quidem vidit, majores nostros tam fuisse populares ut, quia per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotii* (Pontificatus maximi) *voluerint populo supplicari. Atque hoc idem de ceteris sacerdotiis Cn. Domitius. Tribunus plebis, vir clarissimus, tulit, quia populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi votaretur ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.* Sequuta est lex Julia de sacerdotiis a Julio Caesare lata, ut videtur in primo consulatu. De qua noster ad Brutum epist. IV *Est etiam in lege Julia quae lex est de sacerdotiis proxima, his verbis;* QUI PETIT, CUJUSVE RATIO HABEBITUR. *Aperte judicat posse rationem haberi etiam non praesentis*, Cujus, opinor, ea vis fuit ut sacerdotes nominandi quidem, et cooptandi sibi collegas jus haberent, sed eorum tamen nominatio rata non esset, nisi populi suffragium et consensus accederet, Philipp. III *Reliqua populus Romanus in ea familia, quam vidit amplissimam, persequetur. In primis paternum auguratus locum: in quem ego tum, ut quod a patre accepi filio reddam mea nominatione cooptabo. Utrum igitur augurum Jovis Optimi Maximi, cujus interpretes; internuntiique constituti sumus, utrum populus Romanus libentius sanciet, Pompejum an Antonium!* Atque adeo sibi repugnat, cum in adeptione auguratus, et nominationis et suffragii sive tribuum facit mentionem. *Idem*,

13) *Quod me Brundusii non occideris)* Julius Caesar, ut narrat Plutarchus in Antonio, *post victoriam Dictator creatus, ipse quidem persequutus est Pompejum. Antonium vero Magistrum equitum nominans Romam ire jussit.* Quod Cicero invidiose principatum latronum appellat quia contra leges ei Caesar hunc honorem concesserat. Quid autem Ciceroni et Antonio, e diversis partibus a

res? fac potuisse 14). Quod est aliud, P. C. beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se dedisse vitam, quibus non ademerint? Quod si esset beneficium, nunquam ii, qui illum interfecerunt, a quo erant servati, quos tu ipse clarissimos viros appellare soles, tantam essent gloriam consequuti. Quale autem beneficium est, quod te abstinueris nefario scelere? qua in re non tam jucundum videri mihi debuit, non interfectum a te, quam miserum id te impune facere potuisse. Sed sit beneficium, quandoquidem majus accipi a latrone nullum potuit. In quo potes me dicere ingratum? an de interitu reipublicae queri non debui, ne in te ingratus viderer? Nam in illa querela, misera quidem et luctuosa, sed mihi

pugna Pharsalica in Italiam appulsis, intercessent negotii, constat ex ipso Cicerone. Epistola 6. lib. xi. ad At. *In oppido aliquo mallem resedisse, quoad arcesseret. Minus sermonis subiissem: minus accepissem doloris ipsum hoc me non angeret. Brundusii jacere in omnes partes est molestum: Propius accedere, ut suades, quomodo sine lictoribus, quos populus dedit, possum? Quo mihi incolumi adimi non possunt: quos ego modo paulisper cum in bacillis turbam conjeci ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret.* Et Epistola sequenti: *Ad me misit Antonius exemplum Caesaris ad se literarum in quibus erat se audivisse Catonem et Luc. Metellum in Italiam venisse Romae ut essent palam; id sibi non placere ne qui motus ex eo fierent; prohiberique omnes Italia, nisi quorum ipse caussam cognovisset, atque ea vehementius erat scriptum. Itaque Antonius petebat a me per literas ut sibi ignoscerem: facere se non posse quin his literis pareret. Tum ad eum misi L. Lamiam, qui demonstraret illum Dolabellae dixisse, ut ad me scriberet, in Italiam quam primum venirem: ejus me literis venisse. Tum ille edixit ita ut me exsciperet, et Laelium nominatim. Quod sane nollem. Poterat enim sine nomine, re ipsa exscipi.* Pro Ligario: *Apud quem igitur hoc dico? Nempe apud eum qui cum hoc sciret tamen me, antequam vidit, reip. reddidit. Qui ad me ex Aegypto literas misit, ut essem idem qui fuissem, qui cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est: a quo, hoc ipse C. Pansa mihi nuntium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putavi,* etc. E quibus patet et quomodo de Caesaris voluntate in Italiam venerit, et cur eum Antonius non potuerit occidere. *Abram.*

14) *Potuisse)* Jure belli.

pro hoc gradu, in quo me senatus populusque Romanus collocavit, necessaria, quid est dictum a me cum contumelia? quid non moderate? Quid non amice? Quod quidem cujus temperantiae fuit, de M. Antonio querentem abstinere maledicto? praesertim cum te reliquias reipublicae dissipavisses? cum domi tuae turpissimo mercatu omnia essent venalia: cum leges eas 15), quae numquam promulgatae essent, et de te, et a te latas confiterere? cum auspicia augur, intercessionem consul sustulisses? cum esses foedissime stipatus armatis? cum omnes impuritates pudica in domo 16) quotidie susciperes, vino lustrisque confectus? At ego, tamquam mihi cum M. Crasso 17) contentio esset, quo cum multae, et magnae fuerunt, non cum uno gladiatore nequissimo, de republica graviter querens, de homine nihil dixi. Itaque hodie perficiam, ut intelligar, quantum a me beneficium tum acceperit. At etiam literas, quas me sibi misisse diceret, recitavit; homo et humanitatis exspers, et vitae communis ignarus. Quis enim umquam, qui paululum modo bonorum consuetudinem nosset, literas ab se ab amico missas, offensione aliqua interposita, in medium protulit, palamque recitavit? Quid est aliud tollere e vita vitae societatem, quam tollere amicorum colloquia absentium? quam multa joca solent esse in epistolis, quae prolata si sint, inepta esse videantur? quam multa seria, neque tamen ullo

15) *Cum leges eas)* Post mortem Caesaris multas leges, quae ne scriptae quidem ante fuerant, nedum promulgatae, vel tulit, vel per tribunos plebis ferri curavit Antonius. Quarum aliquae ad ipsum Antonium pertinebant, contra legem Liciniam et Aebutiam. Quibus ferendis auspicia neglexit, et Tribunos plebis ad intercedendum prohibuit accedere. A persona facinoris atrocitatem exagerat: longe enim est indignius ab augure quam a ceteris auspicia contemni. Cumque ad officium consulis spectet providere ne tribunitiarum legum multitudine respublica turbetur, eaque legum multitudo sola reliquorum Tribunorum plebis intercessione tollatur, indignissimum est, Consulem Tribunis plebis intercedendi facultatem adimere. *Idem.*

16) *Pudica in domo)* Pompeii.

17) *Cum M. Crasso)* Multas contentiones fuisse Ciceroni cum M. Licinio Crasso constat ex ejus in Crassum dicteriis, quae a Plutarcho referuntur. *Idem.*

modo divulganda? sit hoc inhumanitatis tuae: stultitiam incredibilem videte. Quid habes, quod mihi opponas, homo diserte? ut Mustelae Tamisio, et Tironi Numisio videris? qui cum hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quo modo sis eos inter sicarios defensurus. Sed quid opponas tandem, si negem me umquam istas literas ad te misisse? quo me teste convinces? an chirographo? in quo habes scientiam quaestuosam 18). Qui possis? sunt enim librarii manu. Jam invideo magistro tuo qui te tanta mercede, quantam jam proferam 19), nihil sapere docuit. Quid enim est minus non dico oratoris, sed hominis, quam id objicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit qui objecerit? at ego non nego, teque in isto ipso convinco non inhumanitatis solum, sed etiam amentiae. Quod enim verbum in istis literis est non plenum humanitatis, officii, benevolentiae? Omne autem crimen tuum est, quod de te in his literis non male existimem: quod scribam tamquam ad civem, tamquam ad bonum virum, non tamquam ad sceleratum, et latronem. At ego 20) tuas literas, etsi, jure poteram a te lacessitus, tamen non proferam: quibus petis, ut tibi per me liceat quemdam de exilio re-

18) *Quaestuosam)* Quia chirographa fingis, quasi a Caesare scripta. Infra. *Manut.*

19) *Proferam)* Infra cap. 17.

20) *At ego)* Concludit mentione literarum, quas de Sexti Clodii restitutione ad Ciceronem scripserat Antonius. Ex libro 14. ad Atticum, loco item decimo quarto, referuntur hoc initio: *Occupationibus est factum meis.* Ubi his verbis petit Antonius: *A Caesare petii, ut S. Clodium restitueret: impetravi. Erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio ejus si tu concessisses: quo magis laboro, ut tua voluntate id per me facere nunc liceat* Et ita concludit: *Quod si non impetro, per me Clodio daturus non sum: ut intelligas quanti apud me auctoritas tua sit, atque eo te placabiliorem praebeas.* Respondet Cicero Epistola sequenti: *Ego vero tibi istuc, mi Antoni, remitto, atque ita, ut me a te cum his verbis scripseris, liberalissime et honorificentissime tractatum existimem.* Idem.

ducere: adjurasque, id te, invito me, non esse facturum: idque a me impetras. Quid enim me interponerem audaciae tuae, quem neque auctoritas hujus ordinis, neque existimatio populi Romani, neque leges ullae possent coercere? verumtamen quid erat, quod me rogares, si erat is, de quo rogabas; Caesaris lege seductus? sed videlicet meam gratiam voluit esse: in quo ne ipsius quidem ulla esse poterat, lege lata 21).

SECUNDI OBJECTI CONFUTATIO.

Nempe Ciceronem Consulatum crudeliter gessisse.

Sed cum mihi, P. C. et pro me aliquid, et in M. Antonium multa dicenda sint, alterum peto a vobis, ut me pro me dicentem benigne, alterum ipse efficiam, ut contra illum cum dicam, attente audiatis. Simul illud oro, si meam cum in omni vita, tum in dicendo moderationem modestiamque cognostis, ne me hodie, cum isti, ut provocavit, respondero, oblitum esse putetis mei. Non tractabo ut consulem: ne ille quidem me ut consularem. Etsi ille nullo modo consul, vel quod ita vivit, vel quod ita rempublicam gerit, vel quod ita factus est consul: ego sine ulla controversia consularis. Ut igitur intelligeretis, qualem ipse se consulem profiteretur, objecit mihi consulatum meum. Qui consulatus verbo meus, P. C.; re vester fuit. Quid enim ego constitui, quid gessi, quid egi, nisi ex hujus ordinis consilio, auctoritate, sententia? haec tu homo sapiens, non solum eloquens, apud eos, quorum consilio sapientiave gesta sunt, ausus es vituperare? quis autem meum consulatum, praeter P. Clodium, qui vituperaret, inventus est? cujus quidem tibi fatum siquuti C.Curionem, manet 22); quoniam id domi tuae

21) *Lege lata)* Nam si lege Caesaris reditum in patriam impetraverat, Antonii beneficium in eo restituendo nullum erat. *Idem.*

22) *Cujus quidem te fatum, sicuti C. Curionem manet).* Non habeo dubium, quin legi debeat ita, ut in optimo libro scriptum est, *Cujus quidem tibi fatum, sicuti C. Curioni manet.* Sed nescio quomodo fit, ut quicquid paullo longius ab usitata loquendi consuetudine discedit, id

est, quod fuit illorum utrique fatale 23). Non placet M. Antonio consulatus meus: at placuit P. Servilio, ut eum primum nominem ex illius temporis consularibus, qui proxime est mortuus. Placuit Q. Lutatio Catulo, cujus semper in hac republica vivet auctoritas; placuit, duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni, M. Lepido, C. Pisoni, M. Glabrioni, L. Volcatio, C. Figulo, D. Silano, M. Murenae, qui tum erant consules designati: placuit idem, quod consularibus M. Catoni: qui, cum multa, vita excedens, providit, tum, quod te consulem non vidit. Maxime vero consulatum meum Cn. Pompejus probavit: qui, ut me primum decedens ex Syria vidit complexus, et gratulans meo beneficio patriam se visurum esse dixit. Sed quid singulos commemoro? frequentissimo senatui sic placuit, ut esset nemo,

quorundam aures protinus repudient. *Muret.* Faernum et Muretum sequutus est Lambinus. In meo quoque Codice est *tibi*. Laudat etiam sic hunc locum Sanctius in Minerva, lib. II. cap. 4. et constructionem pluribus exemplis confirmat, ut illo Virgilii:

,, Haec eadem matrique tuae, generique manebunt. Sed praestat ut alia ibi legas. *Graevius.*

23) *Quod fuit utrique fatale)* Fatalis maritis suis Fulvia, quod eos et ambitione inflaret, et ad ciendas turbas exscitaret. Plutarchus in Antonio. *Nuptiis animum adjecit, ducens, Fulviam, quae olim Clodio populari concionatori nupserat, mulierem neque lanificio, neque rei domesticae deditam, neque viro privato imperare dignantem, sed magistratum obtinenti praesse, et imperanti volentem imperare.* Adeo ut in proscriptione triumvirali multos ipsa suo nomine proscripserit, ut referunt Dio, et Appianus, et tum ipsa, tum Antonius Senatum ludibrio habuerint, ut auctor est Dio, lib. 48. *Eas ludibrio habuerint, tum aliis modis, tum Senatum Caligam vocantes, quod Senatores calceamentis militaribus uterentur.* Et ipsa post victos Brutum et Cassium, absente Antonio, bellum contra Caesarem Octavianum, qui in Italiam redierat, excitarit. Quo bello ut ibidem narrat Dio, Fulvia, *et gladio accingebatur, et militibus tesseram dabat.* Haec illa est Fulvia, quae tam foede insultavit absciso capiti Ciceronis. Idem Dio, lib. 47: *Fulvia autem id caput arreptum, prius-*

qui mihi non ut parenti gratias ageret, qui mihi non vitam suam fortunas, liberos, Rempublicam referret acceptam. Sed quoniam illis, quos nominavi tot, et talibus viris respublica orbata est: veniamus ad viros, qui duo de consulari numero reliqui sunt. L. Cotta, vir summo ingenio, summaque prudentia, rebus iis gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decrevit verbis amplissimis; eique illi ipsi, quos modo nominavit, consulares, senatusque cunctus assensus est. Qui honos post conditam hunc urbem habitus est togato ante me nemini. L. Caesar avunculus tuus, qua oratione, qua constantia, qua gravitate sententiam dixit in sororis suae virum, vitricum tuum 24)? hunc tu cum auctorem, et praeceptorem omnium consiliorum, totiusque vitae debuisses habere vitrici te similem; quam avunculi, esse maluisti. Hujus ego alienus consiliis consul usus sum: tu, sororis filius, ecquid ad eum umquam de republica retulisti? at quos refert? dii immortales! ad eos scilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi sunt. Hodie non descendit Antonius; cur? dat natalitia in hortis; cui? neminem nominabo. Putate tum Phormioni 25) alicui, tum Gnathoni, tum etiam Ballioni.

quam auferretur, insaltansque amarulentis verbis et conspuens genibus suis imposuit: orique ejus aperto linguam exstractam, acubus (quales secum comendi capitis caussa mulieres ferunt) compunxit, additis crebris ac turpibus opprobriis. Ut mirum non sit turbulentam hanc mulierem Antonio dici fatalem. Etsi enim insanus amor Cleopatrae extremam ei pestem invexit, id tamen Plutarchus Fulvius refert acceptum. *Ut mercedem Fulviae, quod ancillari Antonium docuisset foeminis, debuerit Cleopatra, quae plane cicurem et velut a tirocinio institutum ad obtemperandum foeminis accepit* Haec Plutarchus. Neque tamen uxorem solum, sed etiam equum fatalem habuisse creditus est Antonius. Vide Gellii lib. III. Noct. Attic. cap. 9. *Abr.*

24) *Vitricum tuum)* Virum matris tuae, nam mater Antonii fuit Julia Lucii Caesaris soror, quam post mortem Antonii patris P. Lentulus autem inter conjuratos jussu Ciceronis est in carcere jugulatus. *Idem.*

25) *Phormioni)* Parasitis, quales sunt Phormio et Gnatho apud Terentium, et lenonibus similibus illi Ballioni, qui apud Plautum inducitur. *Idem.*

O foeditatem hominis flagitiosam! o impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam! tu, cum principem senatorum, civem singularem, tam propinquum habeas, ad eum de republica nihil referas ad eos, qui rem suam nullam habent 26), tuam exshauriunt? tuus videlicet salutaris consulatus, perniciosus meus. Adeone pudorem cum pudicitia 27) perdidisti, ut hoc in eo templo dicere ausus sis, in quo ego senatum illum, qui quondam florens orbi terrarum praesidebat, consulebam; tu homines perditissimos cum gladiis collocavisti? At etiam ausus es (quid autem est, quod tu non audeas?) clivum Capitolinum dicere, me consule, plenum servorum armatorum fuisse. Ut illa, credo, nefaria S. C. tum fierent, vim afferebam senatui. O miserum, sive illa tibi nota sunt; nihil enim boni nosti; sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare! Quis enim eques Romanus quis, praeter te, adolescens nobilis, quis ullius ordinis qui se civem meminisset, cum senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit 28?) quamquam nec scribae sufficere, nec tabulae nomina illorum capere potuerunt. Etenim cum homines nefarii de patriae parricidio confiterentur,

26) *Qui suam rem nullam habent)* Lusit in vocabulo *res*. Cur ad eos, inquit, refers de rep. qui suam ipsi rem nullam habent, tuam perdunt? *Manut.*

27) *Pudorem cum pudicitia)* Pudor est animi, pudicitia corporis. Tu igitur, Antoni, qui pudicitiam perdideras, parum de pudore laborasti: qui enim impudicus fuerit: cum impudentem esse quis miretur? *Idem.*

28) *Quis nomen non dedit)* Nomen dare dicuntur, qui in delectu in militum matriculam referuntur. Livius lib. II. *Delectuque decreto nomen dedit.* Paullo post: *Omisso certamine nomina dedere.* Libro IV. *Cognitio vocantium militiae manere post bellum differtur. Ita dubii quoque inclinant ad nomina danda.* Libro III. *Cognoscendis caussis eorum, qui nomina non dedissent bello perfecto se daturos tempus.* Libro VI. *Neque duci addictos tribuni sinebant, neque iuniores nomina dabant.* Idem.

consciorum indiciis, sua manu, voce pene literarum 29) coacti, se urbem inflammare; cives trucidare, vastare Italiam, delere rempublicam consensisse: quis esset, qui ad salutem communem defendendam non excitaretur? praesertim cum senatus, populusque Romanus haberet ducem, qualis si qui nunc esset, tibi idem quod illis accidit, contigisset. Ad sepulturam corpus vitrici 30) sui negat a me datum. Hoc vero ne P. quidem Clodius dixit umquam; quem, quia jure ei inimicus fui, doleo a te jam omnibus vitiis esse superatum. Qui autem tibi venit in mentem, redigere in memoriam nostram, te domi P. Lentuli esse educatum? an verebare, ne non putaremus natura te potuisse tam improbum evadere, nisi accessisset etiam disciplina? Tam autem eras exscors, ut tota in oratione tua tecum ipse pugnares, ut non modo cohaerentia inter se diceres, sed maxime disjuncta, atque contraria: ut non tanta mecum, quanta tecum tibi esset contentio. Vitricum tuum fuisse in tanto scelere fatebare, poena affectum querebare. Ita, quod proprie meum est, laudasti: quod totum senatus est, reprehendisti. Nam comprehensio sontium mea, animadversio senatus fuit. Homo disertus non intelligit, eum, quem contra dicit, laudari a se eos, apud quos dicit, vituperari. Jam illud cujus est, non dico audaciae, (cupit enim se audacem dici) sed, quod minime vult, stultitiae, qua vincit omnes,

29) *Voce pene literarum)* Certe, ut Bisciolae nostri verbis utar lib. IV Subsecarum, cap XII. *Mirabantur et nostro saeculo Indi papyrum loquentem, ut ipsi putabant, quod a rerum Indicarum scriptoribus narratur*: Quo in genere lepida est narratiuncula de illo puero, qui jussu heri fiscellam ficibus plenam ad herilem amicum deferens, partem ederat in via, partem ei reddiderat ad quem fuerant destinatae. Et rem per literas de hero detectam admirans, paullo post cum eamdem ferendarum ficuum accepisset provinciam, literas, ne quid illae rescicerent, in terram defodit, ficusque, ut rebatur sine arbitris manducavit.

30) *Vitrici)* Lentuli.

clivi Capitolini mentionem facere, cum inter subsellia nostra versentur armati? cum in hac cella Concordiae 31), o dii immortales! in qua, me consule, salutares sententiae dictae sunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladiis homines collocati stent? accusa senatum: accusa equestrem ordinem, qui tum cum senatum copulatus fuit: accusa omnes ordines, omnes cives, dum confiteare, hunc ordinem hoc ipso tempore ab Ithyreis 32) circumsederi. Haec tu non propter audaciam dicis tam impudenter, sed quia tantarum rerum repugnantiam non videas, nihil profecto sapis. Quid est enim dementius quam cum reipublicae perniciosa arma ipse coeperis, objicere alteri? At etiam quodam loco facetus esse voluisti. Quam id te, dii boni! non decebat! in quo est tua culpa nonnulla: aliquid enim salis ab uxore mima 33) trahere potuisti. *Cedant arma togae.* Quid? tum nonne cesserunt? at postea tuis armis cessit toga. Quaeramus igitur, utrum melius fuerit, libertati populi Romani sceleratorum arma, an libertatem nostram armis tuis cedere. Nec vero tibi de versibus respondebo: tantum dicam breviter, neque illos, neque ullas te omnino literas nosse: me nec reipublicae, nec amicis umquam defuisse, et tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse operis subsicivis, ut meae vigiliae, meaeque literae et juventuti utilitatis, et nomini Romani laudis aliquid afferent.

31) *In hac cella Concordiae)* Deprehensis conjuratorum literis, ut narrat Plutarchus in Cicerone, *Senatui in cellam Concordiae convocato, literas recitavit, et indices audivit*, Unde illud pro Sexto: *Erat eodem tempore Senatus in aede Concordiae, quod ipsum tempus repraesentabant memoriam consulatus mei.* Manutius.

32) Ab Ithyreis Barbaris ab Ithyra urbe in Tauro monte. *Id.*

a) Vict. Man. Lamb. *tantarum.*

b) Vict. *contra rempublicam.*

33) *Ab uxore mima)* A Cytheride, amica sua, quam secum vel in castra ducebat. Unde Virg. *Tua, Galle, Lycoris Perque nives alium, perque horrida castra secuta est.* Cytheridem significat, ut ait Probus, quae et Volumnia vocabatur, quod eam Volumnius Eutrapelus, antequam Antonius, amavit. Vide infra, et epist. ult. lib. IX. Fam. *Idem.*

TERTII OBJECTI CONFUTATIO.

Nempe auctorem fuisse multorum scelerum Ciceronem.

SEd haec non hujus temporis: ad majora veniamus. P. Clodium meo consilio interfectum esse dixisti. Quidnam homines putarent, si tum occisus esset, cum tu illum in foro, inspectante populo R. gladio stricto insequutus es, negotiumque transegisses, nisi se ille sub scalas tabernae librariae conjecisset, hisque oppilatis impetum tuum compressisset! sed quid? ego favisse 34) me tibi fateor; suasisse ne tu quidem dicis. At Miloni ne favere quidem potui: prius enim rem transegit, quam quisquam eum facturum id suspicaretur. At ego suasi. Scilicet is animus erat Milonis, ut prodesse reip. sine suasore non posset. At laetatus sum. Quid ergo? in tanta laetitia cunctae civitatis me unum tristem esse oportebat! quamquam de morte P. Clodii 35) fuit quaestio non satis prudenter illa quidem constituta. Quid enim attinebat nova lege quaeri de eo, qui hominem occidisset, cum esset legibus quaestio constituta! quaesitum est tamen. Quod ergo, cum res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis post tu es inventus, qui diceres? Quod vero dicere ausus es, id-

34) *Favisse)* Plausu significasse tuum factum, sive potius conscium mihi probari. Cujus autem impudentiae fuit, objicere alteri consilium patrati facinoris, quod sua manu patrare voluerat Antonius? *Abram.* Monuit Fr. Sanctius, *Minerv.* III. 3. verbum *faveo* non minus activum esse, quam *invideo*: atque ut latine dixit Virgilius, Georg. I. 503. *Nobis caeli te regia invidet*, ita latinum esse *Faveo tibi hanc rem, hoc factum.* Si quis tamen hic ellipsin esse velit prepositionis *ob*, *propter*, non valde reluctabor.

35) *Quamquam de morte P. Clodii)* Occurrit tacitae objectioni. *Si omnes, ut dicis, Clodii morte laetati sunt, cur igitur Milo damnatus est?* Id acceptum refert non caussae Milonis, quae fuit optima, sed institutioni novae quaestionis. De qua multis queritur pro Milone; *Abram.*

que multis verbis, opera mea Pompejum a Caesaris amicitia esse disjunctum, ob eamqne caussam culpa mea civile bellum esse natum; in eo non tu quidem tota re, sed quod maximum est, temporibus errasti. Ego M. Bibulo, praestantissimo cive, consule, nihil praetermisi, quantum facere, enitique potui, quin Pompejum a Caesaris conjunctione avocarem. In quo Caesar fuit felicior: ipse enim Pompejum a mea familiaritate disjunxit. Postea vero quam se totum Pompejus Caesari tradidit, quid ego illum ab eo distrahere conarer? stulti erat sperare, suadere impudentis. Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Caesarem Pompejo suaserim: ea velim reprehendas, si potes: unum, ne quinquennii imperium 36) Caesari prorogaretur, alterum, ne pateretur ferri 37), ut absentis ejus ratio haberetur 38), quorum si utrumvis persuasissem in has miserias numquam incidissemus. Atque idem ego, cum jam omnes opes et suas, et populi Rom. Pompejus ad Caesarem detulisset, seroque eadem sentire coepisset, quae ego multo ante praevideram, inferrique patriae bellum nefarium viderem: pacis, concordiae, compositionis auctor esse non destiti; meaque illa vox est nota multis; utinam, Cn. Pompei, cum C. Caesare societatem aut numquam coisses, aut numquam diremisses! Fuit alterum gravitatis, alterum prudentiae tuae. Haec mea, M. Antoni, semper et de Pompejo, et de rep. consilia fuerunt, quae si valuissent, resp. staret; tu tuis flagitiis, egestate, infamia concidisses. Sed haec vetera; illud vero recens, Caesarem meo consilio interfectum. Jam vereor, P. C. ne quod turpissimum est, praevaricatorum mihi apposuisse videar, qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis. Quis enim meum in istius

36) *Ne quinquennii imperium)* Vid. Orat. de Prov. Cons.
37) *Ferri)* Subauditur legem.
38) *Ratio haberetur)* In comitiis Consularibus.

gloriosissimi facti conscientiae nomen audivit? cujus autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? occultatum dico? cujus non statim divulgatum? citius dixerim, jactasse se aliquos, ut fuisse in ea societate viderentur, qui socii non fuissent, quam ut quisquam celari vellet. Quam verisimile porro est, in tot hominibus, partim obscuris, partim adolescentibus, neminem occultantibus, meum nomen latere potuisse? Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur, illis auctoribus 39), Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalae? hi igitur majoribus his orti, ab alienis potius consilium peterent, quam a suis? et foris potius, quam domi? Quid? C. Cassius, in ea familia natus, quae non modo dominatum, sed ne potentiam quidem cujusquam ferre potuit, me auctorem credo, desideravit: qui etiam sine his clarissimis viris hanc rem in Cilicia ad hostium fluminis Cydni confecisset, si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam, naves appulisset: Cn. Domitium 40) non patris interitus, clarissimi viri, non avunculi mors, non spoliati di-

39) *Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis auctoribus)* Si M. Brutus, Decimus Brutus, C. Cassius qui conspirationis in Caesarem factae principes et auctores fuerunt, eguissent aliis auctoribus et impulsoribus ad illud facinus designandum non opus erat ut eos ipse hortarer, iisque tanti facinoris auctor essem, cum haberent domesticos hortatores et majorum suorum exempla. Et uterque Brutus inter paternas majorum suorum imagines in atrio domus suae collocatas viderent imaginem Luc. Bruti. qui Tarquinios ejecit, et patriam ab eorum dominatione liberavit. M. Brutus etiam inter maternas majorum imagines videret imaginem AhalaeServilii, qui sua manu occidit Spurium Melium, qui annona levanda, jacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem venerat regni appetendi. Cassius haberet exempla majorum suorum, e quibus ille fuit Cassius, qui filium suum legibus agrariis populares auras aucupantem, cum in suspicionem venisset affectati regni, dicitur intermisse, et bona ejus Cereri consecrasse. *Abram.*

40) *Cn. Domitium)* Cn. Domitius me auctore non egebat ad inferendam Caesari necem, satis excitatus interi-

gnitatis ad recuperandam libertatem, sed mea auctoritas exscitavit. An C. Trebonio ego persuasi, cui ne suadere quidem ausus essem? quo etiam majorem ei resp. gratiam debet, qui libertatem populi Romani unius amicitiae praeposuit, depulsorque dominatus quam particeps, esse maluit. An L. Tillius Cimber me est auctorem sequutus? quem egò magis fecisse illam rem sum admiratus, quam facturum putavi: admiratus sum autem ob eam caussam, quod immemor beneficiorum, memor patriae fuisset. Quid duos Servilios? Cascas, dicam an Ahalas; et hos auctoritate mea censetis exscitatos potius, quam caritate reipub.? longum est persequi ceteros: idque Reipub. praeclarum fuisse tam multos, ipsis gloriosius est. At quemadmodum me coarguerit homo acutus, recordamini. Caesare interfecto, inquit, statim cruentum alte exstollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exsclamavit, atque ei recuperatam libertatem est gratulatus. Cur mihi potissimum? quod sciebam? vide ne illa caussa fuerit appellandi me quod cum rem gessisset consimilem rebus iis, quas ipse gesseram, me potissimum testatus est, se aemulum mearum laudum exstitisse. Tu autem omnium stultissime, non intelligis, si id, quod me arguis, voluisse interfici Caesarem, crimen sit, etiam laetatum esse morte Caesaris, crimen esse? quid enim inte-

tu patris sui Luc. Domitii, qui occubuit pugna Pharsalica, et avunculi sui M. Catonis Uticensis, qui Uticae mortem sibi ipse conscivit, ne in Caesaris victoris manus deveniret. Hic autem est Cn. ille Domitius Neronis proavus, quem Tranquillus in Nerone cap. 3. ait, *omnibus gentis suae praeferendum*. Subditque: *Is inter conscios Caesarianae necis (quamquam insons) damnatus lege Pedia, cum ad Cassium Brutumque se propinqua sibi cognatione conjunctos contulisset, post utriusque interitum classem olim commissam retinuit auxit etiam, nec nisi partibus ubique profligatis, M. Antonio sponte et ingentis meriti loco tradidit, solusque omnium ex iis, qui pari lege damnati erant, restitutus in patriam, amplissimos honores percucurrit.* Abram.

rest inter suasorem facti, et probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? ecquis est, igitur, te exscepto, et iis, qui illum regnare gaudebant, qui illud aut fieri noluerint, aut factum improbarit? omnes ergo in culpa. Etenim omnes boni quantum in ipsis fuit, Caesarem occiderunt. Aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit, voluntas nemini. Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis attendite. Sic enim dixit: M. Brutus, quem ego honoris caussa nomino, cruentum pugionem tenens, Ciceronem exsclamavit; ex quo intelligi debet, eum conscium fuisse. Ergo ego sceleratus appellor a te, quem tu suspicatum aliquid suspicaris: ille, qui stillantem prae se pugionem tulit, is a te honoris caussa nominatur? esto: sit in verbis tuis hic stupor: quanto in rebus, sententiisque major? constitue hoc, consul, aliquando, Brutorum, C. Cassii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum quam velis esse caussam: edormi crapulam, inquam, et exshala. An faces admovendae sunt, quae te exscitent tantae caussae indormientem? numquam ne intelligis statuendum tibi esse, utrum illi, qui istam rem gesserunt, homicidae sint, an vindices libertatis? Attende enim paullisper; cogitationemque sobrii hominis punctum temporis suscipe. Ego qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris, ut a te arguor, socius; nego quidquam esse medium: confiteor eos, nisi liberatores populi Rom. conservatoresque reip. sint, plus quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas esse: siquidem est atrocius, patriae parentem, quam suum occidere. Tu, homo sapiens, et considerate, quid dicis? si parricidae, cur honoris caussa a te sunt, et in hoc ordine, et apud populum R. semper appellati? cur M. Brutus 41), te referente, legibus est solutus, si ab urbe plus quam decem dies

(1) *M. Brutus)* Cui, quia praetor erat, ab urbe plus quam decem dies abesse non licebat, nisi legibus solveretur. *Manut.*

abfuisset? cur ludi Apollinares 42) incredibili M. Bruti honore celebrati? cur provinciae Bruto et Cassio datae 43)? cur quaestores additi? cur legatorum numerus auctus? atque haec acta per te. Non igitur homicidae. Sequitur, ut liberatores tuo judicio sint: quandoquidem tertium nihil potest esse. Quid est? num conturbo te? non enim fortasse satis, quae distinctius dicuntur, intelligis. Sed tamen haec est summa conclusionis meae: quoniam scelere a te liberati sunt ab eodem te amplissimis praemiis dignissimos judicatos 44). Itaque jam retexo orationem meam: scribam ad illos, ut, si qui forte, quod a te mihi objectum est, quaerent, sit ne verum, ne cui negent. Etenim vereor, ne aut celatum me ab ipsis, illis non honestum: aut invitatum refugisse, mihi sit turpissimum. Quae enim res umquam, proh sancte Jupiter! non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta major? quae gloriosior? quae commendatior erit hominum memoriae sempiternae? in hujus me consilii societatem, tamquam in equum Trojanum includi cum principibus non recuso. Ago etiam gratias, quoquo animo facis. Tanta enim res est, ut invidiam istam, quam tu in me vis concitare, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos

42) *Cur ludi Apollinares)* Brutus et alii Caesaris percussores patrata caede, veteranorum et plebeculae metu ex urbe profugerant, et Senatus ut honestum fugae praetextum daret Brutum et Cassium, annonae praefecerat. Cum autem Praetoris esset urbani ludos Apollinares exhibere, eos C. Antonius praetor absentis Bruti nomine magnifice suppeditatis a Bruto sumptibus celebravit. *Abr.*

43) *Cur provinciae Bruto et Cassio datae)* Bruto Macedonia, Cassio Syria. *Idem.*

44) *Retexo)* Retracto quae dixeram, me videlicet conspirationis illius conscium non fuisse. Videtur autem esse ironia: non enim ad Brutum et Cassium, ea de re scribere decreverat. Retexo, est muto et corrigo. Sic epist. 14. lib. IX. ad Familiares: *Novi timores retexunt superiora.* Manutius ibidem, epist 28 *An quod adolescens praestiti, cum etiam errare cum excusatione possem id nunc aetate praecipitata, commutem, ac me ipse retexam?* Ubi Manutius. *Qui retexit, mutat, quod jam fecit, quasi male factum.* Abram.

tu exspulsos a te praedicas, et relegatos? qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui illos quo accesserim, non affari, atque appetere videatur? qui homines tam agrestes, qui se, cum eos adspexerint, non maximum coepisse vitae fructum putent? quae vero tam immemor posteritas, quae tam ingratae literae reperientur, quae eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur? tu vero adscribe me talem in numerum. Sed unam rem, vereor, ne non probes: si enim fuissem, non solum regem, sed regnum etiam de rep. sustulissem: et si meus stylus 45) ille fuisset, ut dicitur; mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem. Quamquam si, interfici Caesarem voluisse, crimen est 46), vide quaeso, Antoni, quid tibi futurum sit, quem et Narbone hoc consilium 47) cum C. Trebonio coepisse notissimum est; et ob ejus consilii so-

45) *Si meus stylus)* Si fuissem poeta illius fabulae, quam Brutus et Cassius egerunt, etc. Fabula est liberatio reipublicae, poeta Cicero, stylus consilium actus unus caedes Caesaris, reliqui quatuor actus ad absolvendam fabulam requisiti videntur esse caedes Lepidi et trium Antoniorum, quos Cicero de medio sustulisset, quod iis stantibus non posset stare respublica. Alia translatione idem expressit lib. XII. ep. ad Cassium 4. *Vellem Idibus Martiis me ad coenam invitasse; reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiae vestrae exercent, et quidem praeter ceteros me.* Quod repetit libro X. ad Familiares, epistola ad Trebonium, quae est 28. *Idem.*

46) *Quamquam si interfici Caesarem voluisse crimen est)* Antonius Caesari ex Hispania redeunti victis Pompeii liberis, Narbonem usque obviam progressus comitem habuit, et contubernalem C. Trebonium; isque oblique necandi Caesaris mentionem injecit. Antonius Trebonii consilio non acquievit ille quidem, sed fideliter rem silentio suppressit ne ad aures Caesaris manaret. Cicero rem aliter interpretatus contendit. Antonio necandi Caesaris voluntatem adfuisse, sed audaciam defuisse. *Idem.*

47) *Hoc consilium)* Ita rem narrat Plutarchus in Antonio: *Et cum ex amicis fidelissimum quemque ad id negotium eligerent, deliberabant circa Antonium. Cumque ceteri vellent eum in consilii societatem admittere, repugnavit Trebonius. Dicebat enim quo tempore Caesari ex Hispania redeunti obviam ierunt, sibi comitem et contubernalem fuisse M. Antonium, cujus animum cum ipse pedetentim, et caute exsperiri voluisset Antonium ajebat*

cietatem, cum interficeretur Caesar, tum te a Trebonio vidimus sevocari 48). Ego autem (vide, quam tecum agam non inimice) quod bene cogitasti aliquando, laudo: quod non indicasti, gratias ago: quod non fecisti, ignosco: virum res illa quaerebat. Quod si te in judicium quis adducat, usurpetque illud Cassianum 49): *Cui bono fuerit:* vide, quaeso, ne haereas. Quamquam illud quidem fuit, ut tu dicebas, omnibus bono, qui servire nolebant: tibi tamen praecipue, qui non modo servis, sed etiam regnas; qui maximo te aere alieno ad aedem Opis liberasti; qui per easdem tabulas 50) innumerabilem pecuniam dissipavisti; ad quem e domo Caesaris 51) tam multa delata sunt, cujus domus quaestuosissima est falsorum commentariorum, et chirographorum officina, agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium flagitiosissimae nundinae. Etenim quae res egestati, et aeri alieno tuo, praeter mortem Caesaris, subvenire potuisset? nescio quid conturbatus mihi esse videris. Numquid sublimes, ne ad te hoc crimen pertinere videatur? libero te metu. Nemo credet umquam: non est tuum de republica bene mereri. Habet illius pul-

sensisse, quidem quorsum ea dicerentur, id tamen facinus aggredi noluisse, sed nihilo secius fideliter tacuisse, neque insidias ad Caesarem detulisse. Abram.

48) *Te a Trebonio vidimus sevocari)* Plutarchus tamen in Caesare. *Antonium qui et Caesari fidelis erat et robustus, extra curiam detinuit Brutus Albinus injiciens sermonem data opera longiorem.* Sed Plutarcho Plutarchum opponimus: *At Trebonius,* inquit in Bruto, *Antonium circa curiae januam seductum injecto sermone foris detinuit.* Cui conceptis verbis adstipulatur etiam Dio lib. 43. et Noster lib. 10. ad familiares epist. 28. quae est ad ipsum Trebonium: *Quod vero a te viro optimo seductus est, tuoque beneficio adhuc vivit haec pestis interdum, quod vix mihi fas est, tibi subirascor.* Idem Philipp. XIII. *Idem.*

49) *Cassianum)* Vide Orat. pro Milone, cap. 12. et ibi Asconium.

50) *Per easdem tabulas)* Infra: *Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis quae sunt ad Opis patebat?* Eam autem pecuniam dicitur per easdem tabulas dissipasse, quia tabulas adulteraverat, ne furtum illud exstaret. *Abramus.*

cherrimi facti clarissimos viros resp. auctores. Ego te tantum gaudere dico, fecisse non arguo. Respondi maximis criminibus: nunc etiam reliquis respondendum est. Castra mihi Pompeji, atque illud omne tempus objecisti, quo quidem tempore si, ut dixi, meum consilium, auctoritasque valuisset, ut hodie egeres, nos liberi essemus, resp. non tot duces, et exercitus 52) amisisset. Fateor enim me, cum ea, quae acciderunt, providerem futura 53), tanta in moestitia fuisse, quanta ceteri optimi cives, si idem providissent, fuissent. Dolebam, dolebam, P. C. remp. vestris quondam, meisque consiliis conservatam brevi tempore esse perituram. Neque vero eram tam indoctus, ignarusque rerum, ut frangerer animo propter vitae cupiditatem, quae me manens conficeret

51) *E domo Caesaris)* Post Caesaris necem Calpurnia Caesaris conjux, verita ne vel Caesari percussores, vel etiam Senatus invaderet, ingentem pecuniae vim e domo Caesaris prolatam, id est tria circiter talentum millia deposuit apud Antonium. Et in his Caesaris commentarios, in quibus ipsius manu notata erant, quae Caesar facere decreverat. Interim cum Senatus nihil de Caesaris actis mutandum censuisset, Antonius hanc occasionem rapiens Caesaris commentarios adulteravit, et agros, immunitates, vectigalia civitatibus concessit, nihilque non vendidit cujus invenit emptorem. *Idem.*

52) *Exercitus)* Tres, quorum unus in Thessalia apud Pharsalum, alter in Africa apud Thapsum, tertius in Hispania apud Mundam deletus est. Primus Imperatorem habuit Cn. Pompejum, secundus P. Scipionem, tertius Cneum et Sextum liberos Pompeji, *Abram.* Vide infra, cap. 22.

53) *Providerem futura)* Quam prudenter Orator bello civili futura providerit, vide orat. pro Marcello: Tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem prudens et sciens, tamquam ad interitum ruerem voluntarium. *Adde Epist. IV. lib.* x. *ad Attic.* Praeclara igitur conscientia sustentor, cum cogito me de republica aut meruisse optime, cum potuerim, aut certe numquam nisi divine cogitasse, eaque ipsa tempestate eversam esse rempublicam, quam ego quatuordecim annis ante prospexerim. *Libro* VII. *epist.* v. Pace opus est. Ex victori cum multa mala, tum certe tyrannis existet. *Libro* x. *epist.* v. Regnandi contentio est, in qua pulsus est modestior Rex et probior et integrior, et is, qui nisi vincit, nomen populi Romani deleatur necesse est: sin autem vin-

angoribus, dimissa molestiis omnibus liberasset. Illos ego praestantissimos viros, lumina reip. vivere volebam, tot consulares, tot praetorios, tot honestissimos senatores, omnem praeterea florem nobilitatis ac juventutis, tum optimorum civium exercitus: qui si viverent, quamvis iniqua conditione pacis (mihi enim omnis pax cum civibus bello civili utilior videbatur) remp. hodie teneremus. Quae sententia si valuisset; ac non ii maxime mihi, quorum ego vitae consulebam, spe victoriae elati obstitissent: ut alia omittam, ut certe numquam in hoc ordine, vel potius numquam in hac urbem ansisses. At vero 53) Cn. Pompeji voluntatem a me abalienabat oratio mea. An ille quemquam plus dilexit? cum ullo aut sermones, aut consilia contulit saepius? quod qui-

cit, Syllano more exemploque vincet. *Jam quid de interitu Pompeji praedixerit, constat e multis, ut lib.* VIII. *ad Attic. epist.* I. Invitus in eam caussam descendo in qua neque pacis, neque victoriae ratio quaesita est umquam, semper flagitiosae et calamitosae fugae. *Lib.* XI, *epist.* VI: De Pompeji exitu mihi dubium numquam fuit: tanta enim desperatio rerum ejus omnium regum et populorum animos occuparat, ut quocumque venisset, hoc putarem futurum. *Quid? quod etiam Caesaris exitum longe ante prospexit. Epist.* VI, *lib.* X: Nullo enim modo posse video stare istum diutius, quin ipse per se etiam languentibus nobis concidat, quippe qui florentibus ac novus septem diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit, qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, divitiarum in aerario. *Item*: Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quod diximus: nec fallit, nec aliter accidet. Corruat iste necesse est aut per adversarios, aut ipse per se, qui quidem sibi est adversarius unus acerrimus. Id spero vivis nobis fore, quamquam tempus est nos de illa perpetua jam, non de hac exigua vita cogitare, sin quid acciderit maturius, haud sane mea multum interfuerit, utrum factum videam, an futurum esse multo ante viderim. *Falsus est tamen aliquando, ut epistola undecima ad Tironem:* Videtur si insaniet, posse opprimi, modo ut urbe salva. *Abram.*

53) *At vero*) Objectio Antonii. Macrobius libro II. Saturnaliorum cap. 3. *Pompejus Ciceronis facetiarum impatiens fuit. Cujus haec de eo dicta ferebantur. Ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo,* Paullo post: *Et cum donasset Pompejus transfugam civitate Romana, O hominem bellum! inquit, Gallis civitatem promittit alienam, qui nobis nostram non potest reddere.*

dem erat magnum, de summa re dissentientes, in eadem consuetudine amicitiae permanere. Sed et ego, quid ille, et contra ille, quid ego sentirem, et spectarem, videbat. Ego incolumitati civium primum, ut postea dignitati possemus: ille praesenti dignitati potius consulebat. Quod autem habebat uterque, quid sequeretur, idcirco tolerabilior erat nostra dissensio. Quid vero ille clarissimus vir 54) ac pene divinus de me senserit, sciunt, qui eum de Pharsalica fuga Paphum prosequuti sunt. Numquam ab eo mentio de me, nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderii, cum me vidisse plus fateretur, se speravisse meliora. Et ejus viri 55) nomine me insectari audes, cujus me amicum, te sectorem esse fateare? Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuisti. Ne jocis quidem 56) respondebo, quibus me in castris usum esse dixisti. Erant illa quidem castra plena curae; verumtamen homines, quamvis in turbidis rebus sint, tamen, si modo homines sunt, in-

Propter quae merito videbatur dixisse Pompejus. Cupio ad hostes Cicero transeat, ut nos timeat. Plura ejus dicta referemus, cum de jocis disseretur. Dictum vero Pompeji elegantius ponitur apud Fabium libro vi, capite 4: *Transi ad Caesarem, me timebis.* Idem.

54) *Consularis vir)* Minus est *consularis*, quam ut haec vox possit huic loco convenire. Legunt alii *singularis vir*, quod placet. *Idem.*

55) *Et ejus viri)* Epiphonema: sector Pompeji fuit Antonius, quia ut infra dicetur. *Bona Cn. Pompeji Magni, voci acerbissimae subjecta praeconis. Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam Diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo praeter Antonium.* Abram.

56) *Ne jocis quidem)* Praetermissio. Quod spectat ad jocos quibus me in castris intempestive usum esse dixisti, illud crimen indignum est responsione. De jocis Plutarchus in Cicerone jam ante laudatus: *Ipse quidem sine risu et moestus obibat exercitum, aliis autem, cum minime requirerent, ridendi materiam suggerebat.* Sed quid nocebit, si tum ipse, tum Macrobius uterque loco citato, nonnihil nobis harum facetiarum impertiat? Macrobius: *Cum ad Pompejum venisset: dicentibus sero eum venisset, respondit: Minime sero veni; nam nihil hic paratum video.* In eo jocus fuit, quod tamquam ad epulas invitatus responderit, orationemque a bello ad-

terdum animis relaxantur. Quod autem idem moestitiam meam reprehendit, idem jocum, magno argumento est, me in utroque fuisse moderatum. Haereditates 57) mihi negasti venire. Utinam hoc tuum verum crimen esset! plures amici mei, et necessarii viverent. Sed qui istuc tibi venit in mentem? ego enim amplius HS ducenties acceptum haereditatibus retuli. Quamquam in hoc genere fateor feliciorem esse te. Me nemo, nisi amicus, fecit haeredem; ut cum illo commodo, si quod erat, animi quidam dolor jungeretur: te is, quem numquam vidisti, L. Rubrius Cassinas fecit haeredem. Et quidem vide 58), quam te amarit is, qui, albus: aterve fueris, igno-

convivia traduxerit. *Deinde interroganti Pompejo, ubi gener ejus Dolabella esset, respondit: cum socero tuo:* Elegans plane jocus: obscure crimini dabat Pompejus, quod in adversis partibus esset gener Ciceronis, quasi genero et socero non bene conveniret: ipse quasi aliud agens crimen retorsit, et Pompejo crimini vertit, quod a Caesare socero suo dissideret. Plutarchus: *Cum Domitius quemdam usu militari non satis probatum ad ordinis militiae promovere vellet, diceretque eum et probum esse et frugi. Cur igitur, inquit, eum non servas, ut sit curator tuorum liberorum? quibusdam Theophanem Lesbium praefectum fabrum laudantibus, quod Rhodios amissa classe commode consolatus esset; Quam bonum est, inquit, Graecum habere praefectum! Cum Caesari plurima ex animi sententia succederent, isque quodammodo jam ipsos obsideret, Lentulo dicenti se comperisse Caesaris amicos esse tristes, respondit: Dicis eos Caesarem odisse. Marico autem quodam ex Italia veniente, dicenteque Romae famam esse Pompejum obsideri: Deinde, inquit, huc navigasti ut esses testis oculatus? Post cladem Pharsalicam. Nonio dicente bene sperandum esse, quod e Pompeji exercitu septem aquilae superessent, Bene, inquit, hortaris, si cum graculis bellum gereremus. Labieno divinationibus nitente quasi in fatis esset, ut penes Pompejum esset totius belli victoria; Videlicet, inquit, hoc usi stratagemate modo castra amisimus.* Abram.

57) *Haereditates)* Ignominiosum fuit in amicorum testamentis praeterit, quod illud indicio esset praeteritos parum amari. *Idem.*

58) *Et quidem vide)* Ironia, quae gravius aliquid suspicandum relinquit. Amor enim non fertur in incogni-

rans, fratris filium praeterit; Q. Fusii*, honestissimi equitis Romani suique amicissimi, quem palam haeredem semper factitarat, ne nomen quidem perscripsit; te, quem numquam viderat, ac numquam salutaverat, fecit haeredem. Velim, mihi dicas, nisi molestum est, L. Turselius qua facie fuerit? qua statura? quo municipio? qua tribu? nihil scio, inquies, quae praedia habuerit. Igitur fratrem exshaeredans, te faciebat haeredem. In multas praeterea pecunias alienissimorum hominum, ejectis veris haeredibus, tamquam haeres esset, invasit. Quamquam hoc maxime admiratus sum, mentionem te haereditatum ausum esse facere, cum ipse haereditatem patris non adisses 59). Haec ut colligeres, homo amentissime, tot dies in aliena villa declamasti: quamquam tu quidem, ut tui familiarissimi dictitant, vini exalandi, non ingenii acuendi caussa declamitas. Et vero adhibes joci caussa magistrum, suffragio tuo, et compotorum tuorum rhetorem 60): cui concessisti, ut in te, quae vellet, diceret. Salsum omnino hominem: sed materia facilis est in te, et in tuos dicta dicere, vide autem inter te, et avum tuum quid intersit. Ille sensim dicebat, quod caussae prodesset: tu cursim dicis aliena. At quanta merces rhetori data est? audite, audite, P. C., et cognoscite reipublicae vulnere; duo millia jugerum campi Leontini 61)

tum: nec Rubrius amare potuit Antonium, quem penitus ignorabat. Quibus innuitur, testamentum illud quod Antonium Rubrii faciebat haeredem, adulteratum et subiectum fuisse. *Idem.*

* An Furius, an Fusius, ut in indice.

59) *Haered. patris non adisses)* Quippe nulla erat. *Manut.*

60) *Rhetorem)* Sextus Clodius Siculus, de quo Suetonius lib. de Claris Rhet.

61) *Campi Leontini)* Sex. Clodius Siculus fuit. Campus Leontinus in Sicilia dictus ab urbe Leontio, cujus meminerunt Plinius et Ptolemaeus. Is autem ager fuit Siciliae totius uberrimus. M. Tullius Frumentaria in Verrem: *Aetnensis vero ager, qui solebat esse cultissimus, et quod caput est rei frumentariae, campus Leontinus, cujus antea species haec erat, ut cum obsitum vidisses, annonae caritatem non verere.* Jam si fuit uberrima Si-

Sex. Clodio rethori assignasti, et quidem immunia 62) ut pro tanta mercede nihil sapere disceres. Num etiam hoc, homo audacissime, ex Caesaris commentariis? Sed dicam alio loco et de Leontino agro, et de Campano: quos iste agros ereptos reipublicae turpissimis possessoribus inquinavit. Jam enim, quoniam criminibus ejus satis respondi, de ipso emendatore, et correctore nostro quaedam dicenda sunt. Nec enim omnia effundam; ut si saepius decertandum sit, ut erit, semper novus veniam: quam facultatem mihi multitudo istius vitiorum peccatorumque largitur.

CONFIRMATIONIS PRIMA PARS.

Quid Antonius egerit in pueritia.

VIsne igitur, te inspiciamus a puero? sic opinor. A principio ordiamur. Tenesne memoria, praetexstatum te decoxisse? patris, inquies, ista culpa est 63). Concedo: etenim est pietatis plena defensio.

ciliae pars, facile vides quantum Antonius hac largitione reipublicae vulnus inflixerit. *Id.*

62) *Immunia)* Libera ab omni servitute, decumis et aliis ejusmodi vectigalibus non obnoxia. *Manut.*

63) *Patris, inquies, ista culpa est)* Huic objectioni meae respondebis. Mea culpa non est, sed patris mei. Non enim ego, sed pater meus vivendo luxuriose patrimonium abligurivit, et tam grande aes alienum contraxit, ut bonis cedere coactus fuerim, cum non possem aes illud alienum dissolvere fidemque meam a paternis creditoribus liberare. Pater est ille M. Antonius Creticus tam dissolutus nepos, ut ne tabulas quidem rationum conficere crederetur. Cicero libro III. in Verrem: Audimus aliquem tabulas nunquam confecisse: quae opinio hominum de Antonio falsa. *Ubi Asconius.* Hic est Mar. Antonius dissolutissimus curator orae maritimae, Cretae mortuus, etc. quem Sallustius ait perdendae pecuniae genitum, et vacuum a curis, nisi instantibus. Ut Orator Antonio filio dissolutionem patris his verbis objecerit: PATRIS, INQUIES, ISTA CULPA EST. Antoni Pater fuit, Antonius Creticus, vir u t est apud Plutarchum, non ita quidem splendidus et illustris in republica, vir bonis tamen et commodi moribus tum potissimum in largiendo liberalis, ut ex uno ejus facto facilcognosci potest. Cum enim magnas divitias haud quae

Illud tamen 64) audaciae tuae, quod sedisti in quatuordecim ordinibus, cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortunae

quam possideret, et eam ob rem ab uxore liberalitatem exercere prohiberetur, contigit ut familiaris quidam ad eum pecuniam petens accederet. Deficiente pecunia, servulo mandavit, ut aquam in vas argenteum infunderet, ad seque deferret. Quo allato quasi barbam rasurus mentum rigavit, et servulum alio praetextu abs se dimisit. Amico vasculum dedit, jubens, ut eo pro suo commodo uteretur. Cum autem quid eo vasculo factum esset diligenter inter domesticos quaereretur, uxorem graviter stomachari videns, et de singulis velle habere quaestionem, factum confessus est, rogans, ut illa sibi ignosceret. Haec Plutarchus paulo liberalius et benignius quam Orator, vel etiam ipse Antonius. *Idem.*

64) *Illud tamen)* Lex Roscia theatralis a L. Roscio Othone Tribuno plebis lata, ne quis spectaret in quatuordecim primis graduum ordinibus, qui proxime ad orchestram et podium accedebant, nisi si esset ingenuus ab ingenuo patre, et censum equestrem, id est, quadragiuta sestertia possideret. Iis autem ex senatorio vel equestri ordine natis, qui sive suo, sive fortunae vitio decoxerant, neque jam censum equestrem obtinebant, peculiarem locum constituit. Ex hoc igitur capite Antonii carpit audaciam, quod legem Rosciam perfracte violarit, et sederit in quatuordecim, cum decoxisset. Atque ut hujus loci numerum paucis attingamus, vides hoc loco membra incisis mira concinnitate misceri, et tandem membrorum quatuor ambitu terminari, sive ut loquitur noster in Oratore: *Omnia tamquam crepidine quadam comprehensione longiore sustineri. Visne igitur te inspiciamus a puero?* Membrum est quod pene ab hexametri longitudinem accedens, duobus choriambis inceptum anapaesto finitur. Sequitur incisum uno dichoraeo contentum, *Sic opinor*. Sequuntur tria membra: quorum extrema duo sunt hexametro breviora, medium paulo etiam longius, quam versus heroicus extenditur:

„ A principio ordiamur.
„ Tenesne memoria praetextatum te decoxisse?
„ Patris, inquies, ista culpa est.

Excipit incisum, *concedo*, post membrum inchoatum a duobus anapaestis, ut aures magis feriant, et adversarii mentem percellant, limitatum spondaeo et dochimio, *(docmo)* ut spondaeus orationi pondus addat, dochimus aliquid amoenitatis impertiat. Tandem huic multiplici structurae longior ambitus et circumscriptio verborum quasi fastigium imponitur:

vitio, non suo, decoxisset. Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem togam reddidisti 65). Primo vulgare scortum: certa flagitii merces, nec ea parva: sed cito Curio intervenit, qui te a meretricio quae-

„ Illud vero audaciae tuae

„ Quod sedisti in quatuordecim ordinibus,

„ Cum esset lege Roscia certus locus decoctoribus
„ constitutus.

„ Quamvis quis fortunae vitio, non suo decoxisset. Vides circumscriptionem hanc a duobus heroico versu minoribus membris exorsam duobus grandioribus terminari, singula membra productas initio syllabas plures continuari, ut iis veluti cuidam fundamento insistant, varie finiri, et hunc membrorum finem quasi quibusdam gradibus sensim ad culmen assurgere. *Tuae* jambus est, qui minimum habet dignitatis: *ordinibus* paean primus aliquando sublimior, si numerum syllabarum spectes, si mensuram non adeo grandis: *constitutus*, dichoraeus, jambo quidem et pene quidem grandior, nondum tamen sublimis, sed quadam amoenitate temperatus: *decoxisset*, dispondaeus, magnificus plane et gravis, totam circumscriptionem sustentans. *Manut.*

65) *Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti)* Aliud si nihil in hac oratione emendassem, quam hunc locum, operam tamen praeclare a me positam judicarem. Quis est enim eorum, qui has literas tractant cui unquam venerit in mentem cum aliter legendum esse quam ita uti vulgo ante nos legebatur? *Sumpsisti virilem togam quam statim muliebrem stolam reddidisti.* Quae tamen scriptura quam prava, quamque vitiosa sit, spero cognituros esse omnes qui totam rem accurate consideraverint. Hoc enim ait Cicero, Antonium, ubi primum togam puram, seu quod idem est, virilem sumpsit, (quod fieri solitum, cum pueri ad annum XVII. pervenissent, omnes sciunt) primo quidem prostituisse ad libidinem omnium, et quasi diobolarem aliquam meretriculam, omues omnium impuritates corpore suo excepisse: postea vero, repudiatis caeteris, uni Curioni morigerum atque obsequentem fuisse, uni fecisse copiam sui, cum ab eo prope in uxoris loco haberetur. Primum illud tempus notat, cum ait: *Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti.* Quae enim mulieres vulgo patebant, venalemque habebant pudicitiam eae, ignominiae causa, ut ab aliis internoscerentur, togam ferebant, non ut matronae, stolam, Horatius.

„ Quid inter
„ Est in matrona, ancilla peccesne togata? *Id.*
„ Atque etiam melius persaepe togatae. *Id.*

stu abduxit, et, tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili, et certo locavit. Nemo umquam puer emptus libidinis causa tam fuit in domini potestate; quam tu in Curionis. Quoties te pater ejus domo sua ejecit? quoties custodes posuit, ne limen intrares? cum tamen tu, nocte socia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas dimitterere. Quae flagitia domus illa diutius ferre non potuit. Sisne me de rebus mihi notissimis dicere? recordare tempus illud, cum pater Curio moerens jacebat in lecto, filius, se ad pedes 66) meos prosternens, lacrymans te mihi commendabat; orabat, ut te contra suum patrem, si sestertium sexagies peteret, defenderem; tantum enim se pro te intercessisse 67). Ipse autem, amore ar-

At de matrona loquens, stolam nominat:

,, Quid vis tibi? numquid ego a te.
,, Magno prognatum deposco consule cunnum,
,, Velatumque stola, mea cum conferbuit ira?

Et in eadem Satyra:

,, Ad talos stola demissa, et circumdata palla.

Sed et adulterii damnatae impudicitiam profiteri cogebantur, et togam gestare: unde est illud Martialis.

,, Coccina famosae danas, et bianthina moechae.
Vis, mage quae meruit, mittere? mitte togam.

Et illud ejusdem:

,, Thelyn viderat in togam spadonem:
,, Damnatam Numa dixit esse moecham.

Cum igitur toga meretricum esset, matronarum stola: constat, ad exprimendum illud tempus, quo Antonius meretricum more prostabat, stolae nomen aptum non esse. At postea ubi tamquam nupsisse Curioni dicitur, et apposite in primis, et salse adhibitum est stolae vocabulum: *Sed cito,* inquit, *Curio intervenit qui te a meretricio quaestu abdixit, et tamquam stolam dedisset, in matrimonio stabili et certo locavit.* Est autem hic locus in eo libro, qui nobis ad has emendationes dux fuit, ita ut eum ipsi edidimus, plane ac sine ulla vel minima liturae suspicione scriptus. *Muret.*

66) *Filius se ad pedes)* Curio adolescens meis pedibus advolutus mihi supplicabat, lacrymis ubertim manantibus ex amore, ut me interponerem, suamque ipsius causam susciperem, meaque auctoritate a patre Curione sestertium sexagies impetrarem, quibus aes ille alienum dissolveret. Dicebat enim eam sibi summam tuo nomine praestandam esse, quod pro te suam fidem obligasset. *Idem.*

67) *Intercessisse)* Soluturum promisisse. Sic alibi Cicero locutus. *Manut.*

dens, confirmabat, quod desiderium tui dissidii ferre non posset, se in exilium esse iturum. Quo ego tempore tanta mala florentissimae familiae sedavi, vel potius sustuli: patri persuasi, ut aes alienum filii dissolveret: redimeret adolescentem summa spe et animi, et ingenii praeditum, rei familiaris facultatibus, eumque a tua non modo familiaritate, sed etiam congressione, patrio jure, et potestate prohiberet. Haec tu cum per me acta meminisses nisi illis, quos videmus, gladiis confideres; maledictis me provocare ausus esses? sed jam stupra, et flagitia emittam: Sunt quaedam, quae honeste non possum dicere. Tu autem eo liberior, quod ea in te admisisti, quae a verecundo inimico audire non posses. Sed reliquum vitae cursum videte: quem quidem celeriter perstringam. Ad haec enim, quae in civili bello, in maximis reipublicae miseriis fecit, et ea, quae quotidie facit, festinat animus: quae, peto ut, quamquam multo notiora vobis, quam mihi sunt, tamen, ut facitis, attente audiatis. Debet enim talibus in rebus excitare animos non cognitio solum rerum, sed etiam recordatio. Tametsi incidamus, oportet, media, ne nimis sero ad extrema veniamus. Intimus erat in tribunatu Clodio, qui sua erga me beneficia commemorat; ejus omnium incendiorum fax: cujus etiam domi jam tum quiddam molitus est 68): quid dicam ipse optime intelligit. Inde itum Alexandriam, contra senatus auctoritatem, contra religionem. Sed habebat ducem Gabinium 69), quicum quidvis rectis-

68) *Cujus etiam domi quiddam jam tum molitus est)* De stupranda ejus uxore, inquit Manutius. Dici posset etiam jam tum Antonium conspirasse contra rempublicam, ut Pompejum reliquosque principes civitatis occideret, statumque imperii Romani convelleret. Sed Abramus sum, non Oedipus, et fortasse non est in eo magnopere laborandum. Solent enim Oratores aliquando, etiamsi in re nihil subsit, suspiciose loqui, et cum probare nihil possunt, testari ipsam adversariorum conscientiam. Sic enim et adversarios mire lancinant, nec alligantur mendacii. *Abram.*

69) *Sed habebant ducem Gabinium)* Tradit contra Plutarchus Antonium fuisse ducem Gabinio: Gabinium ducem talentorum millibus sollicitante Ptolomaeo, ut simul cum ipso in Aegyptum expeditionem susciperet, et ipse regnum reciperet, legatorum et praefectorum plurimi re-

sime facere posset. Qui tum inde reditus 70), aut qualis? prius in ultimam Galliam ex Aegypto 71), quam domum. Quae autem erat domus? suam enim

pugnabant, et Gabinium quamvis tanta mercede constrictum ab eo bello quaedam formido revocabat. Antonius autem in omnes magnarum rerum occasiones intentus, et Ptolemaeo roganti gratificans, ad hanc expeditionem Gabinium impulit, et concitavit. Caeterum postquam a Clodio discessit, antequam se Gabinio conjungeret, in Graecia fuerat aliquandiu commoratus. Sed Orator tempus illud relinquit intactum, vel studio brevitatis, vel quia quod in eo reprehendere non habebat. Hoc enim temporis spatio Antonius intermissa literarum et eloquentiae studia renovarat. Missus etiam a Gabinio fuerat in Judaeam, hostium arcem primus invaserat, Aristobolum cum filio coeperat, parva militum manu ingentes Judaeorum copias conciderat. Id quoque prudens et sciens Tullius omittit: paucisque perstringit profectionem in Aegyptum, dixisse contentus ea profectione Senatus auctoritatem, rempublicam, religiones fuisse violatas, dissimulatis rebus in Aegypto praeclare gestis, quibus Antonius reliquerat suae fortitudinis, providentiae, humanitatis impressa vestigia. Nam cum equitatu praemissus, viarum angustias, atque adeo urbem Pelusium occuparat, et intervenerat, ne Ptolemaeus Aegyptiorum primores occideret, et ingenti praelio, circumiens hostes et a tergo invadens, *victoriam iis qui ex adverso veniebant expediens, praemiis, ut par fuit, militaribus donatus est: et* Archelai *demortui caput inventum ornatum regia magnificentia sepelivit*. Quare noster quod invidiosum erat, videlicet ipsam profectionem contra religiones et oracula susceptam, insectatur; reliqua tacet, quod Antonius ex iis veluti fontibus ad hominum commendationem et militum benevolentiam profluxerat. Et allegoria suam orationem obscurat, ne vel aperte damnet Gabinium, quem olim majestatis accusatum defenderat, vel inimicum laudare videatur. *Abramus*.

70) *Qui tum inde reditus)* Jure invehitur in reditum Antonii, quod ex Aegypto rediens, non domum et necessarios suos inviserit, sed profectus fuerit in ultimam Galliam ad Caesarem. Quod profecto non fecisset, nisi desperatis vitae suae rationibus videret se in urbe stare non posse, aut propter flagitia sic invisum esse suis, ut ad matrem non auderet accedere. *Idem*.

71) *Ex Aegypto)* Vetus liber, *ex Aegypto*. eadem videlicet ratione, qua *Purrhum et Bruges et Sullam*, et talia priscos illos dixisse accepimus *Muretus*. Haec putent sibi dicta veteris illius scripturae amatores, quibus fortas-

quisque domum 72) tum obtinebat, neque erat usquam tua? Domum dico? Quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres, praeter unum Misenum, quod cum sociis, tamquam Sisaponem*73) tenebas? venisti e Gallia ad quaesturam petendam. Aude dicere, te prius ad parentem tuum venisse 74) quam ad me. Acceperam jam ante Caesaris literas, ut mihi satisfieri paterer e te. Itaque ne loqui quidem sum te passus

se displicuerint ea, quae premisimus, ubi de Sylla; pro *Sulla.* Olivetus.

72) *Suam enim quisque domum)* acriter reddit rationem cur Antonius domum non haberet. Si enim dixisset. Tu enim decoxeras, et domus patris addicta fuerat creditoribus, veram quidem ille causam reddidisset: Sed longe vehementius. Suam enim quisque domum tum obtinebat, quibus verbis et memoria belli civilis, quod tam multos sedibus suis expulit, refricatur: et invidia quaeritur Antonio, qui in tam multorum civium domos invasit. *Abram.*

73) *Tamquam Sisaponem) Manutius.* Cum probro dictum, quasi civitatem vitiis infamem et luxu perditam. Magis arridet Turneb. lib. x adversar. cap. 12. id referens ad miniaria metalla Sisaponensium, quae societates publicanorum exercebant: dicit enim Antonium non unum possessorem Miseni fuisse, sed possessionis socios habuisse multos. Sisapo oppidum est in Hispania, olim in conventu Cordubensi, ut auctor est Plinius lib. III. Nat. *Hist.* cap. 1. Videtur autem fuisse adagium: non enim aliter M. Tullius hunc dicendi modum inde usque ab Hispania petiisset, cum ipse monuerit voraginem patrimonii, potius quam syrtim esse dicendam, ne voces longius arcessitas alio transferamus. *Idem.*

74) *Ad parentem tuum)* Vulgo, *ad patrem tuum.* Hic locus criticos haud parum exercuit, dum alii matrem tuam, alii parentem tuam, alii patruum tuum, alii denique amatorem tuum emendant. Unum Bisciolam audiamus: Non possum intelligere, quem hic Antonii patrem vocet. Quidam imperitissime C. Caesarem, qui postea Dictator fuit, accipiunt: sed is bellum gerebat in Gallia, unde nuper discesserat Antonius. Nec Marc. Antonius Creticus intelligi potest, a quo moriente puerulus fuerat relictus. Non L. Lentulus vitricus; nam eum in carcere Consul Cicero strangularat et in hac tamen scriptura codices omnes, quos quidem mihi legere contigit, legi autem plurimos, consentiunt. Itaque existimo parentem tuam legi debere, ut matrem Antonii intelligamus: ea erat Julia lectissima foemina. Eadem sentiunt Manutius. Lambinus et Bucananus. Et hi quidem duo negant patruum legi pos-

de gratia. Postea custoditus sum te 75) tu a me observatus 76) in petitione quaesturae. Quo quidem

se, quod tum temporis C. Antonius Marci patruus exularet: Sed de damnatione et exilio C. Antonii postea disseremus. *Amatorem tuam,* est a conjectura Mureti Var. Lect. XVIII. c. 6. id. est. Curionem qui te efflictim adamabat. Primam illam lectionem *parentem tuam* eo libentius amplector, quod et plures ei suffragentur et Janus Gruterus asserat *parentem tuam*, in Mss. melioribus inveniri. *Abram.*

75) *Postea custoditus sum a te,)* Ita quidem Pal. prim. sed sec. *postea cultus a te*, Quod et in uno Ferrarii, neque mihi admodum displicet: quamvis pro vulgato pugnat Guillelmus in Asinariam Plautinam cap.5. Muretus lib. XIX. Var. lect. c. 7., quod invenisset in uno ms. *beatus*, in altero *ovatus* conjiciebat, *sublevatus*. Grut. Si legas, *Postea cultus sum a te*, sensus est, Domum meam ventitasti ut me coleres, et obsequium tuum mihi deferres. Si malis, *Postea custoditus sum a te* mens fuit Oratoris: Posteaquam Caesaris literis commendatus in gratiam receptus es, me comitatus es per urbem, meumque latus stipavisti, ut me contra vim et arma P. Clodii defenderes. Respicit tempus illud quo Publius Clodius restituto Cicerone insidias ei compararit, ad vimque confugit. Vide epist. 3. lib. 4. ad Atticum, ubi narravit domum, Q. Fratris ante diem tertium Non. Novembris a Clodianis inflammatum fuisse, *Ille*, inquit, *vehementer furere*. *Post hunc vero furorem, nil nisi caedem inimicorum cogitare, vicatim ambire, servis aperte spem libertatis ostendere.* Paulo post: *Itaque ante diem tertium Idus Novembris, cum sacra via descenderem, insecutus est me cum suis: clamor, lapides, fustes, gladii, haec improvisa omnia.* Ciceronem autem secum lateris sui custodes et stipatores (nobilis videlicet adolescentes, equitumque liberos) habuisse, qui ipsum contra Clodii vim defenderent, indicant quae sequuntur: *Discessimus in vestibulum N. Terentii Damionis: qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerunt. Ipse occidi potuit. Sed ego diaeta curari incipio. Chirurgiae taedet.* Quae etsi C. Lentulo et Metello Nepote Consulibus contigerunt: tamen Clodius ad consequentes annos propagavit, donec tandem post annos quatuor a Milone occisus est. Vide epistolam 3. lib. II. ad Quintum Fratrem, et Dionem lib.39. Et sane Ciceronem, cum opus fuit, nobiles adolescentes adhibuisse ad sui corporis custodiam constat ex iis, quae refert Plutarchus in Caesare. *Idem.*

76) *Tu a me observatus)* Quibus haec lectio non placuit, quod Antonium adolescentem a Cicerone viro Con-

tempore P. Clodium, approbante populo Romano, in foro es conatus occidere: cumque eam rem tua sponte conarere, non impulsu meo, tamen ita praedicabas, te non existimare, nisi illum interfecisses, umquam mihi pro tuis in me injuriis 77) esse facturum. In quo demiror, cur Milonem impulsu meo rem illam egisse dicas, cum te, ultro mihi idem illud deferentem, numquam sim adhortatus quamquam, si in eo perseverares 78), ad tuam gloriam rem illam referri malebam, quam ad meam gratiam. Quaestor es factus: deinde continuo 79) sine S.C., sine sorte, sine

sulari observandum fuisse non putarent, hunc locum misere laucinarunt: et alii quidem *adjutus*, alii *comitatus*, alii *ornatus*, alii denique *sublevatus* legendum esse censuerunt. Nihil muto, quod *observari* dicerentur adolescentes a proceribus, qui in petitione magistratuum honoris et commendationis causa deducebantur. Observari etiam minorem a majore ostendit Cic. lib VII. ad Familiares, epist. XXVII. *Ego enim te in consulatu observaram*. Scribit autem ad Gallum. Fuit autem Gallus, ut multis probat Manutius. Publius ille Sextius, qui Quaestor fuit Consule Cicerone, et ab eo post judicio de vi defensus est, pro quo exstat nobilis illa oratio. Igitur observatus est Quaestor a Consule, ut mirari non debeas Antonium quaesturae candidatum observatum fuisse a Tullio consulari. *Est autem observare*, verba sunt Manutii, epist citata, *cum ad aliquem honoris officiique causa saepe accedimus.* Id quidem ille probat tum hoc loco, tum epist. I. ad Atticum. *Observat Luc. Domitium maxime.* Sed expressius exemplum est pro Murena: *Neque enim fieri potest, neque postulandum est a nobis, aut ab equitibus Romanis, ut suos necessarios candidatos sectentur totos dies: a quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deducimur, si uno basilicae spatio honestamur, diligenter observari videmur, et coli.* Qui legunt *sublevatus,* habent exemplum Caesaris de Lentulo Spinthere, ita loquentis lib. I, de Bello civili: *In petitione consulatus ab eo erat sublevatus.* Idem.

77) *Pro tuis in me injuriis)* Quas tu mihi intuleras, cum eras intimus Clodio in tribunatu, ejusque omnium incendiorum fax. *Idem.*

78) *Si in eo perseverares)* Si constans esses in illo odio improborum. *Idem.* In meo codice non male, *si in eo perseverasses*, et sic omnino scripsisse Tullium censeo. Loquitur enim de praeteritis. *Graev.*

79) *Deinde continuo)* Solebant Patres quas in provincias Propraetores aut Proconsules annui mitterentur, dein;

lege ad Caesarem cucurristi 80). Id enim unum in terris egestatis, aeris alieni, nequitiae, perditis vitae rationibus, perfugium esse ducebas. Ibi te cum et illius largitionibus, et tuis rapinis exsplevisses (si hoc est exsplere, quod statim effundas) advolasti egens ad tribunatum, ut in eo magistratu, si posses, viri tuis similis 81) esses.

CONFIRMATIONIS SECUNDA PARS.

Quid egerit in Tribunatu Antonius.

Accipite nunc, quaeso, non ea, quae ipse in se, atque in domesticum dedecus impure atque intemperanter, sed quae in nos, fortunasque nostras, idest in universam rempublicam impie, ac nefarie fecerit. Ab hujus enim selere omnium malorum principium natum reperietis. Nam cum L.Lentulo, C.Marcello coss. Kal. Jan. labentem, et prope cadentem rempublicam fulcire cuperetis; ipsique C.Caesaris 82), si sana mente esset, consulere velletis: tum iste venditum, atque mancipatum tribunatum consiliis vestris

de Quaestores inter se sortiri, ut in eam provinciam mitterentur, quae cuique sorte obvenisset. Aliquando tamen extra ordinem non Senatus aut sortis beneficio, sed populi suffragiis et lege perlata provinciae mandabantur Quaestoribus. Antonius ut primum factus est Quaestor, nulla interposita mora, contra jus et morem majorum, sine S.C. sine sorte, sine lege ad Caesarem cucurrit. *Abram.*

80) *Ad Caesarem cucurristi*) Ut ei quaestor esses in Gallia. *Manutius.*

81) *Viri tui similis*) Curionem designat, qui superiore anno Tribunus plebis fuerat, emptusque a Caesare ab ejus causa pertinaciter steterat. *Ferratius.* Dicitur vir Antonii, eadem mente qua superius dicitur *a Curione in matrimonio stabili et certo locatus esse.* Addit *si posses,* quia difficile fuit Antonio Curionis similem evadere, quod neque animo neque ingenio, et eloquentia ad Curionem aspiraret. *Abr.*

82) *Ipsique C. Caesari*) Quoniam potuit Antonius causari se intercessisse senatus consulto, quod Caesari, cui fuerat Quaestor anno superiori, injuriam fieri videret (si quidem factum fuerat S. C. uti ante certam diem Caesar exercitum dimitteret: si non faceret, eum adversus rempublicam facturum videri) idcirco prudenter huic objectioni noster occurrit, ajens Senatum C. Caesari, in sana

opposuit, cervicesque suas ei subiecit securi 83), qua multi minoribus in peccatis occiderunt. In te autem, M. Antoni, id decrevit senatus, et quidem incolumis, nondum tot luminibus exstinctis, quod in hostem togatum decerni 84) est solitum more majorum, et tu apud Patres Conscriptos contra me dicere ausus es, cum ab hoc ordine ego conservator essem, tu hostis reipublicae judicatus. Commemoratio illius tui sceleris intermissa est, non memoria delata. Dum genus hominum, dum populi Romani nomen exstabit, quod quidem erit, si per te licuerit sempiternum; tua illa pestifera intercessio 85) nominabitur. Quid cupide a senatu, quid temere fiebat, cum tu unus, adolescens universum ordinem decernere de salute reipublicae prohibuisti? neque id semel (86), sed saepius, neque tu tecum de senatus auctoritate agi passus es: quid autem agebatur, nisi ne delere, et evertere remp. funditus velles? cum te neque principes civitatis rogando, neque majores natu monendo; neque frequens senatus agendo, de

mente esset, et Senatui obtemperare vellet, consulere voluisse. *Idem.*

83) *Cervicesque suas ei subjecit securi*) Suo scelere condemnatum senatui se tradidit. *Manutius.*

84) *In hostem togatum decerni*) Senatus nonnunquam decernebat, ut perturbatores reipublicae in hostium numero haberentur In Pisonem: *De me Senatus ita decrevit, Cn. Pompejo auctore, et ejus sententiae principe ut si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur.* Ubi diximus Senatum nonnunquam ita decreta sua muniisse, ut adscriberet, si quis intercesserit, se gravissime laturum, vel intercessorem videri facturum contra rempublicam, vel eum in hostium numero habendum. Quae eodem pene recidebant: Idem enim fuit videri fecisse contra rempublicam, atque in hostium numero censeri. Vide pro Sextio, cap. 1. *Abramus.*

85) *Intercessio*) Qua impedivit, ne valeret S. C. quo decretum erat, ut ante certam diem Caesar exercitum dimitteret. *Manutius.*

86) *Neque id semel*) Aliud adjectum quo Antonii scelus exaggerat, quod Antonius in eo pertinax fuerit et obstinatus, ostenderitque se non subito nascentis cupiditatis impetu, sed certa animi inductione senatus consulto de provinciis intercedere, neque secum agi de Senatus auctoritate, id est, ne voces quidem eorum admiserit, qui rogabant, ne se unus Senatus auctoritati opponeret. *Abr.*

vendita, atque addicta sententia movere potuit. Tum illud (87), multis rebus ante tentatis, necessario tibi vulnus inflictum, quod paucis ante te, quorum incolumis fuit nemo. Tum contra te dedit arma hic ordo consulibus, reliquisque imperiis et potestatibus: quae non effugisses, nisi te ad arma Caesaris contulisses. Tu, tu, inquam 88), M. Antoni, princeps C. Caesari, omnia perturbare cupienti, causam belli contra patriam inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat, quam causam sui dementissimi consilii, et facti afferebat, nisi quod intercessio neglecta, jus tribunitium sublatum; circumscriptus a Senatu esset Antonius? omitto, quam haec falsa, quam levia; praesertim cum omnino nulla causa justa cuiquam esse possit contra patriam arma capiendi. Sed nihil de Caesare: tibi certe confitendum est, causam perniciosissimi belli in persona tua constitisse. O miserum te, si intelligis! miseriorem, si non intelligis, hoc literis mandari, hoc memoriae prodi, hujus rei ne posteritatem quidem omnium saeculorum umquam immemorem fore, consules ex Italia exspulsos, cum-

87) *Tum illud*) Redit ad notam Senatus qui Antonium decrevit, quod in hostem togatum decerni est solitum more majorum. Id est, decrevit eum contra rempublicam facturum videri, si diutius Senatus consulto de provinciis Caesaris obstitisset. Notat tamen id factum fuisse, et multis rebus ante tentatis et necessario, ut ostendat Senatus lenitatem qui ad hujusmodi poenam infligendam non descendisset, nisi necessitate compulsus. Notat paucis ante Antonium id vulnus inflictum fuisse, ut eo poena gravior, quo inusitatior appareat, eorum quibus inflictum est, incolumem fuisse neminem, ad exaggerandam poenae gravitatem. *Idem.*

88) *Tu, tu, inquam*) Verbi reduplicatione Antonium pungit, et quasi repetitis ictibus stimulat, quod C. Caesari quasi quidam antesignanus furrit, ad bellum patriae inferendum. Legunt aliqui, ut notat Lambinus *ansam belli*, pro *causam belli*, quae lectio mihi plurimum arridet. Si enim Caesar jam ante omnia turbare cupiebat et tantummodo speciosum praetextum suo sceleri quaerebat, non reipsa belli causa fuit expulsio, et circumscriptio M. Antonii, sed tantum praetextus, et occasio, quam Caesar oblatam arripuit, quasi ansam, ad bellum reipublicae inferendum. Eam tamen causam videri volebat Caesar, quasi non ambitione duceretur sed intercessione Tribunitiam et jura plebis Romanae defenderet. *Idem.*

que his Cn. Pompejum, qui imperii populi Rom. decus, ac lumen fuit: omnes consulares, qui per valetudinem exequi cladem illam 89), fugamque potuissent; praetores, praetorios, tribunos plebis, magnam partem Senatus, omnem sobolem juventutis, unoque verbo remp. exspulsam, atque exsterminatam suis sedibus. Ut igitur in seminibus est causa arborum, et stirpium, sic hujus luctuosissimi belli semen tu fuisti. Doletis, tres exercitus 90) pop. R. interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoque eripuit vobis Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta est? afflixit Antonius. Omnia denique, quae postea vidimus (quid autem mali non vidimus?) si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. Ut Helena Trojanis, sic iste huic reipublicae causa belli, causa pestis, atque exitii fuit. Reliquae partes tribunatus principio similes. Omnia perfecit, quae senatus, salva republica ne fieri possent, perfecerat. Cujus tamen scelus in scelere cognoscite 91):

89) *Exequi cladem illam*) A funeribes et exequiis videtur petita translatio quasi, Consulibus et Pompejo fugientibus, funere eleta fuerit respublica. Lib. IX. ad Atticum epist. XIV. de hac ipsa fuga Pompeji disserens: *Miseros nos! cur non omnes, fatum illius executi sumus*? Exequi, vox funerum. *Idem.*

90) *Tres exercitus*) Primus populi Romani exercitus deletus a Caesare, et interfectus est ad Philippos Pharsalum in Thessalia, cui praeerat ipse Cn. Pompejus. Secundus in Africa ad Thapsum, duce Scipione socero Pompeji: tertius ad Mundam in Hispania, ducibus Cneo et Sexto Pompeiis. Multas et ipse Caesar clades per suos legatos accepit, quorum C. Curio, inquit Tranquillus, cap. 36. in Africa perit, (cum duabus legionibus et equitibus quingentis, ex Caesare) C. Antonius in Illyrico in adversariorum devenit potestatem: P. Dolabella classem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Calvinus in Ponto exercitum amiserunt. Ipse duo circiter millia millitum praelio Dyrrhachino, Mundensi mille amiserat. Sed tres tantum clades enumerat Orator, quasi Caesariani non in civium, sed in hostium numero censeantur. *Idem.*

91) *Cujus tamen scelus in scelere cognoscite)* scelus in scelere dicit, quia scelus quidem fuit restituere damnatos et res judicatas rescindere, sed hoc scelere posito scelus aliud admisit, patruum suum C.Antonium, qui damnatus erat, beneficio suae legis exscludens. Vel enim nullum omnino restituere debuit, vel non debuit patruum suum exscludere, cujus tamen nullam fecit mentionem. *Idem.*

niam condemnatum esse b) pro nihilo vis, si ita esset, ignoscerem. Hominem omnium nequissimum, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, lege, quae est de alea, condemnatum: qui in integrum restituit: is non apertissime studium suum ipse profitetur? In eodem vero tribunatu, cum Caesar in Hispaniam proficiscens, huic conculcandam Italiam tradidisset: quae fuit ejus peragratio itinerum? lustratio municipiorum? scio me in rebus celebratissimis omnium sermone versari, eaque, quae dico, dicturusque! sum, notiora esse omnibus, qui in Italia tum fuere, quam mihi, qui non fui 97): notabo tamen singulas res: etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestrae scientiae. Etenim quod umqnam in terris tantum flagitium exstitisse auditum est? tantam turpitudinem? tautum dedecus? Vehebantur in essedo 98)

redditur Verrina de suppliciis: Perditae civitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, vincti solvantur, exules reducantur, res judicatae rescindantur. Quae cum accidunt, nemo est quin intelligat ruere illam rempublicam. etc. *Idem:*

b) Man. Lamb. Grut. *pro nilo est.*

97) *Quam mihi qui non fui)* Aliquanto tempore substitit in Italia Cicero, postquam Caesar in Hispaniam profectus est ut constat ex literis Caesaris ad Ciceronem xv. Kal. maji ex itinere datis, quibus eum rogat, ut ab omni contentione absit, nec naviget ad Pompejum. Habentur libr: x. ad Atticum epist.VIII. Substitit autem in Italia usque ad equinoctium. Eodem lib. XVIII.: Nunc quidem equinoctium nos moratur: quod valde perturbatum erat, id scilicet eras erit. Datae sunt hae literae xvii. Kalendas Junii. Imo epistola sequenti scribit Tulliam suam peperisse xiv. Kalendas Junii, quo tempore adhuc in Italia morabatur. E quibus videas cum in Italia fuisse quadraginta pene dies postquam Caesar Italiam conculcandam Antonio tradidisset. *Idem.*

98) *Vehebatur in essedo)* Adverte vim singulorum verborum, quibus lustrationem Italiae, ejusque turpitudinem exaggerat. *Vehebatur*, muliebri mollitie. *In essedo*, quod genus est barbarici vehiculi, et a moribus Romanis alieni. *Tribunus plebis,* qui pedibus deberet incedere, ut se magis popularem et conventu facilem exhiberet. *Lictores antecedebant*, quos habere Tribuno plebis jus non fuit, *laureati*, ob exspulsos Consules et Cn. Pompejum. *Inter quos* lictores Citheris *mima portabatur*, quod est indignissimum, meretriculam ornare his

tribunus plebis 99), lictores laureati 100) antecede- magistratus insignibus, et *aperta lectica portabatur*, ad majorem impudentiam. Cetera etiam suam emphasim habent; ut quod eam salutarent municipales homines honesti, quod non sponte, sed necessario illi obviam procederent. *Idem.*

99) *Tribunus plebis)* Non temere Tribunum plebis appellat: quantum enim conjectare licet, fas non fuit Tribuno plebis uti vehiculo, quamdiu erat in magistratu. Neque enim poterat longius ab urbe discedere, aut exstra pomoerium pernoctare, neque decebat ut magistratus plebejus ad infimi ordinis patrocinium institutus, cultu corporis, aut incessu a plebeiis deferret, aut vehiculo uteretur ne difficilis ad eum esset accessus. Quam ob causam, *Praetexstam non gestat Tribunus plebis,* ut scribit Plutarchus quaest. Rom. probl. 81. Subdit: *Neque enim aut lictores habent, aut in sella curuli sedentes jus dicunt.* Et aliquando post, quod magis facit ad praesens institutum. Cum autem Tribunus plebis e plebe sumpserit originem, in eo vis ejus est omnis, ut sit valde popularis, ejusque omnis amplitudo est, ut non majores spiritus sumat quam ceteri, sed et habitu corporis et veste et vivendi ratione similis sit cuicumque civium. Nam pompa Consuli convenit, et Pretori: at vero Tribunum plebis, ut ajebat C. Curio, conculcari oportet, neque specie majestatem praeferre, aut esse inaccessum, et multitudini difficilem: sed ita super alios omnes eminere, ut tamen possit facile conveniri. Et eam ob rem neque illi domus januas claudere fas est, sed diu noctuque aperit, tamquam portus et perfugium, indigentibus. Quo magis autem exsterna specie corporis abjectus est, eo magis potestate attollitur. Quare probabilissimum est eos, ut planius a quovis etiam plebejo adiri possent, vehicula ejeravisse, ut se magis populares exhiberent. Confirmari potest, ex eo quod etiam Dictatorem equo, aut vehiculo uti nefas fuit, ut quoniam summam rerum omnium potestatem obtineret, hac saltem una plebejus videretur. Vide Plutarchum in Fabio. Quod etiam de legatis tradit Spartianus in Severo, *Ex quo factum est ut in vehiculo etiam legati sederent, qui ante pedibus ambulabant.* Flamini etiam Diali, ne facile ab urbe discederet, equi usus interdictus fuit. Plutarchus quaestionibus Romanis, problemate 40. *Apud Romanos id sacerdoti* (loquitur de Flamine Diali) proprium est, ut neque equo utatur, neque ultra dies tres peregrinetur. Festus etiam causam addit: *Equo vehi Flamini Diali non licebat, ne si longius digrederetur, sacra negligerentur.* Abram.

100) *Lictores laureati)* Caesar potitus Italia, iis, quos

—

bant; inter quos aperta lectica Mima portabatur, quam ex oppidis municipales homines honesti obviam necessario prodeuntes, non noto illo, et mimico nomine, sed Volumniam 1) consalutabant. Sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequissimi 2), rejecta

sibi legavit, dedit lictores laureatos, non Antonio solum, sed etiam Curioni. Narrat enim Tullius epist. IV, lib. x. ad Atticum, hoc ipso tempore quo Caesar proficiscebatur in Hispaniam, C. Curionem in villam ad se divertisse: Quid isti, inquam, tui fasces? si ab Senatu, cur laureati? si ab ipso, cur sex? Cupivi, inquit, ex S. C. surreptio: nam aliter non poterat. At ille impendio nunc magis odit Senatum. A me, inquit, omnia proficiscentur. Sex autem, quia duodecim nolui; nam licebat. Sed id magis tolerari potuit in Curione quam in Antonio: quia hic Tribunus plebis erat, qui lictores habere non potuit, jam vidimus e Plutarcho. *Idem.*

1) *Volumniam)* Cytheris liberta fuit P. Volumnii Eutrapeli, ut scribit Servius in Eclogam decimam, et eadem a Volumnio adamata: ut colligitur ex epistola ultima libri IX. ad Familiares: Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi. Dices. Ubi? apud Volumnium Eutrapelum, et quidem supra me Atticus, infra Verrius, etc. Infra Eutrapelum Cytheris accubui. Ad hunc amorem lib. VII. ep. XXXII. alludit scribens ad eundem Volumnium: *Ut nihil sit tam ἀκύθηρον, quod non alicui venustum esse videatur.* Volumnius autem familiaris fuit Antonio. Cornelius Nepos in Attici vita: Atticus cum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modo nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed e contrario familiares ejus ex urbe profugientes quantum potuit, texit: quibus indiguerunt, adjuvit. Pub. Vero Volumnio ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint. Apud quem etiam latuit Triumvirali proscriptione: Idem Luc. Julium Calidium, etc. in proscriptorum numerum a P. Volumnio praefecto fabrum Antonii absentem relatum exspedivit. E quibus agnoscis et coniunctionem Antonii cum Cytheride, et causam cur Cytheris Volumnia diceretur. Adde quod gens Volumnia nobilissima fuit, et patricia, ex qua P. Volumnius Consul fuit anno post Reges exactos quarto et quinquagesimo, quo tempore solis patriciis patebat aditus ad Consulatum, ut constat e Livio lib. III. et fastis Cassiodori. Ex eadem etiam gente fuit Volumnia uxor Coriolani, de qua Livius lib. II. et alii passim; ut merito Cytheris ex hoc nomine gloriam quesierit. *Abram.*

2) *Sequebatur rheda cum lenonibus: comites nequissi-*

mater amicam impuri filii, tamquam nurum, sequebatur. O miserae mulieris faecunditatem calamitosam! Horum flagitiorum iste vestigiis omnia municipia, praefecturas, colonias, totam denique Italiam impressit. Reliquorum factorum ejus, P. C. difficilis est sane reprehensio, et lubrica. Versatus in bello est: saturavit se sanguine dissimillimorum sui civium, felix fuit; si potest ulla esse in scelere felicitas. Sed

mi) Sic nonnulli v. l. *Sequebantur rheda cum lenonibus comites nequissimi*. Quos Probo: ut pro comitibus nequissimis, meritorios pueros intelligat. Id quod paulo infra apertius dicet. *Ingenui* (inquit) *pueri cum meritoriis, scorta inter matres familias versabantur.* Rheda autem sit sexti casus: ut Sallustius dixit, *equo circumiens*, et alter nescio quis, scriptor certe non malus, *equo sequi*, Petrus Victorius, quem honoris causa nomino, corrigendum putat, *Sequebatur rheda cum lenonibus: comites nequissimi.* Et mehercule opinionis suae librum, illum quidem non antiquum, sed tamen scriptum, ad stipulatorem habet. Arbitratur enim vir doctissimus, Ciceronem id significare voluisse, quod Plinius lib. VIII. cap. 16, memoriae prodidit. *Primus*, inquit, lenones Romae ad currum junxit M. Antonius, et quidem civili bello, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis: non sine ostento quodam temporum, generoso spiritus jugum subire illo prodigio significante. Nam quod ita vectus est cum mima Cytheride, supra monstra etiam illarum calamitatum fuit. Haec Plinius: quae Plutarchus, quae Cicero ipse tradidit. Ego autem praeterquam quod pro uno illi possum viginti adstipulatores regere, in eis tres vetustissimos: praeterea, qui ita loqueretur; ut diceret, *rheda cum equis*, *rheda cum mulis*, id est, rheda mulis juncta, neminem adhuc inveni. Jam vero ut rem tam inusitatam ac pene portenti similem tam breviter attingeret, nec ullos in ipsam orationis aculeos emitteret, adduci ad credendum nullo modo possum. Tu igitur judicium adhibebis: idque eliges, quod ad locum aptius convenire judicabis. *Ferratius*. Nondum satis, verum ut fatear, constituere potui, de hujus loci lectione. Victorione potius, an Ferrario assentiendum putem. Magna utriusque eruditio, magna diligentia et accuratio, magna exercitatio in veterum scriptis: sententiae suae rationis uterque probabiles affert, et nescio quomodo melius uterque, quantum ego quidem judicare possum reprehendit aliena, quam confirmat sua. Cum igitur in dubio esset animus, optimum factu esse duxi, veteris libri scripturam, ut erat, proponere. Quamquam si alterius utrius sententiam probare necesse sit, aliquando equidem libentius Victorio accesserim. *Muret.*

quoniam veteranis 3) cautum esse volumus; quamquam dissimilis est militum causa, et tua, illi secuti sunt, tu quaesisti ducem: tamen, ne apud illos me in invidiam voces, nihil de belli genere dicam. Victor e Thessalia Brundusium cum legionibus 4) revertisti: ibi me non occidisti. Magnum beneficium: potuisse enim fateor. Quamquam nemo erat eorum, qui tum tecum fuerunt, qui mihi non censeret parci oportere. Tanta enim est caritas patriae, ut vestris etiam legionibus sanctus essem, quod eam a me servatam esse meminissent. Sed fac id te dedisse mihi, quod non ademisti, meque a te habere vitam, quia non a te sit erepta: licuitne mihi per tuas contumelias hoc beneficium sic tueri, ut tuebar, praesertim cum te haec auditum videres 5)? Venisti

3) *Sed quoniam veteranis)* Nihil de belli genere dicam, nec invehar in te, quod interfueris bello civili suscepto contra rempublicam. Non, inquam, invehar propter duas rationes: altera est, quoniam veteranis cautum esse volumus, ne priventur iis militiae commodis, quae vel jam adepti sunt a Caesare, vel brevi adipiscentur a Senatu: altera est, quia nolo committere, ut tu me apud illos in invidiam voces, eorumque animos contra me incites quasi ego eorum commodis detrahendum putem. Quanquam, etiamsi in te inveherer, quod interfueris bello civili, non tamen reprehenderentur a me veterani. Siquidem alia tua est, alia veteranorum causa. Illi enim sequuti sunt Caesarem ducem, qui ipsis datus fuerat a Senatu populoque Romano: nec examinare debuerunt causam, cui Caesar Pompejo bellum inferret: tu autem cum et Tribunus plebis esses, ac proinde nullo sacramento militari obligatus, tu sponte ducem quaesisti. *Abram.*

4) *Cum legionibus)* Caesar victo ad Pharsalum Pompejo magnam exercitus sui partem in Italiam remisit, eique praefecit M. Antonium ipse cum reliquis copiis instituit sequi Pompejum fugientem. Cicero, qui et invitus bellum susceperat, et nullam videbat Pompejanis partibus spem superesse, audita clade Pharsalica, cui propter adversam valetudinem non interfuit: statuit ab armis discedere, neque Catoni et Cn. Pompejo filio exercitum ei tradentibus, hortantibusque, ut praesset, bellique extrema persequeretur, acquievit, sed in Italiam navigavit, appulsusque Brundusium incidit in Antonium cum exercitu victore redeuntem. Quem cum Antonius jure belli occidere posset, incolumem dimisit. *Idem.*

5) *Praesertim cum te haec auditurum videres)* Hoc videtur dicere; Miror per tuas contumelias non licuisse mi-

Brundusium, in sinum quidem, et in complexum tuae Mimulae. Quid est? num mentior? quam miserum est, id negare non posse, quod sit turpissimum confiteri? si te municipiorum non pudebat, ne veterani quidem exercitus? quis enim miles fuit, qui Brundusii illam non viderit? quis, qui nescierit venisse eam tibi tot dierum viam 6) gratulatum? quis, qui non indoluerit tam sero se, quam nequam hominem secutus esset, cognoscere? Italiae rursus percursatio 7), eadem comite Mima: in oppida militum crudelis, et misera deductio 8): in urbe, auri, argenti, maximeque vini foeda direptio.

hi beneficium illud sic animo, et memoria colere, ut colebam, praesertim cum fore videres, ut audires me, quae meritus es. Tu me novis injuriis veteris beneficii memoriam abjicere coegisti. *Manutius.*

6) *Tot dierum viam)* De longitudine viae Appiae, quae Roma Brundusium extendebatur, Lipsius lib. III. cap. 10. de Magnitudine Romana, ubi et testatur inter utramque urbem fuisse milliariorum circiter CCCL. intervallum; qua re si singulis diebus quinque et viginti milliaria conficias, iter erit dierum quatuordecim; quam viam Cytheris ivit Antonio gratulatum. *Abram.* Horatius. lib. I. Sat. V. suum iter describens Roma Brundusium, innuit se quindecim diebus illlud confecisse. *Manut.*

7) *Percursatio* (sic legendum) *eadem comite)* Vox *eadem*, vel ad percursationem referri potest, *percursatio eadem, comite mima:* vel ad mimam, *percursatio, eadem comite mima.* Malo ad percursationem referre, quasi dicat. Non opus est referre, quid fecerit e Thessalia reversus, ne his idem dixisse videamur. Eodem enim modo se gessit in ista secunda percursatione Italiae, quo se gesserat in priore. Cum enim, ut referunt Plutarchus et Plinius, hac secunda lustratione Italiae, tum alia insolentissime fecerit, profecto non omisisset Orator, nisi eadem utraque percursatione contigisset. *Abram.* Sed aliter interpretatur Ferratius; nam ita distinguit. *Italiae rursus percursatio, eadem comite,* etc. Quod ille hac distinctione, nos accentu notavimus.

8) *In oppida militum crudelis et misera deductio)* Dicuntur in oppida deduci milites, cum vel ad hiberna mittuntur ad tempus, ut, cum se vis hyemis remiserit, rursus ad militiam educantur, vel cum stipendiis confectis, in oppida mittuntur, assignatis agris, accepturi praemia et veteranorum privilegia. Posteriore sensu libentius interpretor. Haec enim deductio crudelis fuit et misera, cum ejectis veteribus colonis in eorum possessiones novi succederent. *Abram.*

CONFIRMATIONIS TERTIA PARS.

Quid egerit Antonius in Magisterio equitum.

Accessit 9), ut, Caesare ignaro, cum esset ille Alexandriae, beneficio amicorum ejus magister equitum constitueretur. Tum existimavit 10) se suo jure cum Hippia 11) vivere, et equos vectigales 12) Sergio mimo tradere. Tum sibi non hanc 13), quam

9) *Accessit)* Ad superioris percursationis nequitiam accessit huic posteriori magistratus, nimirum ut magister equitum crearetur, Caesare Dictatore. Posteaquam enim de pugna Pharsalica, et nece Cn. Pompeji Romae nuntiatum est, multi honores Caesari decreti fuerunt, isque ad annum integrum Dictator, Antonius autem magister equitum constitutus. Id Cicero videri vult factum ignaro Caesare, beneficio amicorum ejus, ut etiam indicet Antonium Caesari contemptui fuisse. Sed rem aliter narrat Plutarchus in Antonio. Videatur Dio, lib. 42. *Idem.*

10) *Tum existimavit)* Postquam magister equitum constitutus est Antonius, existimavit se jus habere vivendi familiariter cum Hippia quia videlicet ipse magister equitum erat, sive ἱππαρχος Hippia autem ad equis, quos Graeci ἱππεις appellant, nomen obtinebat, *Abram.*

11) *Hippia)* Putavi nonnunquam Hippiam muliereulam fuisse famosam. Id enim nomen eo sensu Juvenalis usurpat:

Quot amaverit Hippia moechos.

Imo hanc Sergio ludio adhaesisse tradit Sat. VI. E quibus patet et ludium et gladiatorem fuisse Sergium et Hippiam matronam fuisse nobilem, sed multorum adulterorum libidini prostitutam, et eamdem ab Antonio amari potuisse, et cum Sergio libidinis habuisse commercium, ut non frustra Noster utriusque meminerit. Haec, inquam, putavi, et etiamnum putarem, nisi me Plutarchi reverentia rem in medio relinquere compelleret, veritum toties a tanto viro diffidere: Qui, ut sequenti sectione referemus. Hippiam non mulierem, sed mimum fuisse testatur, *in Hippiae mimi nuptiis.* Idem.

12) *Vectigales)* Arguitur dedisse mimo equos suis magistratus, ex quibus ille questum faceret. *Ferratius.*

13) *Tum sibi non hanc, etc.)* In eo magistratu non domum Cn. Pompeji, quam invasit quidem, sed male tuetur, Sexto Pompejo Cnei Magni filio eam repetente, sed M. Pisonis domum elegerat, cum ipse propriam domum non haberet in qua habitaret. Pater enim ejus decoxerat.

nunc male tuetur; sed M. Pisonis domum, ubi habitaret, legerat. Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid haereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? cogebat egestas: quo se verteret, non habebat: nondum ei tanta a L. Rubrio, non a L. Turselio haereditas venerat; nondum in Cn. Pompeii locum, multorumque aliorum, qui aberant, repentinus haeres successerat: erat ei vivendum latronum ritu; ut tantum haberet, quantum rapere, potuisset. Sed haec, quae robustioris improbitatis sunt, omittamus: loquamur potius de nequissimo genere levitatis. Tu istis faucibus 14), istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate; tantum vini in Hippiae nuptiis exhauseras: ut tibi necesse esset in populi R. conspectu vomere postridie. O rem non modo visu foedam, sed etiam auditu! si inter caenam, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in coetu vero populi Romani negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis vinum redolentibus, gremium suum, et totum tribunal implevit. Sed hoc ipse fatetur, esse in suis sordibus. Veniamus ad splendida. Caesar Alexandriae se recepit 15) felix, ut sibi quidem videbatur: mea autem sententia, si quis reipublicae sit infelix, felix esse non potest. Hasta posita 16) pro aede Jovis Stato-

Hic autem M. Piso videtur esse M. Puppius Calpurnianus, qui biennio post Ciceronem cum M. Valerio Messala Consul fuit. *Abram.*

14) *Tu istis faucibus)* Hunc locum Fabius frequenter expendit, ut lib. VIII. cap. 4. IX. 4. etc.

15) *Se recepit)* Se recipere dicuntur, qui ex aliquo periculo incolumes evaserint. Caesar autem Alexandriae, ut Tranquilli verbis utar, cum Ptolomaeo Rege, a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit: neque loco, neque tempore aequo, sed hieme anni, et intra moenia copiosissimi ac solertissimi hostis, inops ipse rerum omnium, atque imparatus. Neque refert quod non continuo Romam Alexandria contendit, sed ab Alexandria in Syriam et inde Pontum transiit: tam celeriter enim eas regiones obiit, ut non opus habuerit Orator illius itineris facere mentionem. Pharnacem enim intra quintum, quam adfuerat diem, quatuor, quibus in conspectum venerat horis, una profligavit acie. Ut nihil aliud ad Senatum de hac victoria rescripserit, quam *veni, vidi, vici.* Abram.

16) *Hasta posita)* In auctionibus publicis hastam fige-

ris, bona Cn. Pompeii (miserum me! consumptis enim lacrymis, tamen infixus haeret animo dolor) bona inquam, Cn. Pompeii Magni voci acerbissimae subjecta praeconis. Una illa re servitutis oblita civitas ingemuit: servientibusque animis, gemitus tamen populi R. liber fuit. Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam diis, hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo, praeter Antonium: praesertim cum tot essent circum hastam illam, qui alia omnia auderent. Unus inventus est, qui id auderet, quod omnium fugisset, et reformidasset audacia. Tantus igitur te stupor oppressit, vel, ut verius dicam tantus furor, ut primum, cum sector 17) sis, isto loco natus 18), deinde cum Pompeii sector, non te execrandum populo R., non detestabilem, non omnes tibi deos, non omnes homines, et esse inimicos, et futuros scias? at quam insolenter statim helbant eo loco, ubi res venales subjiciebantur auctioni, fortasse quia publicarum auctionum origo fuit ex venditione praedae armis et hasta partae. *Idem.*

17) *Sector)* Asconius in tertiam Verrinam: Sectorem autem dixit aestimatorem redemtoremque bonorum damnati, atque proscripti, qui spem sectans lucri sui id est, secutus spem aestimationis suae, bona omnia actione vendit, et semel infert pecuniam, vel erario, vel sociis. *Satis obscure. Libenter legerim pro* vendit, emit. *Clarius aliquanto post:* Sectores autem dicti sunt, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant singulis: ac postea compendio suo singula quasque res pecunia populo venditabant. Vellem Festi verba superessent, nam Paulus ridicule mulitavit: *Sectio, persecutio juris. Sectores, et qui secant dicuntur, et qui empta sua persequuntur.* Nonius Marcellus; *Secare, sequi; unde et sectatores bonorum sectores dicti sunt.* Hinc colligo eum in auctionibus publicis sectorem fuisse qui bona proscripti vel damnati universa simul et semel suo periculo redimebat, quae deinde vel sibi retineret, vel per partes venderet ad majus rei familiaris compendium. Dictus *sector*, vel quod commodum suum et lucrum sequeretur, ut volunt illi Grammatici, vel potius quod illa damnati vel proscriptis bona in partes secaret, et singulis creditoribus singulares partes exsolveret. *Abram.*

18) *Isto loco natus)* Vel quod nobilitatem sui generis decoraret illa sectionis infamia, vel quod filius esset M. Antonii Cretici, hominis ad perdendam pecuniam genit,

luo invasit in ejus viri fortunas, cujus virtute terribilior erat populus R. exteris gentibus, justitia carior? in ejus igitur copias cum se subito ingurgitasset, exultabat gaudio persona de mimo 19), modo egens, repente dives. Sed, ut est apud poetam, nescio quem *Male parta, male dilabuntur*: incredibile, ac simile portenti, est, quonam modo illa tam multa, quam paucis, non dico mensibus, sed diebus effuderit. Maximus auri numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti 20), pretiosa vestis, multa, et tanta supellex, et magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. Horum paucis diebus nihil erat. Quae Charybdis tam vorax: Carybdin dico? quae si fuit animal, unum fuit 21). Oceanus medius fidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum. Apothecae 22) totae nequissimis hominibus condonabantur, alia mimi rapiebant, alia mimae domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum: Totos dies potabatur, atque id locis pluribus: suggerebantur etiam saepe (non enim semper iste felix) damna aleatoria: conchyliatis Cn. Pompeii peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres. Quamobrem desinite mirari, haec tam ce-

ot ipse praetextatus patris sui culpa decoxisset. Indignissimum est autem eum qui ante decoxerit, ad hastam publicam accedere, et fortunae prioris oblitum, fieri sectorem. Atque haec a persona Antonii, deinde a Pompeji persona sectionis indignitatem amplificat. *Idem.*

19) *Persona de mimo)* Ut mimus personam mutat, modo hunc agens, modo illum: sic tu fortunam mutasti, ex egente repente dives factus. *Manut.*

20) *Argenti)* Argentum et aurum pro pateris aureis et argenteis. Quo in genere quanta fuerit Antonii insolentia, videre est apud Plinium lib. XXXIII, cap. 3. *Abram.*

21) *Animal unum)* Legere videtur Fabius; *Quae si fuit, fuit animal vivum.* Nihil facile mutaverim. *Idem.*

22) *Apothecae)* Vinum aliud erat doliare, aliud diffusum. Cellae vinariae sub terra fueruut, et vinum doliare continebant. Apothecae autem fuerunt in superiore tabulato, et vinum in amphoras defusum servabant. Jam Noster non cellas vinarias, sed apothecas ait viris nequissimis fuisse condonatas, quia majoris pretii vetustiora fuerunt vina in amphoris et apothecis, quam in doliis cellisque vinariis. *Idem.* Vide Plin. XIV, 21.

leriter esse consumpta. Non modo unius patrimonium, quamvis amplum, ut illud fuit, sed urbes, et regna celeriter tanta nequitia devorare potuisset. At ejusdem aedes etiam, et hortos: O audaciam immanem! tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum aedium diis penatibus os importunissimum ostendere? quam domum aliquamdiu nemo adspicere poterat, nemo sine lacrymis praeterire, hac te in domo tamdiu diversari non pudet, in qua, quamvis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse jucundum. An tu, illa 23) in vestibulo 24) rostra spolia cum adspexisti, domum tuam te introire putas? fieri non potest. Quamvis enim sine mente, sine sensu sis, ut es? tamen et te, et tua, et tuos nosti. Nec vero te umquam neque vigilantem, neque in sommis credo mente te posse consistere. Necesse est, quamvis sis ut es, violentus, et furens; cum tibi objecta sit species singularis viri, perterritum te de somno excitari, furere etiam saepe vigilantem, me quidem miseret parietum ipsorum, atque tectorum. Quid enim umquam domus illa viderat, nisi pudicum: nisi ex optimo more, et sanctissima disciplina fuit enim ille vir, P. C., sicut scitis, cum foris, clarus, tum domi admirandus; neque rebus

23) *An tu illa in vestibulo rostra, spolia cum adspexisti)* Alii: *in vestibulo rostra et hostium spolia*: Alii, quod magis placet, *An tu illa vestibula, rostra, spolia.* Majorem enim vim habet oratio si dissoluta fuerit, ut plura conglobari, et quasi in cumulum coacervari videantur, nec moris est oratori, duas tantum voces consulari, nisi vinculo copulentur. *Abram.* Puto Ciceronem scripsisse, *An tu illa in vestibulo rostra, au spolia cum inspexisti*. Graev.

24) *Vestibulo)* Vestibulum non fuit, ut aliqui putant, vel ipsa janua, vel arcus januae praepositus, quasi πρόπυλον aut etiam porticus ante januam, sed Aquilius Gallus apud Gellium in noctibus Atticis libro XVI, cap. 15. *Vestibulum esse dicit non in ipsis aedibus, neque partem aedium, sed locum ante januam domus vacuum, per quem a via aditus, accessusque ad aedes est, cum dextra sinistraque inter januam tectaque, quae sunt viae juncta, spatium relinquitur: atque ipsa janua procul a via est, area vacanti intersita.* Vide ibi plura, et Macrob. Saturn. VI. 8, *Idem.*

externis magis laudandus, quam institutis domesticis. Hujus in sedibus pro cubiculis stabula 25). pro tricliniis popinae sunt. Etsi jam negat. Nolite, nolite quaerere. Frugi factus est: Mimam illam suam suas res 26) sibi habere jussit ex duodecim tabulis claves ademit, exegit. Quam porro spectatus civis, quam probatus, cujus ex omni vita nihil est honestius, quam quod cum mima fecit divortium?

CONFIRMATIONIS QUARTA PARS.

Quid egerit Antonius in privata vita.

At quam crebro usurpat et consul, et Antonius? hoc est dicere, et consul, et impudicissimus, et consul et homo nequissimus. Quid est enim aliud Antonius? nam si dignitas significaretur in nomine, dixisset aliquando, credo, avus tuus se et consulem, et Antonium. Numquam dixit. Dixisset etiam collega meus, patruus tuus: nisi tu es solus Antonius. Sed omitto ea peccata, quae non sunt earum partium 27) propria, quibus tu rempublicam vexavisti: ad ipsam tuas partes redeo, idest ad civile bellum: quod natum, conflatum, susceptum opera tua est. Cui bello cum propter timiditatem tuam, tum propter libidines 28) defuisti. Gustaras civilem sanguinem, vel potius exsorbueras: fueras in acie Pharsalica antesignanus, L. Domitium 29), nobilissimum, et clarissimum virum occideras: multosque praeterea, qui e praelio effugerant, quos Caesar, ut nonnullos, fortas-

25) *Stabula)* Loca nequitiae, meritoria, *Ferratius.*

26) *Suas res)* Divortium his plane verbis fiebat: *Tuas res tibi habeto.* Tum clavibus ademptis mulierem foras exigebat. *Idem.*

27) *Partium)* Caesaris.

28) *Propter libidines)* Quae te in urbe retinebant. *Man.*

29) *L. Domitium)* Aenobarbum, qui ante bellum civile jussus fuerat Caesari, Gallias contra Senatus auctoritatem obtinenti, succedere. Is, ut scribit Caesar III. de bello civili: *Ex castris in montem refugiens, cum vires eum prae lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus.* Idem.

se servasset, crudelissime persequutus trucidaras. Quibus rebus tantis, talibus gestis, quid fuit caussae, cur in Africam Caesarem non sequerere, cum praesertim belli pars tanta restaret? itaque 30) quem locum apud ipsum Caesarem post ejus ex Africa reditum obtinuisti: quo numero fuisti? cujus tu imperatoris quaestor fueras, dictatoris magister equitum, belli princeps, crudelitatis auctor, praedae socius, testamento 31), ut dicebas ipse, filius, appellatus es de pecunia 32), quam pro domo, pro hortis, pro sectione, debebas. Primo respondisti plane ferociter: et, ne omnia videar contra te, propemodum aequa, et justa dicebas. A me C. Caesar pecuniam? cur potius, quam ego ab illo? an ille sine me vicit? at ne potuit quidem. Ego ad illam belli civilis caussam attuli: ego leges perniciosas rogavi: ego arma contra consules, imperatoresque populi Romani, contra senatum, populumque Romanum, contra deos patrios, arasque, et focos, contra patriam tuli. Num sibi soli vicit? quorum facinus est commune, cur non sit eorum, praeda communis? jus postulabas; sed quid ad rem? plus ille poterat. Itaque, exscussis tuis vocibus, et ad te, et ad praedes tuos milites misit; cum repente a te praeclara illa tabula 33) prolata qui ri-

30) *Itaque)* Cum igitur propter timiditatem et libidines Africano bello defuisses, sic apud Caesarem in contemptum venisti, sic refrixit tua apud illum gratia, ut postquam ex Africa victor rediit, nec ullum locum, dignitatisque aut gratiae gradum obtineres, nec ullo numero esses, id est, ne numerareris quidem inter ejus amicos. *Abr.*

31) *Testamento)* Dicebas te testamento Caesaris ab eo adoptatum fuisse, ut tu in ejus universa bona succederes. *Idem.* Vide Dion. lib. 44.

32) *Appellatus es de pecunia)* Intimatum est tibi, ut eam pecuniam solveres, quam debebas pro emptione ab hasta publica, et sectione bonorum Cn. Pompeji. Appellatur debitor de pecunia, cum non solum admonetur ut solvat, sed jam gravioribus verbis ab eo pecuniae flagitentur et exiguntur. *Idem.*

33) *Tabula)* Qua proscripsit Antonius res suas: ut auctione facta, solveret Caesari, quod debebat. *Manutius.*

sus hominum de te erat? tantam esse tabulam, tam varias, tam multas possessiones, ex quibus, praeter partem Miseni, nihil erat, quod is, qui auctionaretur, posset suum dicere. Auctionis vero miserabilis adspectus: vestis Pompeii non multa, eaque maculosa, ejusdem quaedam argentea vasa collisa, sordidata manicipia, ut doleremus quidquam esse ex illis reliquiis, quod videre possemus. Hanc tamen auctionem haeredes L. Rubrii 34) decreto Caesaris 35) prohibuerunt. Haerebat nebulo: quo se verteret, non habebat. Quin his ipsis temporibus domi Caesaris percussor, ab isto missus, deprehensus dicebatur esse cum sica: de quo Caesar in senatu, aperte in te invehens, questus est. Proficiscitur in Hispaniam Caesar, paucis tibi ad solvendum propter inopiam tuam prorogatis diebus. Ne tum quidem sequeris. Tam bonus gladiator rudem 36) tam cito accepisti? Hunc igitur quisquam, qui in suis partibus, id est in suis fortunis tam timidus fuerit, pertimescat? profectus est tandem aliquando in Hispaniam, sed tuto 37), ut ait, pervenire non potuit. Quonam modo igitur Dolabella pervenit? aut non suscipienda fuit ista caussa, Antoni, aut, cum suscepisses, defendenda usque ad extremum. Ter depugnavit Caesar cum civibus, in Thessalia, Africa, Hispania. Omnibus affuit his pugnis Dolabella: in Hispaniensi etiam vulnus ac-

34) *Haeredes L. Rubrii)* Repetentes ab Antonio bona Rubrii, quae per fraudem tamquam haeres occupaverat. *Idem.*

35) *Decreto Caesaris)* Apud quem de auctione illa questi erant, cum dicerent, velle nonnulla Antonium vendere pro suis, quae sua non essent, sed ad ipsos tamquam L. Rubrii veros haeredes attinerent. *Idem.*

36) *Rudem)* Indicem libertatis virgam impolitam: qua donati gladiatores, pugnare amplius non cogebantur. Ea vero donabantur, qui saepe jam praeclare pugnassent. Mordet igitur Antonium, qui, tamquam bonus gladiator accepta rude, sibi jam non esse pugnandum pro Caesare constitueret. *Idem.*

37) *Tuto)* Quod a latronibus, aut a Pompejanis sibi in itinere timeret. *Idem.* Profectus in Hispaniam post Caesarem, constitit Narbone. *Ferrat.*

cepit. Si de meo judicio quaeris, nollem: sed tamen consilium a primo reprehendendum, laudanda constantia. Tu vero quid es? Cn. Pompeji liberi primum patriam repetebant 38). Esto, fuerit haec partium caussa communis. Repetebant praeterea deos patrios, aras, focos, larem suum familiarem, in quae tu invaseras. Haec cum repeterent armis ii, quorum erant legibus: etsi in rebus iniquissimis quid potest esse aequi? tamen erat aequissimum contra Cn. Pompeji liberos, Cn. Pompeji pugnare sectorem. An tu Narbone * mensas hospitum convomeres, Dolabella pro te in Hispania dimicaret? qui vero Narbone reditus? Etiam quaerebat 39), cur ego ex ipso cursu tam subito revertissem. Exsposui nuper 40), P. C. caussam reditus mei. Volui, si possem, etiam ante Kal. Jan. prodesse reipublicae. Nam quod quaerebas, quomodo rediissem: primum, luce, non tenebris: deinde, cum calceis et toga, nullis nec gallicis 41), nec lacerna 42). At etiam adspicis me, et quidem, ut videris, iratus. Nae tu jam mecum in gratiam redeas,

38) *Patriam repetebant)* Si nihil aliud petiissent, quam ut in patriam redirent, et recuperarent rempublicam, non fuisset potior ratio, cur tu contra illos pugnares, quam ceteri, qui duce Caesare Pompeji partes ejecerant: sed repetebant patrimonium, et ipsam domum paternam, quam tu possidebas. *Abram.*

* Vict. Man. *in mensas .... cum vomeres,*

39) *Et tamen quaerebat)* Antonius, qui tam foede redierat, reditum meum e Graecia, quo post necem Caesaris proficisci decreveram, jamque iter susceperam, mihi objecit. *Idem.*

40) *Nuper)* Quarto Nonas Septembres, ut constat e Philippica V. cap. 7. Exsposuit reditum profectionis et reversionis suae Philippica prima. *Idem.*

41) *Gallicis)* Castrense pedum calceamentum. *Manut.* Atqui miles erat Antonius, et ex Gallia militari habitu redibat Romam. Non hoc igitur notatur in Antonio, quod in itinere sit unus gallicis et lacerna, sed quod iis usus sit, cum Urbem ingrederetur, et postea quod iis usus sit, cum prensaret candidatus in municipiis et coloniis. *Gr.*

42) *Lacerna)* Humiliorum, quibus toga deesset, vestis, Cicero ad Attic lib. IV. Suetonius in Augusto. *Manut.*

si scias, quam me pudeat nequitiae tuae, cujus te ipsum non pudet. Ex omnium omnibus flagitiis nullum turpius vidi, nullum audivi. Qui magister equitum fuisse tibi viderere, in proximum annum consulatum peteres, vel potius rogares, per municipia, coloniasque Galliae, a qua nos tum, cum consulatus petebatur, non rogabatur 43) petere consulatum solebamus, cum gallicis, et lacerna cucurristi. At videte levitatem hominis. Cum hora diei decima fere 44) ad Saxa Rubra venisset, delituit in quadam cauponula; atque ibi se occultans perpotavit ad vesperam. Inde cisio celeriter ad urbem advectus domum venit capite involuto. Janitor, quis tu? a Marco tabellarius. Confestim ad eam 45), cujus caussa venerat, deducitur, eique epistolam tradidit. Quam cum illa legeret flens (erat enim amatorie scripta: caput autem literarum, sibi cum illa mima posthac nihil futurum, omnem se amorem abjecisse illinc; atque in hanc transfudisse) cum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum invasit. O hominem nequam? (quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere) ergo, ut te catamitum, neque opinato cum ostendisses, praeter spem mulier adspiceret, idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbasti? et domi quidem caussam amoris habuisti: foris etiam turpiorem, ne L. Plancus praedes tuos 46) venderet. Productus autem in concio-

43) *Non rogabatur)* Tu consulatum a Caesare precibus rogabas: nos incolumi Rep. petebamus a Galliae quoque colonis et municipiis: habebant enim jus suffragii. *Fer.*

44) *Hora diei decima fere)* Duabus horis ante noctem. Veteres enim diem in partes duodecim dividebant: et non a media nocte, sed a solis ortu horas numerabant. Saxa autem Rubra videntur fuisse viculus uno vel altero distans ab Urbe milliari. *Abram.*

45) *Ad eam)* Ad Fulviam, quam Antonius post priorum maritorum necem, duxerat uxorem. *Idem.*

46) *Praedes tuos)* Bona fidejussorum tuorum, sive praedum, qui tuo nomine bona sua obligarant. *Idem.*

nem a tribuno plebis cum respondisses, de rei tuae caussa venisse, populum etiam dicacem 47) in te reddidisti.

CONFIRMATIONIS QUINTA PARS.

Quid egerit Antonius in Consulatu.

SEd nimis multa de nugis, ad majora veniamus. Caesari ex Hispania redeunti obviam longissime processisti: celeriter isti redisti, ut cognosceret et si minus fortem, attamen strenuum. Factus es ei rursus, nescio quo modo, familiaris. Habebat hoc omnino Caesar: quem plane perditum aere alieno, egentemque, si eumdem nequam hominem, audacemque cognoverat, hunc in familiaritatem libentissime recipiebat. His igitur rebus praeclare commendatus, jussus es renunciari consul, et quidem cum ipso. Nihil queror de Dolabella, qui tum est impulsus 48), inductus, elusus. Qua in re quanta fuerit utriusque vestrum perfidia in Dolabellam, quis ignorat? ille induxit, ut peteret: promissum, et receptum intervertit 49), ad seque transtulit, tu ejus perfidiae 50) voluntatem tuam adscripsisti. Veniunt Kal. Jan. cogimur in senatum: invectus est copiosius multo in istum, et paratius Dolabella, quam nunc ego. Hic autem iratus, quae dixit, dii boni? primum cum Caesar ostendisset, se prius, quam proficisceretur, Dolabellam consulem esse jussurum: quem negant regem, qui et faceret semper ejusmodi aliquid, et di-

47) *Dicacem)* Populus ex tua oratione dicteriorum occasionem arripuit, ex amphibologia ambiguoque sensu verborum REI TUAE CAUSSA, quae tam ad rem familiarem et praedes, quam ad libidines et amorem referri possunt. *Idem.*

48) *Impulsus)* Caesar impulerat, et induxerat Dolabellam, ut consulatum peteret: deinde eluserat, et sibi honorem illum usurpaverat. *Ferrat.*

49) *Intervertit)* Intervertere est rem alteri promissam ad se transferre, et ita malis artibus impedire, ne ad eum perveniat, cui fuerat destinata. *Abram.*

50) *Tu ejus perfidiae)* Tu Caesari contra fidem datam Dolabellam prodenti assensus es. *Idem.*

ceret: sed cum Caesar ita dixisset, tum hic bonus augur eo se sacerdotio praeditum esse dixit, ut comitia auspiciis vel impedire, vel vitiare posset; idque se facturum esse asseveravit; in quo primum incredibilem stupiditatem hominis cognoscite. Quid enim? istud quod te sacerdotii jure facere posse dixisti, si augur non esses, et consul esses, minus facere potuisses? vide, ne etiam facilius. Nos enim nunciationem solum habemus; consules, et reliqui magistratus etiam spectionem 51). Esto hoc imperite (nec enim est ab homine numquam sobrio, postulanda prudentia) sed videte impudentiam. Multis ante mensibus in senatu dixit, se Dolobellae comitia aut prohibiturum auspiciis, aut id facturum 52) esse, quod fecit. Quisquam ne divinare potest, quid vitii

51) *Nos enim nuntiationem solum habemus: consules et reliqui magistratus etiam spectionem*) Ex Numae regis instituto jus nuntiandi augures obtinebant, ut si quid vitii advertissent, comitia prohiberent, ne fierent, et jam facta turbare nuntiando possent; idemque legibus XII. Tabularum cautum est: *Quaeque augur injusta, nefasta, vitiosa, dirave dixerit, irrita, infectaque sunto.* Cuilibet igitur magistratui auspicanti, antequam cum populo ageret, aderat augur, eique in auspicio esse dicebatur; quo auctore, secundumne, an adversum esset augurium, intelligebat magistratus ille, qui comitia populi edixerat. Auguribus autem aliquid nuntiantibus parebatur, etiamsi nihil vidissent, et falsa nuntiarent. Magistratibus data erat per leges facultas servandi de caelo, et obnuntiandi, cautumque ne liceret agere cum populo, quo die de caelo servatum esset. Quamobrem poterant impedire ne haberentur comitia, aut ageretur cum populo, et facere dies nefastos, obnuntiando se illis diebus de caelo esse servaturos. Itaque augures poterant impedire ne haberentur comitia, et jam habita vitiare; quia et ante, et post habita comitia contingebat, ut viderent aliquid, aut audirent. Non tamen ante ipsum diem comitiorum scire poterant, quid aut visuri essent, aut audituri. Solam ergo habebant *nuntiationem. Magistratus* habebant *spectionem*, hoc est jus servandi de caelo, et impediendi ne populus ad comitia vocaretur. Quod apud Festum datur *auguribus spectio dumtaxat*, sic intelligendum videtur: Si augur sit magistratui in auspicio, spectat, non autem nuntiat; in comitiis populi nuntiat, non spectat. Jam et Cicero et Antonius augures erant: hinc est quod ille dicit, *Nos nuntiationem solum*, etc. *Ferratius.*

52) *Aut id facturum*) Vitiaturum, posteaquam facta es-

in auspiciis futurum sit, nisi qui de caelo servare constituit? quod neque licet comitiis per leges: et si quis servavit, non habitis comitiis, sed prius, quam habeantur, debet nunciare. Verum implicata inscitia impudentia est; nec scit, quod augurem, nec facit, quod pudentem decet. Atque ex illo die recordamini ejus usque ad idus Mart. 53) consulatum. Quis umquam apparitor tam humilis, tam abjectus? nihil ipse poterat: omnia rogabat: caput in adversam lecticam inserens beneficia, quae venderet, a collega petebat. Ecce Dolabellae comitiorum dies 54), sortitio praerogativae: quiescit. Renunciatur: tacet. Prima classis vocatur, renunciatur. Deinde ut assolet,

sent. Infra, *Confecto negotio, bonus augur*, Alio die, *inquit*. Manut.

53) *Usque ad Idus Martias*) Quibus Caesar occisus est.

54) *Ecce Dolabellae comitiorum dies*) Caesar promiserat se prius quam ad bellum Parthicum proficisceretur, effecturum, ut suo ipsius loco Consul fieret Dolabella. Cum itaque comitiorum dies appetisset, populum ad ea comitia convocavit et ex omnibus centuriis, in quas populus universus describebatur, sortitus est unam centuriam, ut ea omnium prima rogaretur suffragium, cujus nomen e sitella primum sortitione eductum exiisset. Quievit Antonius, nec se interposuit, quo minus fieret illa sortitio. Rogatis, exceptis, distributisque centuriae praerogativae suffragiis, Dolabella renuntiatur adeptus praerogativae suffragium. Tacuit interim Antonius, et ne verbo quidem significavit hujusmodi comitia esse vitiosa. Post praerogativam, prima classis vocatur intra septa, ut fuerat suffragium, et, ut fieri solet, rogantur suffragia. Hujus quoque classis voluntate renuntiatur consul Dolabella, quod major pars illarum nonaginta et octo centuriam, quae prima classe continentur, ei fuerit suffragata. Sed cum refragarentur aliquot centuriae, nec solius primae classis suffragiis legitimus punctorum numerus exspleri potuisset, secunda classis vocata est ad ferendum suffragium. Ad cujus rei intelligentiam notandum est, populum omnem in quinque classes, et capite censos fuisse distributum, singulas classes quibusdam centuriis fuisse descriptas, ut centum nonaginta tres essent centuriae, et prima classis plures, quam ceterae omnes, sola contineret centurias. (Erant enim in prima classe 98. in secunda 22. in tertia 22. in quarta 20. in quinta 30. Reliqui omnes, qui non classibus sed capite censebantur, in unicam erant redacti centuriam.) Quare si prima classis conspirasset, omniumque centuriarum suarum calculo

suffragatum secunda classis vocatur. Quae omnia sunt citius facta, quam dixi. Confecto negotio bonus augur, (Laelium diceres) *Alio die*, inquit. O impudentiam singularem, quid videras? quid senseras? quid audieras? nec enim te de caelo servasse dixisti, neque hodie dicis. Id igitur obvenit vitium; quod tu jam Kal. jan. futurum esse praevideras, et tanto ante praedixeras, ergo hercule magna, ut spero, tua potius, quam reipublicae calamitate, ementitus es auspicia: obstrinxisti religione populum Romanum: augur auguri, consul 55) consuli obnunciasti. Nolo plura, ne acta Dolabellae videar convellere 56): quae, necesse est, 57), aliquando ad nostrum collegium deferantur. Sed arrogantiam hominis, insolentiamque cognoscite. Quamdiu tu voles, vitiosus consul Dolabella: rursus, cum voles, salvis auspiciis creatus. Si nihil est 58) cum augur his verbis nunciat; quibus tu nunciasti, confitere te, cum, *Alio die*, dixeris, sobrium non fuisse. Sin est aliqua vis in istis verbis, ea quae sit, augur e collega requiro. Sed, ne forte ex multis rebus gestis M. Antonii rem unam pulcher-

Dolabellam Consulem fecisset, necesse non fuisset ad secundam classem procedere. Vide Dionysium Halicarn. libro IV. *Idem.*

55) *Augur, auguri: Consul)* Caesari, qui augur et consul.

56) *Ne acta Dolabellae videar convellere)* Si enim obnuntiatio tua vim habuit, Dolabella Consul fuit vitio creatus; si vitio creatus, non fuit vere Consul; si non Consul nihil jure egit et legitima potestate. *Abramus.*

57) *Quae necesse est)* Cum respublica istud, quo nunc opprimitur, tuae dominationis jugum excusserit emerseritque fluctibus servitutis, necesse est, ut Dolabellae Consulis acta ad Augurum consilium deferantur, ut nos qui sumus Augures, eane rata esse debeant, an infirma, judicemus. Tunc enim considerabimus quid de tua obnuntiatione statuendum sit, ut si valeat, Dolabella judicetur Consul vitiosus: si non valeat, ut ob ementita auspicia damneris. *Idem.*

58) *Si nihil est)* Probare studet, aut numquam vitiosum; aut vitiosum semper esse consulem Dolabellam: cum Antonius, dum ei fuit inimicus, vitiosum esse: reconciliatus, non esse vitiosum dixerit. *Manut.*

rimam transiliat oratio, ad Lupercalia 59) veniamus Non dissimulat, P. C., apparet esse commotum: sudat, pallet. Quidlibet, modo ne nauseet, faciat, quod in porticu Minucia fecit. Quae potest esse turpitudinis tantae defensio? cupio audire, ut videam, ubi rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat. Sedebat in Rostris 60) collega tuus, amictus toga purpurea, in sella aurea coronatus 61): adscendis: accedis ad sellam (ita eras Lupercus, ut te esse consulem meminisse deberes) Diadema ostendis: gemitus toto foro. Unde diadema? non enim abjectum sustuleras, sed attuleras domo meditatum, et cogitatum scelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi, ille cum plausu rejiciebat. Tu ergo unus, scelerate, inventus es, qui cum auctor regni 62) esses, eum, quem collegam regni habebas, dominum habere velles, et idem tentares, quid populus Romanus ferre, et pati posset. At etiam misericordiam captabas: supplex te ad pedes abjiciebas. Quid petens? ut servires? tibi uni peteres; qui ita a puero vixeras, ut omnia paterere, ut facile servires: a nobis, populoque Romano mandatum id certe non habebas. O praeclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus

59) *Ad Lupercalia)* Ad rem gestam Lupercalibus, id est decimo quinto Kalendas Martii, quo die juvenes Lycaeum Pana venerantes nudi per luxum atque lasciviam currebant. Ovidius II. Fastorum: *Tertia post Idus, etc. Abram.*

60) *Sedebant in Rostris)* Priusquam Antonii factum narrat, insolentiam et factum Caesaris describit, ut et scelus Antonii magis exageret, quod regem adeo superbum voluerat Romanis imponere. *Idem.*

61) *Coronatus)* Duplex corona Caesari concessa a Senatu. Decretum enim ut corona laurea perpetuo uti posset, et ut ludis coronam gemmis auroque praesignem gestaret. Hanc posteriorem Lupercalibus videtur habuisse: is enim fuit habitus triumphantium *Abram.* Non fuit gemmis ornata sed distincta radiis corona aurea ut Floro dicitur libro IV. cap. 2. *Graev.*

62) *Collegam regni)* Dictio *regni* abest ab antiquo libro, quam et sensus respuit. Loquitur enim de collegio consulatus, non regni. *Faernus,* cum Faerno et Muretus et Lambinus faciunt: quare nolim hic Typographos nostros ab exemplari Gruteriano deceptos fuisse. *Olivet.*

concionatus! quid hoc turpius? quid foedius? quid suppliciis omnibus dignius? Num exspectas, dum te stimulis fodiam? haec te, si ullam partem habes sensus; lacerat, haec cruentat oratio. Vereor, ne imminuam summorum virorum gloriam: dicam tamen dolore commotus. Quid indignius, quam vivere eum, qui imposuerit diadema, cum omnes fateantur jure interfectum esse, qui abjecerit? at etiam adscribi jussit in fastis ad Lupercalia: *C. Caesari, dictatori perpetuo, M. Antonium consulem populi jussu regnum detulisse, Caesarem uti noluisse*. Jam jam minime miror te otium perturbare, non modo urbem odisse, sed etiam lucem, cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem vivere 63). Ubi enim tu in pace consistes? qui locus tibi in legibus, et in judiciis esse potest, quae tu, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti? ideone L. Tarquinius exactus, Spurius Cassius, Melius, M. Manlius necati, ut multis post saeculis a M. Antonio, quod fas non est, rex Romae constitueretur? Sed ad auspicia redeamus. De quibus rebus 64) idibus Mart. fuit in senatu Caesar acturus, quaero, tum tu quid egisses.

63) *Non solum de die, sed etiam in diem vivere) De die vivere,* est quotidie genio indulgere et epulari. *De die* enim convivia sunt, quae ante statam coenae horam, quae erat nona inibantur, quod erat hominum perditorum. Illa convivia dicuntur tempestiva. *In diem vivere* est, ut recte exponitur, omnia susque deque facere, nihil divini humanique pensi habere, nec de futuro sollicitum esse, nec de hominum de te judicio. Illud est hominum asotorum, hoc hominum *απονενοημενων*. *τοῦ vivere* hic duplex notio. In ista locutione *de die vivere* notat *vivere* voluptatibus indulgere, ut in illo Catulli, *Vivamus mea Lesbia:* sed in hac *in diem vivere*, *vivere* est vitam instituere. *Graev.*

64) *De quibus rebus)* Caesar, ut scribit Appianus quarto post Idus Martias, profecturus erat ab bellum Parthicum: et antequam urbe exsederet, Consulem suo loco substituere decreverat. Ideoque relaturus erat ad Senatum de auspiciis ab Antonio nuntiatis; utrum videlicet obnuntiatio Antonii vim obtineret, et Consul vitiosus esset Dolabella. Quaerit igitur Orator ab Antonio quid egisset. Caesarine, cui regnum deferre voluerat, repugnare ausus fuisses, an probaturus Consulem Dolabellam, quasi salvis

Audiebam quidem te paratum venisse, quod me de ementitis auspiciis, quibus tamen parere necesse erat, putares esse dicturum. Sustulit illum diem fortuna reipublicae tum etiam 65) tum de auspiciis judicium interitu Caesaris sustulit? sed incidi in id tempus, quod iis de rebus, in quas ingressa erat oratio praevertendum est 66). Quae tua fuga? quae formido illo die? quae propter conscientiam scelerum desperatio vitae, cum ex illa fuga beneficio eorum, qui te, si sanus esses, salvum esse voluerunt, clam te domum recepisti? o mea frustra semper verissima auguria rerum futurarum! dicebam illis in Capitolio liberatoribus 67) nostris, cum me ad te ire vellent, ut ad defendendam rempublicam te adhortarer; quoad metueres, omnia te promissurum; simul ac timere desiisses, similem te futurum tui. Itaque cum ceteri consulares irent, redirent, in senten-

auspiciis creatum. Hic est opinor sensus, quamquam alia etiam de re agendum fuerat idibus Martiis in Senatu. Nam, ut scribit Tranquillus cap. 79. *Proximo Senatu percrebuit fama L. Cottam Quindecimvirum sententiam dicturum, ut quoniam libris fatalibus contineretur, Partho nisi a Rege non posse vinci, Caesar Rex appellaretur.* Quae suspicio Caesari necem maturavit, ut Appianus, Dios Plutarchus literis prodiderunt. *Quaero tum tu quid egisses?* Eum sine dubio Regem esse creandum censuisses, cui jam imposueras diadema. Sed prior exsplanatio magis ad rem. *Abram.*

65) *Num etiam)* Dolabella statim post necem Caesaris, non exspectato Senatus decreto de auspiciis, Consulatum invasit, et paullo post Antonius reconciliatus Dolabellae. Obiter igitur objicit inconstantiam, quia quem vivo Caesare vitiosum esse Consulem dixerat, eum post Caesaris necem, tanquam salvis auspiciis creatum, in consortium Consulatus admisit. *Idem.*

66) *Praevertendum est)* Sensus: incidi in id tempus de quo prius mihi loquendum est, quam de iis rebus de quibus coeperam loqui. *Faern.*

67) *Illis in Capitolio liberatoribus)* Bruto, ceterisque qui a Reipublicae cervicibus jugum servile dejecerant, quique caede peracta, in Capitolium, tanquam Deos comprecaturi, concesserant, ibique diem illum noctemque exegerunt. Ad quos accesserunt tum alii, tum ipse Cicero, ne cum illis agerent de Republica. *Faern.*

tia mansi; neque te illo die, neque postero vidi, neque ullam societatem optimis civibus cum importunissimo hoste foedere ullo confirmari posse credidi. Post diem tertium veni in aedem Telluris, et quidem invitus, cum omnes aditus armati obsiderent. Qui tibi dies ille, M. Antoni, fuit? quamquam mihi subito inimicus exstitisti: tamen me tui miseret, quod tibi invideris. Qui tu vir, dii immortales, et quantus fuisses, si illius diei mentem servare potuisses? pacem haberemus, quae erat facta per obsidem puerum nobilem, M. Antonii filium, M. Bambalionis nepotem 68). Quamquam te bonum timor faciebat, non diuturnus magister officii; improbum fecit ea, quae, dum timor abest, a te non discedit, audacia. Etsi tum, cum optimum te putabant, me quidem dissentiente 69), funeri tyranni, si illud funus fuit, sceleratissimi praefuisti: tua illa pulchra laudatio 71), tua

68) *Per obsidem puerum nobilem M. Antonii filium, M. Bambalionis nepotem*) Peracto S. C. de oblivione injuriarum in aede Telluris, invitati sunt Caesaris percussores, ut e Capitolio descenderent. Illi cum etiam tum sibi a Lepido et Antonio metuerent, non ausi vitam suam illis committere, obsides ab eis petierunt. Dedit Antonius filium suum, quem ex Fadii Bambalionis libertini hominis filia susceperat. *Abram.* Auctor est Faernus non legi in Vaticano *M. Antonii filium.* ideoque illas voces delevi, eumque sequuti sunt Lamvinus et Manutius, retinuit tamen eas Muretus. Glossam esse, quae adscripta fuerit margini, qua magister exsposuit, qui esset nobilis puer M. Bambalionis nepos, nemini potest obscurum esse, qui attentius ista legit. Nobilem puerum dixit *ἰρωνικῶς* cum eum vocat *Bambalionis nepotem.* Nam Antonii erant sane nobiles; itaque: hic parum facit ad Ciceronis mentem si addatur *Antonii filius*: Nullus autem tum erat qui salsum illud dictum, *nobilis puer M. Bambalionis nepos*, non intelligeret, esse *M. Antonii filium*: quod si addatur, hebescit acumen, quo vult ferire Antonium. *Graev.*

69) *Non diuturnus*). Alii legunt, *non diuturni magister officii.* Idem sensus est. Quia qui sola poenae formidine bene faciunt, sublato metu ad priora studia revolvuntur. *Abram.*

70) *Me quidem dissentiente*) Duplex sensus esse potest: vel enim dissentiebat ab aliis Cicero, quod aliis Antonium optimum putantibus, ipse ne bonum quidem putaret, sed cum crederet sublato metu, primo quoque tempore ad

miseratio, tua cohortatio: tu, tu, inquam, illas faces incendisti, et eas, quibus semiustulatus ille est, et eas, quibus incensa L. Ballieni domus deflagravit. Tu illos impetus perditorum, et ex maxima parte servorum, quos nos vi manuque repulimus, in nostras domos immisisti. Idem tamen, quasi fuligine abstersa, reliquis diebus in Capitolio praeclara S. C. fecisti, ne qua post idus Mart. immunitatis tabula, neve cujusquam beneficii figeretur. Meministi ipse de exulibus, scis de immunitate quid dixeris. Optimum vero, quod dictaturae nomen in perpetuum de republica sustulisti. Quo quidem facto tantum te coepisse odium regni videbatur, ut ejus omnem, propter proximum dictatorem 72), tolleres metum. Constituta respublica videbatur aliis, mihi vero nullo modo, qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. Num me igitur fefellit? aut num diutius sui potuit esse dissimilis? Inspectantibus vobis, toto Capitolio tabulae figebantur: neque solum singulis veniebant 73) immunitates, sed etiam populis universis. Civitas 74)

suos mores improbitatem esse rediturum: vel quod aliis Antonium funeri Caesaris praeficientibus, ipse praeficiendum non putaret. *Idem.*

71) *Tua illa pulchra laudatio*) Ironice pulchram appellat laudationem Antonii, quae revera perniciosa fuit reipublicae. Ea funebri oratione tria praestitit Antonius. 1. Laudavit Caesarem, et cum Alexandro Macedone comparavit, ut scribit Appianus. 2. Interitum Caesaris miserabiliter deflevit 3. Multitudinem contra percussores Caesaris exscitavit. Plebs ita subjectis iracundiae facibus exarsit, ut Caesaris corpus in forum detulerit, deinde structo a septis, subselliis et tribunalibus rogo combusserit, tandem raptis e rogo torribus, ad percussorem reliquorumque Senatorum aedes accurrerit, ut eas incenderet. Quo in tumultu L. Bullieni domus deflagravit. Laudationem Caesaris funebrem ab Antonio dictam refert Dio lib. XLIV. et Appianus lib. II. exeunte de bellis civilibus *Idem.*

72) *Propter proximum Dictatorem*) Videbatur enim Antonius odio Caesaris, qui proxime Dictator fuerat, omnem regni metum sustulisse, sanciens ne quis in posterum Dictator diceretur. *Idem.*

73) *Veniebant*) Vendebantur.

74) *Civitas*) Siculis. Vide ad Atticum lib. XIV. epist. 12.

non jam singillatim, sed provinciis totis dabatur. Itaque si haec manent, quae stante republica manere non possunt, provincias universas, Patres conscripti, perdidistis, neque vectigalia solum, sed etiam imperium populi Romani, hujus domesticis nundinis diminutum est. Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis 75), quae sunt ad Opis, patebat? funestae illius quidem pecuniae, sed tamen, quae nos si iis, quorum 76) erat, non redderentur, a tributis posset vindicare. Tu autem quadringenties H-S quod idibus Martiis debuisti, quonam modo ante Kalendas Aprilis debere desiisti? Sunt ea quidem innumerabilia, quae a diversis emebantur, non insciente te: sed unum egregium de rege Dejotaro, populo Romano amicissimo, decretum in Capitolio fixum. Quo proposito nemo erat, qui in ipso dolore risum posset continere. Quis enim cuiquam inimicior, quam Dejotaro Caesar? aeque atque huic ordini, ut equestri, ut Massiliensibus 77), ut omnibus, quibus rempublicam populi Romani caram esse sentiebat. Igitur a quo vivo nec absens rex Dejotarus quidquam aequi boni impetravit, apud mortuum factus est gratiosus. Compellarat 78) hospitem praesens, computarat 79), pecuniam imperarat: in ejus tetrarchia unum ex Graecis comitibus suis collocarat; Armeniam abstulerat a Senatu datam. Haec vivus eripuit, reddidit mortuus. At quibus verbis? modo aequum sibi videri, modo non iniquum. Mira verborum complexio. At ille num-

75) *Tabulis)* Caesaris. Vide Philipp. I.

76) *Quorum)* Eorum, qui pro Pompejo contra Caesarem pugnarant. *Manutius.*

77) *Massiliensibus)* De Caesaris in eos odio, vide lib. de Offic. II. 8.

78) *Compellarat)* Appellarat de pecunia Caesar Dejotarum, cum in ejus domum hospitio exsceptus est. *Abr.*

79) *Computarat)* Supputarat, subductisque rationibus omnibus sumam fecerat ejus pecuniae, quae ex tota Dejotari Tetrarchia corradi potuit, ut eam omnem imperaret. *Idem.*

quam (semper enim absenti affui Dejotaro) quicquam sibi, quod nos pro illo postularemus, aequum dixit videri. Syngrapha H-S centies per legatos, viros bonos, sed timidos, et imperitos, sine nostra, sine reliquorum hospitum regis sententia, facta in gynaeceo 80): quo in loco plurimae res veniere, et veneunt. Qua ex syngrapha quid sis acturus, meditere censeo. Rex enim ipse sua sponte, nullis commentariis Caesaris, simulatque audivit ejus interitum, suo Marte res suas recuperavit. Sciebat homo sapiens, ejus semper hoc fuisse, ut, quae tyranni eripuissent, ea tyrannis interfectis, ii, quibus erepta essent, recuperarent. Nemo igitur jureconsultus, ne iste quidem 81), qui tibi uni est jureconsultus, per quem haec agis, ex ista syngrapha deberi dicit pro iis rebus, quae erant ante syngrapham recuperatae. Non enim a te emit: sed priusquam tu suum sibi venderes, ipse possedit. Ille vir fuit 82): nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus. Quid ego de commentariis 83) infinitis, quid te innumerabilibus chirographis loquar? quorum etiam i-

80) *In gynaeceo*) Id est, cum Fulvia. Nam gynaeceum locus erat in aedibus, ubi mulieres habitabant. *Manut.*

81) *Ne iste quidem*) Suspicatur Manutius insinuari Sextum Clodium scribam, quem Antonius ab exilio revocarat, ut hac ipsa oratione superius cap. 4. diximus: qui fortasse Antonium et Fulviam scribendis illis legibus et immunitatum tabulis adjuvabat, ut olim P. Clodio praesto fuerat legibus scribundis; ut dicitur pro Domo. *Abr.*

82) *Ille vir fuit*) Dejotarus fortiter et generose, ut virum decebat, se gessit: nos vero pusillanimes sumus, qui cum oderimus Caesarem auctorem, ejusdem acta et leges defendimus, timentes eorum offensionem, quibus Caesar vivus aliqua beneficia promiserat. *Idem.*

83) *Quid ego de commentariis*) Senatus pacis et concordiae caussa Caesaris acta servanda esse decreverat, id est, statuerat ut nihil de actis Caesaris mutaretur, sed singulis magistratus, beneficia, provinciae darentur, quos Caesar vivus singulis contulisset. Necato Caesare, Calpurnia conjux, quatuor talentorum millia, et mariti libellos sive commentarios diurnos ab ipso memoriae caussa conscriptos ad Antonium detulit. Is arrepta occasione beneficia, magistratus, provincias, immunitates vendidit, adulteratis Caesaris commentariis ad libidinem, quasi quae faceret, e Caesaris memoriali peterentur. Ad haec nunc Orator delabitur. *Idem.*

mitatores sunt 84), qui ea, tamquam gladiatorum libellos, palam venditent. Itaque tanti acervi nummorum apud istum construuntur, ut jam appendantur, non numerantur pecuniae. At quam caeca avaritia est? nuper fixa tabula est, qua civitates locupletissimae Cretensium vectigalibus liberantur: statuiturque, ne post M. Brutum proconsulem sit Creta provincia. Tu mentis es compos? tu non constringendus? an Caesaris decreto Creta post M. Bruti decessum potuit liberari, cum Creta nihil ad Brutum, Caesare vivo, pertineret? At hujus venditione decreti (ne nihil actum putetis) provinciam Cretam perdidistis. Omnino nemo ullius rei fuit emptor, cui defuerit hic venditor. Et de exulibus legem, quam fixisti, Caesar tulit? Nullius insector calamitatem: tantum queror, primum eorum reditus inquinatos, quorum caussam dissimilem Caesar judicaverit: deinde nescio cur reliquis idem non tribuas. Neque enim plusquam tres, aut quatuor reliqui sunt. Qui simili in calamitate sunt, cur tua misericordia simili non fruuntur? cur eos habes in loco patrui 85)? de quo ferre, cum de reliquis ferres, noluisti: quem etiam ad censuram petendam impulisti, quae et risus hominum, et querelas 86) moveret. Cur autem ea comitia 87) non habuisti. An quia tribunus plebis si-

84) *Quorum etiam imitatores sunt)* Tanta subjiciendorum adulterandorumque licentia per te inducta est, ut non tu solum, sed alii quoque exscribant, vel potius imitentur, quae deinde publice venditent, ut vendi solent ii libelli, quibus futura proximorum gladiatorum pugna, et singulorum parium compositio describitur. *Idem.*

85) *Patrui)* De quo, supra, cap. 23. annot. 92.

86) *Risus hominum, et querelas)* Ridebant eum, qui fuisset infamia notatus, censuram petere, cujus est de moribus civium judicare. Quaerebantur tantam esse M. Antonii impietatem, ut patruum suum omnibus ridendum exponeret. *Abram.*

87) *Cur autem ea comitia)* Antonius, ut videtur, censoria comitia indixerat, sed illucescente die vel non accessit omnino, vel cum accessisset repente comitia dimisit, quod Tribunus plebis nescio quis fulmen sinistrum nuntiabat. *Idem.*

nistrum fulmen nuntiabat? Cum tua quod interest, nulla auspicia sunt; cum tuorum, tum sis religiosus. Quid? eumdem in septemviratu 88) nonne destituisti? Intervenit 89) enim. Quid metuisti? credo, ne salvo capite 90) negare non posses. Omnibus eum contumeliis onerasti, quem patris loco, si ulla pietas in te esset, colere debebas. Filiam ejus, sororem 91) tuam, ejecisti, alia conditione 92) quaesita, et ante perspecta. Non est satis. Probri insimulasti pudicissimam foeminam. Quid est, quod addi possit? Contentus eo non fuisti. Frequentissimo senatu Kalendis Januar. sedente patruo 93), hanc tibi esse cum Dolabella caussam odii dicere ausus es, quod ab eo sorori, et uxori tuae stuprum oblatum esse compperisses. Quis interpretari potest, impudentiorne, qui in senatu: an improbior, qui in Dolabellam: an impurior, qui patruo audiente: an crudelior, qui in illam miseram tam spurce, tam impie dixeris? Sed ad

88) *In septemviratu)* Cum dividendo militibus agro Campano, et Leontino septemviros, omisso patruo, praefecisti. Phil. II. et VIII. *Manut.*

89) *Intervenit)* Pecuniam petivit. Vide Turneb. Advers. IV. 11.

90) *Ne salvo capite)* Videtur reddere rationem cur patruum suum destituerit Antonius. Quia si eum Septemvirum creare voluisset, prius de restituendo patruo legem ferre debuisset: neque enim qui integri capitis et existimationis non erat ob damnationem, is poterat fieri Septemvir, aut ad ullum vel magistratum, vel sacerdotium promoveri. At metuebat Antonius, ne salvo patrui capite, id est patruo in integrum restituto, debitam ei pecuniam negare non posset. *Abram.*

91) *Sororem)* Patruelem.

92) *Alia conditione)* Ante repudium uxoris, circumspecta alia uxore, quam duceret: nimirum Fulvia. *Graev.*

93) *Sedente patruo)* C. Antonius forte Romae aderat, quamvis non esset lege restitutus: legibus inter arma civilia silentibus. *Ferratius.*

chirographa redeamus. Quae tua fuit cognitio 94)? Acta enim Caesaris pacis caussa confirmata sunt e senatu: quae quidem Caesar egisset, non ea, quae Caesarem egisse dixisset Antonius. Unde ista erumpunt? quo auctore proferuntur? Si sunt falsa, cur probantur? si vera, cur veneunt? At sic placuerat, ut ex Kalendis Juniis de Caesaris actis cum consilio cognosceretis. Quod fuit consilium? quem umquam advocasti? quas Kalendas Junias exspectasti? an eas, ad quas te, peragratis veteranorum coloniis, stipatum armis retulisti? O praeclaram illam persecutionem tuam mense Aprili, atque Majo, tum, cum etiam Capuam 95) coloniam deducere conatus es! Quemadmodum* illinc abieris, vel potius pene non abieris, scimus. Cui tu urbi minitaris. Utinam conere, ut aliquando illud *pene* tollatur! At quam nobilitata est tua illa peregrinatio! quid prandiorum apparatus, quid furiosam vinolentiam tuam proferam? Tua ista detrimenta sunt: illa nostra. Agrum Campanum, qui cum de vectigalibus eximebatur, ut militibus daretur, tamen inflixi magnum reipublicae vulnus putabamus: hunc tu compransoribus tuis, et collusoribus dividebas. Mimos dico et mimas, Patres conscripti, in agro Campano collocatos. Quid jam querar de agro Leontino? quandoquidem hae quondam arationes, Campana et Leontina, in populi Romani patrimonio grandi foenore et fructuosae ferebantur. Medico tria millia jugerum, quasi 96) te sanasset: rhetori duo, quasi disertum facere potuisset.

94) *Quae tua fuit cognitio)* Cur tu nova Caesaris acta profers? Ad te non pertinet ista cognitio. Cum consilio senatorum gnosci oportebat. Id enim placuerat. *Manutius.*

95) *Capuam)* Antonius, ut veteranorum animos sibi magis obligaret, Capuanorum agros illis assignare voluerat, et novam coloniam eo transcribere: eoque profectus erat, ut agros divideret: sed illi coloni veteres obstiterunt, necemque pene iutulerunt. Eam ob caussam Capuanis minitabatur. *Abram.*

* Vic. Man. *illam adieris ... pene non adieris.*

96) *Medico ... quasi)* Auctoritate codicis Vaticani Muretus edidit: *Medico tria millia jugerum : quid, si te sanum fecisset? Rhetori duo: quid si te disertum facere potuisset?* Quod equidem miror ab erudito Graevio fuisse praetermissum, cum ejus codicis auctoritatem, et Mureti editionem ab illo expressam ipse agnoverit et de Grute-

Sed ad iter, Italiamque redeamus. Deduxisti coloniam Casilinum, quo Caesar ante deduxerat. Consuluisti me per literas de Capua tu quidem: sed idem de Casilino respondissem: possesne, ubi colonia esset, eo coloniam novam jure deducere. Negavi, in eam coloniam, quae essent auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam jure deduci: colonos novos adscribi posse rescripsi. Tu autem insolentia elatus, omni auspiciorum jure turbato, Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, et aratrum 97) circumduceres: cujus quidem vomere portam Capuae pene perstrinxisti, ut florentis coloniae territorium minueretur. Ab hac religionum perturbatione advolas in M. Varronis, sanctissimi atque integerrimi viri, fundum Cassinatem. Quo jure? quo ore? Eodem, inquies, in haeredem L. Rubrii, quo in haeredem L. Turselii praedia, quo in reliquas innumerabiles possessiones.

ro, quod eam neglexerit, merito sit conquestus: *Non enim facile crediderit quisquam*, inquit Muretus, *quam multa* in Philippicis *mutila, quam multa temere addita, quam multa corrupta ac depravata legerentur in omnibus aliis libris, quae hujus ope expleta, refecta, sanata, et integritati suae restituta sunt. Librum autem ipsum credo equidem ante hos septingentos annos axaratum esse. Quod et ipsa literarum conformatio ostendit plerisque locis gemina ei quae in Pandectis Florentinis, et in Terentio Petri Bembi visitur: et scribendi ratio, quam* ὀρθογραφίαν *vocant, eadem plane quae in iis, quos modo nominnvi, libris, et praeterea in antiquissimo illo epistolarum Ciceronis, cujus exemplum adhinc triennium divulgavtt P. Victorius.* Parisiis prodiit Mureti editio, anno 1562. Titulus: *M. T. Ciceronis Philippicae, a M. Ant. Mureto ad optimum et vetustissimum exemplar tam multis locis emendatae, ut nunc primum editae videri queant.* Olivetus.

97) *Aratrum)* Vide, quae Turnebus de coloniis deducendis affert Advers. VI. 11.

Et, si ab hasta 98) valeat hasta, valeant tabulae, modo Caesari 99), non tuae: quibus debuisti, non quibus te liberavisti. Varronis quidem Cassinatem fundum quis veniisse dicit? quis hastam istius venditionis vidit? quis vocem praeconis audivit? Misisse te dicis Alexandriam 100), qui emeret a Caesare. Ipsum enim exspectare magnum fuit. Quis vero audivit umquam (nullius autem salus curae pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam esse detractam? Quod si etiam scripsit ad te Caesar, ut redderes: quid satis potest dici de tanta impudentia? Remove gladios parumper illos, quos videmus: jam intelliges, aliam caussam esse hastae Caesaris, aliam confidentiae, et temeritatis tuae. Non enim te dominus modo illis sedibus, sed quivis amicus, vicinus, hospes, procurator arcebit. At quam multos dies in ea villa turpissime est perbacchatus! Ab hora tertia bibebatur 1), ludebatur, vomebatur. O tecta ipsa misera, *quam dispari domino* 2)! quamquam quomodo iste dominus? sed tamen quam a dispari tenebantur! Studiorum enim suorum M. Varro voluit esse

98) *Et, si ab hasta)* Anticipatione Rhetorica eludit responsionem Antonii. Respondebis fortasse fundum Varronis, quod sequutus esset partes Pompejanas, subjectum fuisse hastae, et voci praeconis, a Caesare qui suorum inimicorum bona proscripsit, te autem emisse, et adeo jure possidere. Quem fundum, si tu ab hasta Caesaris emisit, concedo te jure possidere, et valere hastam debere confiteor. *Abram.*

99) *Modo Caesaris)* Jocatur in tabularum nomine, et ab auctionariis ad eas transit, in quibus pecunia ad aedem Opis deposita a Caesare patebat: quae si valerent, Antonius ejus a se dissipatae pecuniae rationem reddere cogeretur. *Manut.*

100) *Misisse dicis Alexandriam)* Alia responsio M. Antonii, quam tribus rationibus confutat, 1. Ironice, qua figura summam Antonii cupiditatem exagerat; quasi dicat: Adeone caecus avaritia et cupiditate rapiebaris, adeone bonis civium inhiabas, ut magnum tibi et difficile videretur exspectare, dum Caesar ad urbem accederet et inimicorum suorum bona subijceret publicae auctioni? *Abram.*

1) *Ab ora tertia bibebatur)* Cum hora nona initium esset coenae. *Man.*

2) *Quam dispari domino)* Vide lib. de Offic. I. 39.

illud, non libidinum diversorium. Quae in illa villa ante dicebantur? quae cogitabantur? quae literis mandabantur? jura populi Romani, monumenta majorum, omnis sapientiae ratio, omnisque doctrina. At vero, te inquilino (non enim domino) personabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino: madebant parietes: ingenui pueri cum meritoriis; scorta inter matres familias versabantur. Cassino salutatum veniebant, Aquino, Interamna: admissus est nemo. Jure id quidem. In homine enim turpissimo obsolefiebant dignitatis insignia. Cum inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet, obviam ei processit (ut est frequens municipium) magna sane multitudo. At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus. Stulte Aquinates: sed tamen in via habitabant. Quid Anagnini? qui cum essent devii, descenderant, ut istum, tamquam si esset consul, salutarent. Incredibile dictu: tamen inter omnes constabat, neminem esse resalutatum: praesertim cum duos secum Anagninos haberet, Mustelam, et Laconem: quorum alter gladiorum est princeps, alter poculorum. Quid ego illas istius minas, contumeliasque commemorem, quibus invectus est in Sidicinos, vexavit Puteolanos, quod C. Cassium, quod Brutos patronos adoptassent? magno quidem judicio, studio, benevolentia, caritate: non ut te, ut Basilum, vi et armis, et alios vestri similes, quos clientes nemo habere velit, non modo esse illorum cliens. Interea 3) dum tu abes, qui dies ille collegae tui fuit; cum illud, quod tu venerari so-

3) *Interea)* Post C. Caesari necem nescio quis in C. Marii nomen invasit, et rudem plebeculam concitavit in Senatum: plebesque, ut scribit Suetonius in Julio cap. 85. solidam columnam prope xx pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque PARENTI PATRIAE *Apud* eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Caesarem jurejurando distrahere perseveravit. Antonius uncum impegit illi pseudo Mario, cumque in vinculis jugalavit. Quo facto vocatus in odium multitudinis concitatae, in hoc rerum rumore discessit ex urbe, veteranorum colonias nuper a Caesare deductas obiturus, sive ut eorum animos sibi conciliaret, sive ut caput suum praesenti periculo multitudinisque furori subduceret. Sed absente Antonio, et colonias lustrante, Cum, ut dicitur Phil. I. serperet in-

lebas, bustum in foro evertit? qua re tibi nuntiata, ut constabat inter eos, qui una fuerunt, concidisti. Quid evenerit postea, nescio. Metum credo valuisse, et arma 4). Collegam quidem de caelo detraxisti; effecistique non tu quidem etiam nunc, ut sit similis tui, sed certe, ut dissimilis esset sui. Qui vero inde reditus Romam? quae perturbatio totius urbis? Memineramus Cinnam nimis potentem: Syllam postea dominantem; modo regnantem Caesarem videramus. Erant fortasse gladii, sed absconditi, nec ita multi. Ista vero quae, et quanta barbaria est? agmine quadrato cum gladiis sequuntur milites; scutorum lecticas portari videmus. Atque his quidem jam inveteratis, Patres conscripti, consuetudine obduruimus. Kalendis Juniis cum in senatum, ut erat constitutum, venire vellemus, metu perterriti repente diffugimus. At iste, qui senatu non egeret, neque desideravit quemquam, et potius discessu nostro laetatus est, statimque illa mirabilia facinora effecit. Qui chirographa Caesaris defendisset lucri sui caussa; is leges Caesaris, easque praeclaras, ut rempu-

urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius, iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant, et quotidie magis magisque perditi homines cum sui similibus servis, tectis ac templis urbis minarentur, talis animadversio fuit Dolabellae cum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros ac nefarios liberos, ut servos nonnullos in crucem egerit liberos de saxo Tarpejo dejecerit, talisque eversio illius execratae columnae, ut locum illum sternendum locarit, ne quod extaret columnae vestigium de quo epist. 17. et 18, lib. XIV. ad Atticum. *Abram.*

4) *Metum credo valuisse et arma)* Frigida exscusatio. Dolabellam videri vult non pecunia corruptum, sed metu et armis a republica bene gerenda deterritum, postquam Antonius ex illa sua peregrinatione stipatus armatis ad Urbem accessit. Non metus valuit, sed avaritia, ut aperte lib. XIV. ad Attic. epist. 22. *Idem.*

blicam concutere posset, evertit. Numerum annorum provinciis prorogavit 5): idemque, cum actorum Caesaris defensor esse deberet, et in publicis, et in privatis rebus acta Caesaris rescidit. In publicis, nihil est lege gravius: in privatis, firmissimum est testamentum. Leges alias sine promulgatione sustulit: alias,* ut tolleret, promulgavit. Testamentum irritum fecit: quod etiam infimis civibus semper obtentum est. Signa, tabulas, quas populo Caesar una cum hortis legavit, eas hic partim in hortos Pompeji 6) deportavit, partim in villam Scipionis 7). Est tu in Caesaris memoria diligens? tu illum amas mortuum? Quem is majorem honorem consequutus erat 8), quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium 9), flaminem? Est ergo flamen 10), ut Jovi, ut Marti, ut Quirino, sic divo Julio M. Antonius? Quid igitur cessas? cur non inaugurare? sume diem: vide, qui te

5) *Numerum annorum provinciis prorogavit)* Praetoriis annum, Consularibus biennium Caesar dederat, ut Phil I. Antonius lege tribunitia, ut in Phil V. ostenditur, Praetoriis biennium, Consularibus sexennium dedit. *Man.*

* Vict. Grut. *ut tolleres promulgatas, promulgavit.*

6) *In hortos Pompeji)* Suburbanos, quos tunc Antonius tenebat ab hasta emptos. *Idem.*

7) *In villam Scipionis)* In Tiburte, ipsam quoque ab hasta emptam, in qua septemdecim dies, quae in Ciceronem in senatu diceret commentatus est. Philipp. V. *Idem.*

8) *Quem is majorem honorem consequutus erat)* A senatu, Svetonius: *Ampliora humano fastigo sibi decerni passus est, Ferculum circensi pompa, templa, aras, simulacra juxta deos, pulvinar, flaminem, Lupercos.* Idem.

9) *Fastigium)* Tectum fastigiatum, quod solis templis imponebatur, cum aliarum aedium tecta esset plana, Graevis etiam ἀετωμα dicitur. Itaque cum Caesaris domui fastigium decerneretur, divini ei honores decernebantur, significabaturque Caesarem praesens Numem esse habendum, et ejus domum esse templum *Graevius.*

10) *Est ergo flamen)* Summa cum indignatione Antonium invadit, qui Caesari tam abjecte fuerat adulatus, ut etiam sacerdotium ejus honori dicatum ambiverit. Videtur autem Antonius id sacerdotium Caesare vivo petisse, atque etiam impetrasse; sed post necem Caesaris, quae priusquam Antonius flamen inaugurarettur, obtigerat, inaugurari noluisse. *Idem.*

inaugeret: collegae sumus; nemo negabit. O detestabilem hominem, sive quod tyranni sacerdos es, sive quod mortui! Quaero deinceps 11), num, hodiernus dies 12), qui sit, ignores. Nescis heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te ipsum autem ad populum tulisse, ut quintus praeterea dies Caesari tribueretur? Cur non sumus praetexstati 13)? cur honorem Caesari tua lege datum deseri patimur? an supplicationes addendo diem contaminari passus es; pulvinaria noluisti? Aut undique religionem tolle, aut usquequaque conserva. Quaeres, placeatne mihi pulvinar esse, fastigium, flaminem. Mihi vero nihil istorum placet. Sed tu, qui acta Caesais defendas, alia non cures? nisi forte vis fateri, te omnia quaestu tuo, non illius dignitate metiri? Quid ad haec tandem? exspecto enim eloquentiam tuam. Disertissimum cognovi avum tuum: at te etiam apertiorem 14) in dicendo. Ille numquam nudus est con-

11) *Quaero deinceps)* Legem tulerat Antonius, ut ad illos dies quatuor, quibus ludi Romani celebrabantur in Circo, quintus dies in honorem Caesaris adderetur, ejusque pulvinar et simulacrum cum ceteris Deorum simulacris in pompa ferretur. Sed post Caesaris necem Consul Antonius passus non est post quatuor dies ludorum Romanorum quicquam in honorem Caesaris addi, ejusque simulacrum tamquam numinis alicujus in pompa deferri. Ne tamen omnem mortui memoriam obliterasse videretur, Caesaris nomine supplicationem instituit: quod Cicero reprehendit, docetque religionem non tantum pulvinaribus et ludis, sed etiam indicta supplicatione violari. *Abram.*

12) *Hodiernus dies)* Oratio haec ita scripta est, quasi habita fuerit duodecimo Kalendas Octobris, postridie quam in ipsum absentem invectus fuerat Antonius: qui dies in Kalendario quod Manutii descripserunt, quintus ludorum Romanorum in Circo signatus est. *Idem.*

13) *Cur non sumus praetextati)* Nondum tributus erat ille dies Caesari; tributum postea veteres dierum fasti demonstrant. *Man.*

14) *Apertiorem)* Jocus ex ambiguo, quo carpit corporis nuditatem, cum perspicuitatem orationis laudare videatur. *Abram.*

cionatus: tuum hominis simplicis pectus vidimus 15). Respondebisne ad haec? aut omnino hiscere audebis? Ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui te respondere posse confidas? Sed praeterita omittamus. Hunc unum diem, hunc unum, inquam, hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, si potest. Cur armatorum corona senatus septus est? cur me tui satellites cum gladiis audiunt? cur valvae Concordiae non patent? cur homines omnium gentium maxime barbaros, Ityreos, cum sagittis deducis in forum? Praesidii sui caussa se facere dicit.

PERORATIO.

Nonne igitur millies perire est melius, quam in sua civitate sine armatorum praesidio non posse vivere? sed nullum est istuc, mihi crede, praesidium. Caritate et benevolentiam civium septum oportet esse, non armis. Eripiet, exstorquebit tibi ista populus Romanus, utinam salvis nobis! sed quoquo modo nobiscum egeris, dum istis consiliis uteris, non potest, mihi crede, esse diuturnus. Etenim ista tua minime avara conjux, quam ego sine contumelia describo, nimium debet diu populo Romano tertiam pensionem 16). Habet populus Romanus, ad quos gubernacula reipublicae deferat: qui ubicumque terrarum sunt, ibi est omne reipublicae praesidium, vel potius ipsa respublica, quae se adhus tantummodo ulta est, nondum recuperavit. Habet quidem certe respublica adolescentes nobilissimos, paratos defensores. Quam volent, illi cedant, otio consulentes, tamen a republica revocabuntur. Et nomen pacis dulce est, et ipsa res salutaris. Sed inter pacem et ser-

15) *Pectus vidimus)* Lupercus enim concionatus est. Supra. *Manut.*

16) *Tertiam pensionem)* Mortem tuam. cum duas jam persolverit, interfectis ejus viris P. Clodio, et C. Curione. *Idem.*

virtutem plurimum interest. Pax est tranquilla libertas: servitus malorum omnium postremum, non modo bello, sed morte etiam repellendum. Quod si se ipsos illi nostri liberatores e conspectu nostro abstulerunt: at exemplum facti reliquerunt. Illi quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium Brutus bello est persequutus: qui tum rex fuit, cum esse Romae regem liceret. Sp. Cassius, Sp. Melius, M. Manlius propter suspicionem regni appetendi sunt necati. Hi primi cum gladiis, non in regnum appetentem, sed in regnantem impetum fecerunt. Quod cum ipsum factum per se praeclarum est, atque divinum, tum expositum ad imitandum: praesertim cum illi eam gloriam consecuti sint, quae vix caelo capi posse videatur. Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror contemnendam. Recordare igitur illum, M. Antoni, diem, quo dictaturam sustulisti: pone ante oculos laetitiam senatus, populique Romani: confer cum nundinatione tua, tuorumque: tum intelliges, quantum inter laudem et luctum intersit. Sed nimirum, ut quidam, morbo aliquo et sensus stupore, suavitatem cibi non sentiunt: sic libidinosi, avari, facinorosi, verae laudis gustatum 17) non habent. Sed, si te laus allicere ad recte faciendum non potest, ne metus quidem a foedissimis factis potest avocare? Judicia non metuis. Si propter innocentiam, laudo: si propter vim, non intelligis, ei, qui isto modo judicia non timeat, quid timendum sit? Quod si non metuis viros fortes, egregiosque cives, quod a corpore tuo prohibentur armis; tui te, mihi crede, diutius non forent. Quae est autem vita, dies, et no-

17) *Gustatum*) Vulgo, *gustum*. Sed *gustatum* ex Vaticano ediderant Faernus. Muretus, Manutius, Lambinus. Quod hic fuit a Graevio annotatum. Nec vero *gustum* alicubi dixit Cicero, nisi fidem habeas editionibus non optimis. Certe *gustatum* dixit lib. de Oratore III. 25. De Natura Deor. II. 56. 63. De Senect. 15. *Olivetus*.

ctes timere a suis? nisi vero aut majoribus habes beneficiis obligatos, quam ille quosdam habuit ex iis, a quibus est interfectus: aut tu es ulla re cum eo comparandus. Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literae, cura, cogitatio, diligentia: res bello gesserat, quamvis reipublicae calamitosas, attamen magnas: multos annos regnare meditatus, magno labore, multis periculis, quod cogitarat, effecerat: muneribus, monumentis, congiariis, epulis, multitudinem imperitam lenierat: suos praemiis, adversarios clementiae specie devinxerat. Quid multa? attulerat jam liberae civitati partim metu, partim patientia, consuetudinem serviendi. Cum illo ego te dominandi cupiditatem conferre possum, ceteris vero rebus nullo modo comparandus es. Sed ex plurimis malis, quae ab illo reipublicae sunt inusta, hoc tamen boni est, quod didicit jam populus Romanus quantum cuique crederet, quibus se committeret, a quibus caveret. Haec non cogitas? nec intelligis satis esse viris fortibus didicisse, quam sit re pulchrum, beneficio gratum, fama gloriosum, tyrannum occidere? An, cum illum homines non tulerint, te ferent? Certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur, nec occasionis tarditas exspectabitur. Respice, quaeso, aliquando rempublicam, M. Antoni: quibus ortus sis, non quibuscum vivas, considera: mecum, ut voles, cum republica redi in gratiam. Sed de te tu ipse videris: ego de me ipso profitebor. Defendi rempublicam adolescens, non deseram senex: contempsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas civitatis potest: ut aliquando dolor populi Romani pariat, quod jamdiu parturit. Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari: quanto verius nunc negabo seni? Mihi vero, Patres conscripti, jam etiam optanda mors est, perfuncto rebus iis, quas adeptus sum, quasque gessi. Duo modo hac opto: unum, ut moriens populum Romanum liberum relinquam; hoc mihi majus a diis immortalibus dari nihil potest: alterum, ut ita cuique eveniat, ut de republica quisque mereatur.

IN MARCUM ANTONIUM

PHILIPPICA III.

ARGUMENTUM.

POst Caesaris necem decrevit senatus consulares provincias, Antonio Macedoniam, Dolabellae Syriam. Sed Antonius, occasionem quaerens reipublicae perturbandae, Galliam Citeriorem sibi mandari cupiebat. Quod cum a senatu non impetraret, qui eam provinciam D. Bruto, jam antea ab ipso Caesare datam, post ejus interitum confirmaverat, tulit ad populum, et obtinuit, ut Citerionem Galliam regeret: unde se cum exercitu ad urbem, Caesaris exemplo, facile venturum sperabat. Nam Macedonia, terra marique disjuncta, novis consiliis parum opportuna videbatur. Hac mente Brundusium ivit ad VII. Id. Oct. profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere, et in cervicibus bonorum collocare. Redeuntem a Brundusio Antonium legio Martia reliquit. Ille, tribus legionibus Tiburi collocatis, urbem est ingressus: vocato in Capitolium senatu, cum de abalienata legione Quarta, et Octaviani copiis adjuncta, nuncius ei esset allatus, propere senatum dimisit, et ad occupandam Galliam Citeriorem, quam D. Brutus obtinebat, cum duabus legionibus magna celeritate contendit. Interea cum novi tribuni pl. qui IV. Id. Dec. magistratum inibant, XIII. Kalend. Jan. senatum convocassent, deque praesidio consulum designatorum retulissent, ut senatum tuto Kalendis Januariis habere possent, Cicero, laudata tribunorum mente, totam rempublicam complexus, haec censuit: Res eas, quas Caesar adolescens privato consilio gesserat, aut gereret, publica confirmandas auctoritate; legiones, quae, relicto Antonio, ad rempublicam defendendam se contulerant, laudandas, eisque spem praemiorum decreto senatus ostendendam; D. Brutum, qui se irruenti in Galliam Antonio objecerat, ipsamque Galliam, quae resisteret, debita laude ornandam; provincias ab iisdem, qui eas obtinerent, obtinendas esse ex lege Julia,

quoad ex S. C. cuique eorum successum esset; iisque de rebus ad senatum a novis consulibus primo quoque tempore esse referendum. Assensit senatus, et in ejus sententiam senatus consultum factum est. *Manutius.*

Habita est haec oratio XIII. Kal. Jan. profecto in Galliam Antonio, ut cognoscitur ex Philipp. VI. et epist. *Lupus, lib.* XI. *Famil. et ep. Liberalibus, lib.* XII.

Partes Orationis sunt Exordium, Confirmatio, et Peroratio.

SErius omnino, Patres Conscripti, quam tempus reipublicae postulabat, aliquando tamen convocati sumus: quod flagitabam equidem quotidie: quippe cum bellum nefarium contra aras et focos, contra vitam, fortunasque nostras, ab homine profligato ac perdito non comparari, sed geri jam viderem. Exspectantur Kalendae Januarii, quas non exspectat Antonius, qui in provinciam D. Bruti, summi et singularis viri, cum exercitu impetum facere conatur: ex qua se instructum, et paratum, ad urbem venturum esse minitatur. Quae est igitur exspectatio? aut quae vel minimi dilatio temporis? Quamquam enim adsunt Kalendae Januarii, tamen breve tempus longum est imparatis. Dies enim affert, et hora potius, nisi provisum est, magnas saepe clades. Certus autem dies non ut Kalendae Januarii fuissent eo die, quo primum ex urbe fugit Antonius; aut hae non esseut exspectatae; bellum jam nullum haberemus. Auctoritate enim senatus, consensusque populi Romani facile hominis amentis fregissemus audaciam. Quod confido equidem consules designatos, simul ac magistratum inierint, esse facturos 1). Sunt enim optimo animo, summo consilio, singulari concordia. Mea autem festinatio non victoriae solum avida est, sed etiam celeritatis. Quo enim usque tantum bellum, tam crudele, tam nefarium privatis consiliis 2) propulsabitur? cur non quamprimum publica accedit auctoritas?

CONTENTIO.

C. Caesar adolescens, pene potius puer 3), incredibili ac divina quadam mente atque virtute, tum, cum maxime furor arderet Antonii, cumque ejus a Brundusio crudelis et pestifer reditus timeretur, nec postulantibus, nec cogitantibus, nec optantibus quidem nobis, quia fieri posse non videbatur, firmissimum exercitum ex invicto genere veteranorum militum comparavit, patrimoniumque suum effudit. Quamquam non sum usus eo verbo, quo debui: non enim effudit, sed in salute reipublicae collocavit. Cui quamquam gratia referri tanta non potest, quanta debetur: habenda tamen tanta est, quantam maximam animi nostri capere possunt. Quis enim est tam ignarus rerum, tam nihil de republica cogitans, qui hoc non intelligat; si M. Antonius a Brundusio cum iis copiis, quas se habiturum putabat, Romam, ut minabatur, venire potuisset, nullum genus eum crudelitatis praeteriturum fuisse? quippe qui in hospitis tectis Brundusii fortissimos viros, cives optimos, jugulari jusserit: quorum, ante pedes ejus, morientium sanguine os uxoris respersum esse constabat. Hac ille crudelitate imbutus, cum multo bonis omnibus veniret iratior, quam illis fuerat, quos trucidarat: cui tandem nostrum, aut cui omnino bono pepercisset? Qua peste privato consilio rempublicam (nec enim fieri potuit aliter) Caesar liberavit. Qui nisi in hac republica natus esset, rempublicam scelere Antonii nullam haberemus. Sic enim perspicio, sic judicio, nisi unus adolescens illius furentis impetus, crudelissimosque conatus cohibuisset, rempublicam funditus interituram fuisse. Cui quidem hodierno die, Patres conscripti (nunc enim primum

1) *Facturos)* Relaturos esse ad Senatum, ut hostis judicetur Antonius, et illi bellum indicatur. *Ferratius.*

2) *Privatis consiliis)* Caesaris Octaviani, atque etiam D. Bruti. *Manutius,* Vide Fam. XII. 7.

3) *Pene potius puer)* Annos natus xix. ut scripsit Vellejus, ad remp. defendendam, Antoniique conatus reprimendos Octavianus accessit. *Idem.*

ita convenimus, ut illius beneficio possemus, quae sentiremus, libere dicere) tribuenda est auctoritas, ut rempublicam non modo a se susceptam, sed etiam a nobis commendatam possit defendere. Nec vero de legione Martia (quoniam longo intervallo loqui nobis de republica licet) sileri potest. Quis enim unus fortior, quis amicior unquam reipublicae fuit, quam legio Martia universa? quae cum hostem populi Romani M. Antonium judicasset, comes esse ejus amentiae noluit: reliquit consulem; quod profecto non fecisset: si eum consulem judicasset, quem nihil aliud agere, nihil moliri, nisi caedem civium atque interitum civitatis, videret. Atque ea legio consedit Albae. Quam potuit urbem eligere, aut opportuniorem ad res gerendas, aut fideliorem, aut fortiorum virorum, aut amicorum populo Romano civium? Hujusce legionis virtutem imitata quarta legio, duce L. Egnatulejo quaestore, cive optimo et fortissimo, C. Caesaris auctoritatem atque exercitum persequuta est, Faciendum est igitur nobis, Patres conscripti, ut ea quae sua sponte clarissimus adolescens atque omnium praestantissimus gessit, et gerit, haec auctoritate nostra comprobentur: veteranorumque, fortissimorum virorum, tum legionis Martiae, quartaeque mirabilis consensus ad rempublicam recuperandam, laude et testimonio nostro confirmetur: eorumque commoda, honores, praemia, cum consules designati magistratum inierint, curae nobis fore, hodierno die spondeamus. Atque ea quidem, quae dixi de Caesare, deque ejus exercitu, jamdiu nota sunt nobis. Virtute enim admirabili Caesaris, constantiaque militum veteranorum, legionumque earum optimo judicio, quae auctoritatem nostram, libertatem populi Romani, virtutem C. Caesaris sequutae sunt, a cervicibus nostris est depulsus Antonius. Sed, ut dixi, haec superiora: hoc vero recens edictum D. Bruti 4), quod paullo an-

4) *Recens edictum D. Bruti)* Cujus etiam mentio fit ep. 6. lib. XI. Fam. *Idem.*

te propositum est, certe silentio non potest praeteriri. Pollicetur enim, se provinciam Galliam retenturum in senatus populique Romani potestate. O civem natum reipublicae, memorem sui nominis, imitatoremque majorum! Neque enim, Tarquinio exspulso, majoribus nostris tam fuit optata libertas, quam est, repulso Antonio, retinenda nobis. Illi regibus parere jam a condita urbe didicerant: nos post reges exactos servitutis oblivio coeperat. Atque ille Tarquinius, quem majores nostri non tulerunt, non crudelis, non impius, sed superbus habitus est, et dictus. Quod nos vitium in privatis saepe tulimus, id majores nostri ne in rege quidem ferre potuerunt. L. Brutus regem superbum non tulit: Decimus sceleratum atque impium regnare patietur? Quid Tarquinius tale, qualia innumerabilia et fecit; et facit Antonius? Senatum etiam reges habebant. nec tamen, ut Antonio senatum habenti 5), in consilio re-

5) *Antonio senatum habenti)* Nonnullis videbitur, atque haud scio an multis, esse erratum in hac voce *habenti*, et scribendum fuisse, ut Lambinus corrigebat, *habente*, cum sit casus, quem Grammatici vocant absolutum, atque hoc velit orator, in consilio regis non stetisse barbaros armatos, ut in curia stabant, *habente* senatum Antonio. Fateor ita potuisse Ciceronem scribere, sic tamen ut negem, pravum esse quod editum est. Hic enim *Antonio* non est sexti casus, sed tertii. Opportune animadvertit Fr. Sanctius, *Minerv.* II. 4. nullam esse orationem, cui constructae atque perfectae, dativus supervenire non possit, designans personam, ad quam id spectet, quod oratione exsprimitur. Sic, *Non omnibus dormio, Mihi peccat*, et similia. *Olivet*.

gis versabuntur barbari armati. Servabant auspicia reges, quae hic consul, augurque neglexit: neque solum legibus contra auspicia ferendis, sed etiam collega una ferente, eo, quem ipse ementitis auspiciis vitiosum 6) fecerat. Quis autem rex umquam fuit tam insignite impudens, ut haberet omnia commoda, beneficia, jura regni venalia? Quam hic immunitatem, quam civitatem, quod praemium, non vel singulis hominibus, vel civitatibus, vel universis provinciis vendidit? Nihil humile de Tarquinio, nihil sordidum accepimus. At vero hujus domi inter quasilla 7) pendebatur aurum, numerabatur pecunia: una in domo omnes, quorum intererat, totum imperium populi Romani nundinabantur. Supplicia vero in cives Romanos nulla Tarquinii accepimus. At hic et Suessae jugulavit eos, quos in custodiam dederat, et Brundusii trecentos fortissimos viros, civesque optimos trucidavit. Postremo Tarquinius pro populo Ro-

6) *Ementitis auspiciis vitiosum)* Vide Philipp. II. cap. 33.

7) *Quasilla)* Cum ostendere vellet, Antonium usque eo sordidum esse, ut omnium rerum publicarum domesticum mercatum institueret, eique Fulviam uxorem praeficeret, ut ejus sordes non modo re, sed etiam verbo exsprimeret, *inter quasilla* dixit: quo quid sordidius? *Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii. Talassionem enim* quasillum *vocabant: qui alio modo appellatur colathus, vas utique lanificiis aptum* Haec Sex. Pompejus: at Priscianus lib. III. *Pauca inveniuntur diminutiva, quae non servent genera primitivorum: ut haec rana, hic ranunculus: hic qualus, hoc quasillum.* Quod si cui magis arriserit, *inter quasillos appendebatur,* non pugnabo: praesertim cum et apud Catonem semper hoc vocabulum virile sit. *Ferratius.*

mano bellum gerebat tum, cum est exspulsus: Antonius contra populum Romanum exercitum adducebat tum, cum a legionibus relictus, nomen Caesaris exercitumque pertimuit, neglectisque sacrificiis 8) solemnibus, ante lucem vota ea, quae numquam solveret 9) nuncupavit: et hoc tempore in provinciam populi Romani conatur invadere. Majus igitur a Decimo Bruto beneficium populus Romanus et habet, et exspectat, quam majores nostri acceperunt a L. Bruto, principe hujus maxime conservandi generis, et nominis. Cum autem omnis servitus est misera: tum vero intolerabile est servire impuro, impudico, effoeminato: numquam, ne in metu quidem, sobrio. Hunc igitur qui Gallia prohibet, privato praesertim consilio, judicat, verissimeque judicat, non esse consulem. Faciendum est igitur nobis, Patres conscripti, ut D. Bruti privatum consilium auctoritate publica comprobemus. Nec vero M. Antonium consulem post Lupercalia putare debuistis. Quo enim ille die, populo Romano inspectante, nudus, unctus, ebrius est concionatus, et id egit, ut collegae diadema imponeret: eo die se non modo consulatu, sed etiam libertate abdicavit. Esset enim ipsi certe statim serviendum, si Caesar ab eo regni insigne accipere voluisset. Hunc igitur ego consulem, hunc civem Romanum, hunc liberum, hunc denique hominem putem, qui foedo illo et flagitioso die, et quid pati, Caesare vivo, posset, et quid, eo mortuo, consequi ipse cuperet, ostendit? Nec vero de virtute, constantia, et gravitate provinciae Galliae taceri potest. Est enim ille flos Italiae, illud firmamentum imperii populi Romani, illud ornamentum dignitatis. Tantus autem est consensus municipiorum, coloniarumque

8) *Sacrificiis)* Consules in provincias profecturi, et sacrificia prius faciebant, et vota nuncupabant; quae, cum rediissent, bene gesta republica, solvebant. *Manut.*

9) *Quae numquam solveret)* Non enim ei quae cogitat, prospere succedent. *Idem.*

provinciae Galliae, ut omnes ad auctoritatem hujus ordinis, majestatemque populi Romani defendendam conspirasse videantur. Quamobrem, Tribuni plebis, quamquam vos nihil aliud, nisi de praesidio, ut senatum tuto consules Kalend. Januariis habere possent, retulistis: tamen mihi videmini magno consilio, atque optima mente potestatem nobis de tota republica fecisse dicendi. Cum enim tuto senatum haberi sine praesidio non posse judicavistis: illud tum statuistis etiam, intra muros Antonii scelus, audaciamque versari. Quamobrem omnia, mea sententia, complectar, vobis, ut intelligo, non invitis, ut et praestantissimis ducibus a nobis detur auctoritas, et fortissimis militibus spes ostendatur praemiorum: et judicetur non verbo, sed re, non modo non consul, sed etiam hostis Antonius. Nam, si ille consul, fustuarium meruerunt legiones, quae consulem reliquerunt; sceleratus Caesar, Brutus nefarius, qui contra consulem privato consilio exercitus comparaverunt. Sin autem militibus exsquirendi sunt honores novi, propter eorum divinum, atque immortale meritum: ducibus autem ne referri quidem potest gratia: quis est, qui eum hostem non existimet, quem qui armis persequuntur, conservatores reipublicae judicantur? At quam contumeliosus in edictis? quam barbarus? quam rudis? Primum in Caesarem ut maledicta congessit, deprompta ex recordatione impudicitiae, et stuprorum suorum? Quis enim hoc adolescente castior? quis modestior? quod in juventute habemus illustrius exemplum veteris sanctitatis? quis autem illo maledico impurior? Ignobilitatem objicit C. Caesaris filio, cujus etiam natura pater 10), si vita suppeditasset, consul factus esset. Aricina 11) mater. Trallianam 12), aut Ephesiam putes dicere. Videte,

10) *Cujus natura pater)* Adoptatus fuerat ab avo materno C. Caesare: Pater autem illius Cn. Octavius decedens ex Macedonia, quam post praeturam administraverat, ad petendum Consulatum, mortuus fuerat. Sueto. *Idem*.

11) *Aricina)* M. Attius Balbus Attiae pater ex Julia erat Aricinus genere, licet non Ariciae natus Aricia porro distabat ab Urbe ad decimum lapidem. *M. Ant. Ferr.*

12) *Trallianam)* Trallis, urbs Lydiae: Ephesus in Jonia *Id.*

quam despiciamur omnes, qui sumus e municipiis, id est, omnes plane. Quotus enim quisque non est? quod autem municipium non contemnit is, qui Aricinum tantopere despicit, vetustate antiquissimum, jure foederatum, propinquitate pene finitimum, splendore municipium honestissimum? Hinc Voconiae 13), hinc Scatiniae leges: hinc multae sellae curules, et patrum memoria, et nostra: hinc equites Romani, lautissimi, et plurimi. Sed si Aricinam uxorem non probas, cur probas Tusculanam 14)? Quamquam hujus sanctissimae foeminae atque optimae pater M. Attius Balbus, in primis honestus, praetorius fuit: tuae conjugis, bonae foeminae, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter haesitantiam linguae, stuporemque cordis 15), cognomen ex contumelia traxerit. At avus nobilis. Tuditanus 16) nempe ille, ille qui cum palla et cothurnis nummos populo de Rostris spargere solebat. Vellem hanc contemptionem pecuniae suis reliquisset: a) haberetis nobilitatem generis gloriosam. Qui autem b) evenit, ut tibi Aricina natus 17) ignobilis videatur, cum tu eodem ma-

13) *Voconiae)* Voconius et Scatinius Tribuni plebis, legibus quas tulerunt celebres, erant Aricini. *Idem.*

14) *Tusculanam)* Quam tu duxisti, M. Fadii, libertini hominis filiam. Vide Philipp. 2. *Manutius.*

15) *Qui propter haesitantiam linguae stuporemque cordis)* Bambalio dictus απο τȣ βαμβαλειν quod est, τοῖς χειλεσι τρεμειν, et Βαμβαλον Phryges pudendam corporis partem vocant. Quae legimus apud Hesychium. *Idem.*
Nimirum Bambalio est Balbus, homo haesitantis linguae ψελλιστης: *Graev.*

16) *Tuditanus)* De quo Valerius Max. VII. 8.

a) Lamb. Grut. *Habetis.*

b) Man. Lamb. *convenit*

17) *Aricinia natus)* Vulgo *Julia natus*. Ita plane scriptum est in optimo libro, cujus auctoritas apud me quidem longe plurimum valet. Neque tamen orationem ullam dispicere possum, qua hanc scripturam tuear. Octavianus enim, de cujus nobilitate hic agitur, non Juliam, sed Attiam, ut notum est matrem habuit. Itaque aut *Juliae nepos*, aut ut Ferrario visum est, *Juliae natus*, aut, quod mihi aliquando in mentem venerat, *Julia prognatus* legendum videretur. Verum enim vero totam rem ac-

terno genere soleas gloriari? Quae porro amentia est, eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cu-

curatius consideranti ita optime et facillime purgari videtur locus hic posse, si pro *natus* legamus *nata*. Quo autem argumento movear. ut ita credam, ex his quae subjiciam intelligetur. Octaviado ignobilitatem objecerat Antonius. Eam Cicero modis omnibus removere conatur: atque ostendere, Octavianum neque paterna, neque materna stirpe ignobilem esse. Ad paternam quod attinet; patres Octavianus habuit duos, natura C. Octavium, adoptione Caesarem. Ab hoc quidem posteriore ignobilis haberi non poterat. Quid enim Caesare nobilius? Itaque hoc primo argumento Cicero utitur: idque, quia satis per se notum erat, uno verbo concludit, cum ait: *Ignobilitatem objicit C. Caesaris filio*, Sed et priorem illum nobilem fuisse confirmat ex eo; quod, si vita suppeditasset, consul erat futurus. Quod et Suetonius testatur his verbis, *Decedens Macedonia, prius quam confiteri se candidatum consulatus posset, morte obiit repentina.* Inde transit Cicero ad matrem Octaviani, eamque nullo modo ignobilem fuisse confirmat. Exagitaverat eam Antonius, primum ut Aricinam. Hoc repellit Cicero primum ita, ut municipium illud honestissimum esse, semperque fuisse doceat, neque ulla re inferius Tusculo, unde ipse Antonius uxorem habuerit Fadiam. Ad postremum etiam addit, L. Philippum, et C. Marcellum, clarissimos viros, illum Aricinam uxorem, hunc Aricina natam habere. Ac ne quis putaret Attiam in municipio suo ignobilem fuisse, docet, eam quoque utraque stirpe nobilem esse. Natam enim patre quidem, non Bambilione quopiam, aut divisore, sed M. Attio Balbo, homine praetorio: matre vero Julia, C. Julii Caesaris sorore, id est, ex eadem gente, ex qua matrem suam esse gloriaretur Antonius. Addit et alia, sed quae necesse non sit persequi: hic enim tantum docere volui, cum de Attia hic agatur, *nata* non *natus*. legendum videri. *Muret.* Non video caussam, cur rejiciamus, quod in pluribus libris legimus, *ut is tibi Aricina natus ignobilis videatur.* M. Antonius dixerat *Aricina mater*, ut clare Servius ad V. Aeneid. istum versum.

Alter Atis, genus unde Atii duxere Latini:
observat: *Propter Attiam dicit matrem Augusti, de qua Antonius dicit, Aricina mater*, quod hausit ex hoc istius orationis capite Servius. Cicero dicit, Licet sit mater Octaviani Aricina (quamvis vere non fuerit Aricina, sed paternum tantum Atiae genus sit Aricinum) cur tamen tibi is, qui ex hac Aricina, ut tu ais, natus est, igno-

jus pater Numitoriam Fregellanam proditoris filiam; habuerit uxorem: ipse ex libertini filia susceperit liberos? Sed hoc clarissimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam uxorem, C. Marcellus, qui Aricinae filiam: quos certe scio dignitatis optimarum foeminarum non poenitere. Idem etiam Q.Ciceronem, fratris mei filium, compellat edicto 18), nec sentit amens, commendationem esse compellationem suam. Quid enim accidere huic adolescenti poluit optatius, quam cognosci ab hominibus, Caesaris consiliorum esse socium, Antonii furoris inimicum? At etiam gladiator ausus est scribere, hunc de patris, et patrui parricidio cogitasse. O admirabilem impudentiam, audaciam, temeritatem! in eum adolescentem haec scribere audere, quem ego et frater meus, propter ejus suavissimos, atque optimos mores, praestantissimumque ingenium, certatim amamus, omnibusque horis, oculis, auribus complexu tenemus? Nam me iisdem edictis nescit, laedat, an laudet. Cum idem supplicium minatur optimis civibus, quod ego de sceleratissimis et pessimis sumpserim, laudere videtur, quasi imitari velit. Cum autem illam pulcherrimi facti memoriam refricat: tum a sui similibus invidiam aliquam in me commoveri putat. Sed ipse quid fecit? Cum tot edicta proposuisset, edixit, ut adesset senatus frequens a. d. VIII. Kalendas Decembris; eo die ipse non affuit. At quomodo edixit; haec sunt, opinor, verba in extremo: *Si quis non affuerit, hunc omnes existimare poterunt, et interitus mei, et perditissimorum consiliorum auctorem fuisse*. Quae sunt perdita consilia? an ea, quae pertinent ad libertatem populi Romani recuperandam? quorum consiliorum Caesari me auctorem, et hortatorem, et esse, et fuisse fateor. Quamquam ille non eguit consilio cujusquam: sed tamen currentem, ut dicitur, incitavi.

bilis videatur; cum tuum maternum genus sit ejusdem originis, quae est hujus Aricinae, nimirum Julium? Sequentia lectionem istam asserunt: *L. Philippus qui habet uxorem Aricinam*, quae est mater Octaviani, *et C. Marcello, qui Aricinae filiam*, quae est Octaviani soror. Ut non videam cur ita hic haesitarent viri docti. *Graevius*. Hic a ceteris omnibus, ducet uno Graevio, discessi. *Olivet.*

18) *Compellat edicto)* Carpit eum, et vituperat *Manut.*

Nam interitus quidem tui quis bonus non esset auctor, cum in eo salus et vita optimi cujusque, et libertas populi Romani, dignitasque consisteret? Sed cum tam atroci edicto nos concitavisset, cur ipse non affuit? num putatis aliqua re tristi ac severa? Vino, atque epulis retentus est: si epulae potius, quam popinae, nominandae sunt. Diem edicti obire neglexit: in ante diem iv. Kal. Dec. distulit. Adesse in Capitolio jussit: quod in templum ipse nescio qua, per Gallorum cuniculum 19) adscendit. Convenerunt corrogati, et quidem ampli quidam homines, sed immemores dignitatis suae. Is enim erat dies, ea fama, is, qui senatum vocarat, ut turpe senatori esset, nihil timere. Ad eos tamen ipsos, qui convenerant, ne verbum quidem ausus est facere de Caesare, cum de eo constituisset ad senatum referre. Scriptam attulerat consularis quidam sententiam. Quid est aliud de eo referre non audere, qui contra se consulem exercitum duceret, nisi seipsum hostem judicare? Necesse enim erat alterutrum esse hostem: nec poterat aliter de adversariis ducibus judicari. Si igitur C. Caesar, hosti[illegible]r consul nihil refert ad senatum? sin ille a senatu notandus non fuit; quid potest dicere, quin, cum de illo tacuerit, se hostem esse confessus sit? Quem in edictis Spartacum appellat, hunc in senatu ne improbum quidem dicere audet. At in rebus tristissimis quantos exscitat risus? Sententiolas edicti cujusdam memoriae mandavi, quas videtur ille paracutas putare: ego autem, qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni. *Nulla contumelia est, quam fecit dignus* 20). Primum

19) *Per Gallorum cuniculum)* Occulte quasi per Gallorum cuniculum, cum in Capitolium noctu per cuniculum ascendentes proditi sunt ab anseribus. *Idem.* Gallorum, ut videtur, *cuniculum* appellat meatum, per quam Galli in Capitolium introierant, cum sunt a Manlio deturbati. Rem narrat Livius lib. v. cap. 47. *Anonym.*

20) *Nulla contumelia est, quam facit dignus)* M. Antonii Triumviri sententia, quam reprehendit Cicero, quid significet, curve illam Cicero reprehenderit, alterum jam saeculum agitur, ex quo in quaestione fuit. Vexillum errandi, inquit J. F. Cronovius, omnibus, sustulit Quintilianus. lib. ix. Institut cap. 3. Deinde postquam recensuit Hadriani Cardinalis Frasmi, Jul. Scaligeri, Camerarii, Turnebi, Rami, Mureti, Barrienti,

quid est, *dignus*? nam etiam malo digni multi, sicut ipse. An quam facit is, qui cum dignitate est? quae autem potest esse major? Quid est porro, *facere contumeliam*? quis sic loquitur? Deinde: *Nec timor, quem denuntiat inimicus*. Quid ergo? ab amico timor denuntiari solet? Horum similia deinceps. Nonne satius est mutum esse, quam quod nemo intelligat, dicere? En, cur magister ejus, ex oratore arator factus, possideat in agro publico populi Romani campi Leontini duo millia jugerum immunia, ut hominem stultum magis etiam infatuet mercede publica. Sed haec leviora fortasse. Illud quaero, cur tam subito mansuetus in senatu fuerit, cum in edictis tam fuisset ferus. Quid autem attinuerit, L. Cassio 21), tribuno plebis fortissimo et constantissimo civi, mortem denuntiare, si in senatum venisset: D. Carfulenum, bene de republica sentientem, e senatu vi et minis mortis exspellere: Tib. Canutium, a quo erat honestissimis contentionibus et saepe, et jure vexatus, non templo solum, verum etiam aditu prohibere Capitolii. Cui senatus-consulto ne intercederent, verebatur? De supplicatione, credo, M. Lepidi, clarissimi viri. Atque id erat periculum, de cujus honore exstraordinario 22) quotidie aliquid cogitabamus, ne ejus usitatus honos impediretur. Ac, ne sine caussa videretur edixisse, ut senatus adesset, cum de republica relaturus fuisset, allato nuntio de legione quarta, mente concidit; et fugere festinans, S. C. de supplicatione 23) per discessionem 24) fecit, cum id factum esset antea numquam. Quae vero profectio postea? quod iter paludati? quae vitatio oculorum, lucis, urbis, fori? quam misera fuga? quam

Strebaei, Gisanii, Scip. Gentilis, Sessotii, Scioppii, Salmasii de isto loco sententias, suam subjicit. Quae omnia, si eo animo, es lege apud ipsum, *Obser.* lib. III. cap. 8.

21) *L. Cassio*) Fratri ejus Cassii, qui Caesarem occiderat, epist. 2. lib. XII. Famil. et epist. 2. lib. XIV. ad Attic. *Manut.*

22) *De cujus honore extraordinario*) Vere dicit: nam postea Lepidum ornatum esse summis honoribus a senatu indicat epistola ad eum, lib. X. Fam. *Idem.*

23) *De supplicatione*) Lepidi.

24) *Per discessionem*) Serius enim res confecta esset, si ut mos erat, singuli Senatores sententiam dixissent. *Id.*

foeda? quam turpis? Praeclara tamen senatus-consulta illo ipso die, vespertina 25): provinciarum religiosa sortitio: divina vero opportunitas 26), ut, quae cuique apta esset, ea cuique obveniret. Praeclare igitur facitis, Tribuni plebis, qui de praesidio consulum 27), senatusque referatis: meritoque vestro maximas vobis gratias omnes et agere, et habere debemus. Qui enim carere metu et periculo possumus in tanta hominum cupiditate et audacia? Ille autem homo afflictus, et perditus, quae de se exspectat judicia graviora, quam amicorum suorum? Familiarissimus ejus, mihi homo conjunctus, L. Lentulus, et P. Naso, omni carens cupiditate, nullam se habere provinciam, nullam Antonii sortitionem fuisse judicaverunt. Quod idem fecit L. Philippus, vir patre, avo, majoribus suis dignissimus. In eadem sententia fuit homo summa integritate atque innocentia M. Turranius. Idem fecit Sp. Oppius. Ipsi etiam, qui, amicitiam M. Antonii veriti, plus ei tribuerunt, quam fortasse vellent, M. Piso, meus necessarius, et vir, et civis egregius, parique innocentia M. Vehilius, senatus auctoritati se obtemperaturos esse dixerunt. Quid ego de L. Cinna loquar? cujus spectata multis magnisque rebus singularis integritas minus admirabilem fecit hujus honestissimi facti gloriam: qui omnino provinciam neglexit: quam item magno animo et constanti C. Cestius repudiavit. Qui sunt igitur reliqui, quos sors divina 28) delectet? L. Antonius, et M. Antonius. O felicem utrumque! nihil enim maluerunt. C. Antonius Macedoniam. Hunc quoque felicem! hanc enim semper habebat in ore provinciam. C. Clavisius Africam. Nihil felicius. Modo enim ex Africa decesserat, et quasi divinans se rediturum, duos legatos Uticae reliquerat. Deinde M. Iccius Siciliam, Q. Cassius Hispaniam. Non habeo,

25) *Vespertina*) S. C. ante ortum, aut post occasum solis facta, rata non fuisse docet M. Varro apud Gellium. *Ferrat.*

26) *Divina vero opportunitas*) Jocatur: id est minime divina, sed vitio et arte facta, ut, quae cuique apta esset, ea cuique obveniret. *Manut.*

27) *Consulum*) Designatorum.

28) *Sors divina*) Et hic jocatur in sortem vitio fact. *Man.*

quid suspicer. Duarum credo provinciarum sortes minus divinas fuisse. O C. Caesar, (adolescentem appello) quam tu salutem reipublicae attulisti? quam improvisam? quam repentinam? Qui enim haec fugiens fecerit, quid faceret insequens? Etenim in concione dixerat, se custodem fore urbis: usque ad Kalendas Majas ad urbem exercitum habiturum. O praeclarum custodem ovium (ut ajunt) lupum! Custosne urbis, an direptor et vexator esset Antonius? Et quidem se introiturum in urbem dixit, exiturumque cum vellet. Quid illud? nonne audiente populo, sedens pro aede Castoris, dixit, nisi qui vicisset, victurum neminem? Hodierno die primum, Patres conscripti, longo intervallo in possessionem libertatis pedem ponimus: cujus quidem ego, quoad potui, non modo defensor, sed etiam conservator fui. Cum autem id facere non possem, quievi: nec abjecte, nec sine aliqua dignitate, casum illum temporum et dolorem tuli. Hanc vero teterrimam belluam quis ferre posset, aut quomodo? Quid est in Antonio, praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? Ex his totus conglutinatus est: nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum.

PERORATIO.

Quapropter, quoniam res in id discrimen adducta est, utrum ille poenas reipublicae luat an nos serviamus: aliquando, per deos immortales! Patres conscripti, patrium animum virtutemque capiamus, ut aut libertatem propriam Romani et generis, et nominis recuperemus, aut mortem servituti anteponamus. Multa, quae in libera civitate ferenda non essent, tulimus et perpessi sumus: alii spe recuperandae libertatis, alii vivendi nimia cupiditate. Sed, si illa tulimus, quae nos necessitas ferre coegit, quae vis quaedam pene fatalis: quae tamen ipsa non tulimus 29): etiamne hujus impuri latronis feremus teterrimum, crudelissimumque dominatum? quid hic faciet, si potuerit, iratus, qui cum succensere nemini posset 30), omnibus bonis fuerit inimicus? quid hic

29) *Quae tamen ipsa non tulimus)* Jugum servitutis, occiso tyranno dejecimus. *Man.*
30) *Posset)* Jure. *Idem.*

victor non audebit, qui nullam adeptus victoriam, tanta scelera post Caesaris interiturum fecerit? refertam ejus domum exhauserit? hortos compilarit? ad se ex his omnia ornamenta transtulerit? caedis et incendiorum caussam quaesierit ex funere 31)? duobus aut tribus senatus-consultis, bene et e republica factis, reliquas res ad lucrum, praedamque revocaverit? vendiderit immunitate? civitates liberaverit? provincias universas ex imperii populi Romani jure sustulerit? exules reduxerit? falsas leges C. Caesaris nomine, et falsa decreta in aes incidenda, et in Capitolio figenda curaverit, earumque rerum omnium domesticum mercatum instituerit? populo Romano leges imposuerit? armis et praesidiis populum et magistratus foro exscluserit? senatum stiparit armatis? armatos in cella Concordiae, cum senatum haberet, incluserit? ad legiones Brundusium cucurrerit? ex his optime sentientes centuriones jugulaverit? cum exercitu Romam sit ad interitum nostrum, et ad disperditionem urbis venire conatus? Atque is ab hoc impetu abstractus consilio et copiis Caesaris, consensu veteranorum, virtute legionum, ne fortuna quidem fractus minuit audaciam: nec ruere demens, nec furere desinit. In Galliam mutilatum ducit exercitum: cum una legione, et ea vacillante, L. fratrem 32) exspectat, quo neminem reperire potest sui similiorem. Ille autem ex mirmillone 33) dux, ex gladiore imperator, quas fecit strages, ubicumque posuit vestigia? Cedit greges armentorum, reliquique pecoris, quodcumque nactus est: epulantur milites: ipse autem se, ut fratrem imitetur, obruit vino: vastantur agri: diripiuntur villae: matresfamilias, vir-

31) *Ex funere*) Cum Caesarem funebri laudans oratione, populum cum facibus impulit ad domos Cassii et Bruti. *Idem*. Vide Philipppe. 2.

32) *Lucium fratrem*) Nam minimum ex tribus. Fuerat autem Tribunus plebis eodem anno, quo et Consul Marcus, et pretor Cajus. *Idem*.

33) *Ex mirmillone*) Ex gladiatore. Gladiatorum nomine fuere, Retiarii, Mirmillones, Thraces, Secutores. Pugnaverat Lucius in Asia Mirmillo cum Thrace. Haec enim duo genera componi solere, ostendit ille versus Ausonii: *Quis Mirmilloni componitur aequimanus Thrax*. Vid. Phil 5. 6. 7. *Idem*.

gines, pueri ingenui abripiuntur, militibus traduntur. Haec eadem, quacumque exercitum duxit, fecit M. Antonius. His vos teterrimis fratribus portas aperietis? hos umquam in urbem recipietis? non, tempore oblato, ducibus paratis, animis militum incitatis, populo Romano conspirante, Italia tota ad libertatem recuperandam exscitata, deorum immortalium beneficio utemini? Nullum erit tempus, hoc omisso: a tergo, a fronte, a lateribus tenebitur. Si in Galliam venerit, non ille armis solum, sed etiam nostris decretis urgendus est. Magna vis est, magnum * nomen unum et idem sentientis senatus. Videtis refertum forum, populumque Romanum ad spem recuperandae libertatis erectum? qui longo intervallo cum frequentes hic videt nos, tum sperat etiam liberos convenisse. Hunc ego diem exspectans, M. Antonii scelerata arma vitavi, tum, cum ille in me absentem invehens, non intelligebat, ad quod tempus me et meas vires reservarem. Si enim illi tum caedis initium a me quaerenti respondere voluissem, nunc reipublicae consulere non possem. Hanc vero nactus facultatem, nullum tempus, Patres conscripti, dimittam, neque diurnum, neque nocturnum, quin de libertate populi Romani, de dignitate vestra quod cogitandum sit, cogitem: quod agendum, atque faciendum, id non modo non recusem, sed appetam etiam, atque deposcam. Hoc feci semper, dum licuit: intermisi, quoad non licuit. Jam non solum licet, sed etiam necesse est: nisi servire malimus, quam, ne serviamus, armis, animisque decernere. Dii immortales nobis haec praesidia dederunt: urbi Caesarem, Brutum Galliae. Si enim ille urbem opprimere potuisset statim: si Galliam tenere paullo post: optimo cuique pereundum, reliquis esset serviendum. Hanc igitur occasionem oblatam tenete, per deos immortales! Patres conscripti, et amplissimi orbis terrae consilii principes vos esse aliquando recordamini. Signum date populo Romano, consilium vestrum non deesse reipublicae, quoniam ille virtutem suam non defuturam esse profitetur. Nihil est, quod moneam vos. Nemo est tam stultus, qui non intelligat, si indormierimus huic tempori, non modo crudelem, superbamque dominationem nobis, sed ignominiosam

* Vict. Lamb. *numen.*

etiam, et flagitiosam ferendam esse. Nostis insolentiam Antonii, nostis amicos, nostis totam domum. Libidinosis, petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebriis servire, ea est summa miseria, summo dedecore conjuncta. Quod si jam (quod dii omen avertant) fatum exstremum reipublicae venit: quod gladiatores nobiles faciunt, ut honeste decumbant, faciamus nos, principes orbis terrarum, gentiumque omnium, ut cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia serviamus. Nihil est detestabilius dedecore, nihil foedius servitute. Ad decus et libertatem nati sumus; aut haec teneamus, aut cum dignitate moriamur. Nimium diu teximus, quid sentiremus: nunc jam apertum est: omnes jam patefecerunt, in utramque partem quid sentiant, quid velint. Sunt impii cives, pro caritate reipublicae nimium multi: pro multitudine bene sentientium, admodum pauci: quorum opprimendorum dii immortales incredibilem reipublicae potestatem et fortunam dederunt. Ad ea enim praesidia, quae habemus, jam accedunt consules summa prudentia, virtute, concordia, multos menses de populi Romani libertate commendati, atque meditati. His auctoritatibus et ducibus, diis juvantibus, nobis vigilantibus et multum in posterum providentibus, populo Romano consentiente, erimus profecto liberi brevi tempore. Jucundiorem autem faciet libertatem servitutis recordatio. Quas ob res, quod tribuni plebis verba fecerunt, ut senatus Kalendis Januaris tuto haberi, sententiaeque de summa republica libere dici possint: de ea re ita censeo,
» Ut C. Pansa, A. Hirtius, consules designati, dent
» operam, ut senatus Kalendis Januariis tuto haberi
» possit: quodque edictum D. Bruti, imperatoris,
» consulis designati, optime de republica meriti, pro-
» positum sit, senatum existimare, D. Brutum, im-
» peratorum, consulem designatum, optime de repu-
» blica mereri, cum senatus auctoritatem, populique
» Romani libertatem, imperiumque defendat. Quod-
» que Galliam provinciam citeriorem, optimorum et
» fortissimorum virorum, amicissimorum populo Ro-
» mano civium, exercitumque in Senatus potestate
» retineat, id eum, exercitumque ejus, municipia,
» colonias provinciae Galliae, recte atque ordine,
» exsque republica fecisse, et facere. Senatum ad

» summam rempublicam pertinere arbitrari, a D.
» Bruto et a L. Planco, imperatoribus, consulibus
» designatis, itemque a ceteris, qui provincias obti-
» nent, obtineri ex lege Julia, quoad ex senatus-
» consulto cuique eorum successum sit: eosque da-
» re operam, ut eae provinciae exercitusqne in se-
» natus populique Romani potestate, praesidioque
» reipublicae sint. Cumque opera, virtute, consilio
» C. Caesaris summoque consensu militum vetera-
» norum, qui ejus auctoritatem sequuti, reipublicae
» praesidio sunt, et fuerunt; et a gravissimis peri-
» culis populus Romanus defensus sit, et hoc tem-
» pore defendatur: cumque legio Martia Albae con-
» stiterit, in municipio fidelissimo et fortissimo, se-
» seque ad senatus auctoritatem, populique Romani
» libertatem contulerit: quod pari consilio, eadem-
» que virtute legio quarta usa, L. Egnatulejo duce,
» cive egregio, senatus auctoritatem, populique Ro-
» mani libertatem defendat, ac defenderit: senatui
» magnae curae esse, ac fore, ut pro tantis eorum
» in rempublicam meritis honores eis habeantur,
» gratiaeque referantur. Senatui placare, uti C. Pan-
» sa, A. Hirtius, consules designati, cum magistra-
» tum inissent, si eis videretur, primo quoque tem-
» pore de his rebus ad hunc ordinem referrent, ita
» uti e republica, fideque sua videretur.

FINIS.

